SHOUT
SHARE
IT

S631-A12

ANNALES

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE,

1826—1827.

S. 641.

ANNALES

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE,

a. d. VIII *Februarii A.* MDCCCXXVI *ad d.* VIII *Februarii A.* MDCCCXXVII.

RECTORE MAGNIFICO

LUCÂ SURINGÂR,

ACADEMIAE ACTUARIO

MICHAËLE JACOBO MACQUELYN.

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. ET J. LUCHTMANS,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS,
MDCCCXXVIII.

INDEX

EORUM, QUAE DUODECIMO ANNALIUM LEIDENSIUM VOLUMINE CONTINENTUR.

Nomina Professorum, Lectorum et Magistrorum Academicorum.
Series Lectionum in Academiâ Lugduno-Batavâ.
Acta et Gesta in Senatu Academiae Lugduno-Batavae.
Series Dissertationum Inauguralium publicè defensarum.
Judicia Facultatum de Commentationibus ad quaestiones anni superioris ad se perlatis.
Programma novarum Quaestionum, die VIII Febr. anni MDCCCXXVII. propositarum.
Orationes L. SURINGAR.
H. COCK.
J. V. D. HOEVEN.
C. J. C. REUVENS.
P. J. UYLENBROEK.
J. C. BROERS.
A. H. V. D. BOON MESCH.
C. PRUYS V. D. HOEVEN.

Commentationes J. J. de Jongh.
G. Michiels (*).
H. G. Waardenburg.
F. Dozy.
J. H. Holwerda.

Nomina Professorum et Lectoris Athenaei Amstelaedamensis.
Series Lectionum in Athenaeo habitarum.

Series Lectionum in Seminario Evangelico-Lutherano Amstelaedamensi habitarum.

(*) Quae tamen ob casum improvisum typis hoc anno exprimi nequivit.

NOMINA PROFESSORUM,

QUI

inde a d. VIII *Februarii* MDCCCXXVI, *ad d.* VIII *Februarii* MDCCCXXVII

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS,

LUCAS SURINGAR.

ACADEMIAE ACTUARIUS,

MICHAËL JACOBUS MACQUELYN.

THEOLOGI PROFESSORES.

L. SURINGAR.
I. VAN VOORST.
I. CLARISSE.
N. C. KIST, Historiae Ecclesiasticae et Historiae Dogmatum Professor extraordinarius.

DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET *PHYSICARUM.*

S. SPEYERT VAN DER EYK.
C EKAMA. Obiit die 24 Februarii MDCCCXXVI.
G. WTTEWAELL.
C. G. C. REINWARDT.
I. DE GELDER.
I. VAN DER HOEVEN, Professor extraordinarius.
P. I. UYLENBROEK, Professor extraordinarius.

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET *LITERARUM.*

I. H. VAN DER PALM.

A M.

M. SIEGENBEEK.
S. I. van de WYNPERSSE, propter infirmam valetudinem rude donatus.
I. BAKE.
I. NIEUWENHUIS.
H. A. HAMAKER, Legati Warneriani interpres.
P. HOFMAN PEERLKAMP.
C. I. C. REUVENS, Archaeologiae Professor extraordinarius.

MEDICI.

M. S. du PUI, propter aetatem septuagenariam rude donatus.
G. SANDIFORT.
I. C. KRAUSS, propter infirmam valetudinem rude donatus. Obiit die 20 Martis MDCCCXXVI.
I. C. B. BERNARD, rei medico-militaris in Regno Belgico Inspector generalis.
M. I. MACQUELYN.
I. C. BROERS.
C. PRUYS van der HOEVEN, Medicinae Professor extraordinarius.

JURIS PROFESSORES.

N. SMALLENBURG.
E. HAGEMAN, propter aetatem septuagenariam rude donatus.
H. G. TYDEMAN.
C. I. van ASSEN.
H. COCK.

LECTORES.

C. F. RUPPE, Musices. Obiit die 25 Maji MDCCCXXVI.
N. G. van KAMPEN, literarum Germanicarum.
A. H. van der BOON MESCH, Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum.

MAGISTRI ACADEMICI.

C. H. EYFFERT, Equitationis. Obiit die 8 Februarii MDCCCXXVI.
G. KNIPPENBERG, Artis Gladiatoriae.

SERIES

SERIES LECTIONUM,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

habendarum à die 19 Septembris 1826.

RECTORE MAGNIFICO

LUCÂ SURINGAR.

FACULTAS THEOLOGICA.

L. SURINGAR Theologiam Christianam Theoreticam docebit, diebus Lunae, Martis et Jovis, hora X.

Theologiam Naturalem exponet, die Mercurii, hora XII. et Veneris, hora I.

Religionis et Societatis Christianae, inde a Christo nato Historiam tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora XI.

Oratoriae Sacrae exercitiis praeërit die Mercurii, hora I.

J. VAN VOORST Epistolam Judae, secundam Petri, et selectas e libris Historicis Novi Testamenti pericopas Critice et Exegetice tractabit, diebus Lunae, Martis et Veneris, hora XII.

De veterum Sacrae Scripturae Interpretum, praesertim Joannis Chrysostomi, usu Hermeneutico monebit, die Jovis, hora XII.

Exercitationem examinatoriam de universa Theologia Dogmatica et Elenctica instituet, die Mercurii, hora X.

Orationibus Sacris pronuntiandis praeërit die Jovis, hora I.

J. CLARISSE Encyclopaediam et Methodologiam Theologicam tradet, diebus Martis et Jovis, hora IX.

Theologiam Dogmaticam, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora IX.

Theologiam Moralem, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora VIII.

Theologiam, quae dicitur, Pastoralem, exponere perget diebus Veneris et Saturni, hora VIII.

Exercitia Oratoriae Sacrae moderabitur, die Lunae, hora I.

J. CLARISSE et **L. SURINGAR** moderari pergent exercitia de quaestionibus argumenti Theologici disputandi, die Veneris, hora IV.

N. C. KIST, Professor Extraordinarius, Ecclesiae Christianae historiam docebit in primis recentiorem, diebus Mercurii et Jovis, hora IV. et Veneris, hora XI.

Doctrinae et Dogmatum Christianorum historiam tradet, diebus Lunae et Martis, hora IV.

Clementis Romani ad Corinthios Epistolam, aliaque Historiae Ecclesiasticae Veteris monumenta explicabit, hora auditoribus commoda.

FACULTAS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

S. SPEYERT VAN DER EYK Mathesin Sublimiorem docebit, diebus Lunae et Mercurii, hora I.

Physicam, experimentis illustratam, tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora XII.

G. WTTEWAALL Oeconomiam Ruralem docebit, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora I.

C. G. C. REINWARDT *Chemiam* docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora XI.

Rei Herbariae fundamenta tradet, diebus Lunae et Mercurii, hora I.

Plantarum Historiam illustrabit verno et aestivo tempore matutino, hora VII.

Historiae Naturalis quaedam capita exponet, horis postea indicandis.

J. DE GELDER, tradet elementa Geometriae, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora VIII.

Arithmeticam universalem tradet diebus Lunae, Mercurii et Veneris, horis deinceps indicandis.

Trigonometriam rectilineam et sphaericam, ejusque usum in Astronomiâ et Arte navigandi provectioribus discipulis explicabit, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora I.

Calculum Differentialem et Integralem ter quavis hebdomade docebit iis horis, quae Auditoribus maximè sint commodae.

Mechanicam analyticam diebus Martis et Jovis post meridiem, hora V et VI.

Theoriam probabilitatis, quam vocant, et insignem ejus usum in vita civili tradet, quarum lectionum horas in commodum Auditorum constituet.

J. van der **HOEVEN**, Prof. Extraord., Historiam Naturalem exponet, diebus Martis et Jovis, hora I.

Primas lineas Pharmacologiae lingua vernacula tradet, eorum praesertim in gratiam, qui artem Pharmaceuticam colunt, horâ auditoribus commodâ, dein indicandâ.

P. J. **UYLENBROEK**, Prof. Extraord. designatus, Physices capita selecta exponet, diebus Lunae et Mercurii, hora I.

Astronomiae elementa tradet, diebus Martis et Jovis, hora I.

FACULTAS PHILOS. THEOR. ET LITERARUM HUMANIORUM.

J. H. van der **PALM** Grammaticam Hebraeam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora VIII.

Antiquitates Hebraeas enarrabit, iisdem diebus, hora IX.

Praecepta Oratoriae Sacrae tradet, diebus Martis et Jovis, hora I.

Coranicis lectionibus vacabit, diebus Martis, hora V et VI.

Librum II Regum cursoria lectione explicabit, diebus Veneris, hora I.

M. **SIEGENBEEK** praecipuas Historiae Patriae epochas observationibus illustrabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora VIII.

Praecepta stili bene Belgici tradet, iisdem diebus, hora XII.

Eloquentiam Belgicam docebit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora I.

Literas Belgicas tradet, diebus Jovis et Veneris, hora I.

Eloquentiae exterioris exercitia moderabitur, die Veneris, hora III.

J. BAKE Latinas Literas docebit explicandis CICERONIS *Orationibus pro Plancio, pro Sextio, pro Milone*, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora IX.

E literis Graecis interpretabitur cum XENOPHONTIS *Anabasin*, tum *Homericae Iliadis lib. X et XI:* diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora X.

J. NIEUWENHUIS Scholas habiturus est *Metaphysicas*, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora VIII.

Logicas, conjunctas cum Encyclopaediâ Philosophiae, sive introductione ad studium Philosophiae universae, die Jovis, hora XII.
die Veneris, hora X.

Historiam Philosophiae Antiquae explicabit, diebus Martis et Mercurii, hora XII.

Philosophiam Moralem tradet, horâ Auditoribus maxime commodâ.

H. A. HAMAKER Jeremiam philologice et critice interpretari perget, initio facto a Cap. XV, diebus Lunae et Mercurii, hora I.

Arabicae, item Syriacae linguae et Chaldaicae elementa tradet, diebus Martis et Jovis, hora I.
et Veneris, hora VIII.

Selecta ex Historia Halebi a Freytagio V. Cl. edita, item Zoheiri et Antarae carmina explicabit diebus Martis et Jovis, hora IV.

Bar-Hebraei Chronicon Syriacum interpretabitur privatissime, diebus Jovis, hora V et VI.

Disputationibus sive privatis, sive publicis, praeërit hora auditoribus commoda.

P. HOFMAN PEERLKAMP explicabit historiam universalem, a divisione regni Carolingici ad hanc memoriam, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora XI.

De Encyclopaediâ Historiae universalis exponet horâ ipsi et auditoribus commodâ.

J. BAKE et **P. HOFMAN PEERLKAMP** scholas privatas destinant futuris Philologis, et auditoribus interpretandum proponent AESCHYLI Prometheum et PLAUTI Amphitruonem.

Praeërunt publicis Disputandi exercitationibus, die Martis, hora III.

C. J. C. REUVENS, *Antiquitatem Romanam* explicabit secundum compendium J. D. FUSSII, V. C., diebus Lunae, Martis, Mercurii et Veneris; hora XII.

Idem scholas de *historiâ artium*, praecipue *Graecarum*, instaurabit, hora maxime commodâ.

FACULTAS MEDICA.

M. S. DU PUI Theoriam disciplinae Chirurgicae, ejusdemque Praxin in Nosocomio Academico exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora X.

et Veneris, hora XI.

Anatomiam Chirurgicam cum operationibus, hiberno tempore, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora V.

Artem obstetriciam cum theoretice, tum practice, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora X.

Medicinam Forensem explicabit, diebus Mercurii et Veneris, horis postmodum indicandis, et a lectionibus Juridicis et Medicis vacuis.

Disputationibus publicis vacabit, horâ dein indicandâ.

G. SANDIFORT Anatomiam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora X.

Physiologiam, Anatome comparata illustratam, iisdem diebus, hora IX.

Methodum Secandi Cadavera, quotidie, hiberno tempore, ab hora III ad V.

M. J. MACQUELYN Supellectilem Remediorum tum Simplicium, tum ex iis juxta Pharmacopaeam Belgicam compositorum, Chemice, pharmaceutice, et practice tractabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora VIII.

Nosologiam methodicam praxi Medicae applicatam, duce Gulielmo Culleno exponet, simul cum exercitatione in Nosocomio Academico singulis diebus, hora IX.

Diaeteticem seu Hygieinen ad Praxin Medicam applicatam docebit, die Veneris, hora IX et X.

Disputandi exercitia moderabitur horâ auditoribus commoda.

C. PRUYS VAN DER HOEVEN, Med. Prof. extraordinarius, Pathologiam docebit, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora I.

et die Veneris, hora VIII.

Medicinam Practicam cum exercitatione in Nosocomio Academico singulis diebus, hora XI.

Historiam Medicinae tradet, diebus Lunae et Mercurii, hora IV.

FACULTAS JURIDICA.

N. SMALLENBURG, Pandectas, secundum WESTENBERGIUM, tractabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora X.

Institutiones, iisdem diebus, hora XI.

Primas Lineas Juris Civilis Belgici, à se editas, explicabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora XII.

E. HAGEMAN, in quantum aetas et valetudo permittent, diebus et horis dein indicandis, studiosae Juventuti prodesse conabitur.

H. G. TYDEMAN, Encyclopaediam Juris (sive Introductionem ad studium Jurisprudentiae universae et singularum illius partium) tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora XII.

Statisticam Patriae describet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora XI.

Oeconomiae Politicae principia, auctore potissimum J. B. SAY, tradet, diebus Martis et Jovis, hora I.

Historiam politicam recentiorem, duce HEERENIO, enarrabit, diebus Lunae et Mercurii, hora I.

et die Veneris, hora XII.

Jus Mercatorium, quo adhuc utimur, cum novo Jure jam decreto comparatum, illustrabit, die Veneris, hora X et XI.

C. J. VAN ASSEN, illustrabit Historiam Jurisprudentiae Romanae, duce J. A. BACHIO, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora IX.

Docebit JUSTINIANI Institutiones, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora X.

Explanare perget GAJI Institutionum Commentarios, die Jovis, hora X.

Interpretabitur Digestorum Libros, duce WESTENBERGIO, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora VIII.

Tractabit separatim locum de Delictis et Poenis, interpretando Digestorum Libros XLVII et XLVIII, et Codicis Librum IX, die Jovis, hora IX.

Tradet Elementa Juris civilis Attici, die Veneris, hora VIII.

H. COCK, Jus Naturale tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora I.

Jus Criminale, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora IX.

Jus Publicum et Gentium, diebus Jovis et Saturni, hora IX. et die Veneris, hora IX.

N. G. VAN KAMPEN, Liter. German. Lector, Germanicae prosae orationis aliquot loca interpretabitur ex opere Cel. PISCHEN, *Handbuch der Deutschen Prosa*, die Jovis post meridiem, hora V—VII.

Scholas Grammaticas habebit, diebus et horis Auditoribus maximè opportunis.

G. KNIPPENBERG, Academicus Artis Gladiatoriae Magister, aptum et elegantem gladii usum quotidie docebit.

❋

ACTA

ACTA ET GESTA IN SENATU ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE.

1826. Die 25 Februarii. Graviter contristatus fuit Senatus allato nuncio de obitu Viri Clarissimi CORNELII EKAMA, in Facultate Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum Professoris ordinarii.

Die 20 Martis. Iterum tristis ad Senatum delatus est nuncius de obitu Viri Clarissimi JOANNIS CAROLI KRAUSS, in Facultate Medica Professoris Emeriti.

Die 10 Aprilis. Per litteras Illustrium Academiae Curatorum, additumque illis decretum Regium, praescribuntur variae formulae testimoniorum Candidatis et Doctoribus creandis exhibendorum.

Die 29 Aprilis. A Viro Clarissimo JANO VAN DER HOEVEN apud Illustres Academiae Curatores solenne juratum est jusjurandum, mox vero Vir Cl. demandatam sibi provinciam Professoris Extraordinarii in Facultate Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum suscepit habita Oratione, *de diligenti Veritatis studio, praecipua Naturae Interpretis dote.*

Die 12 Junii. Lectae sunt Litterae Illustrium Academiae Curatorum, quibus additur Decretum Regium quo Vir Cl. C. J. C. REUVENS, hucusque in Facultate Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum Professor Extraordinarius, constituitur Professor Ordinarius in eadem Facultate.

Die 20 Septembris. Ex Litteris Illustrium Academiae Curatorum, additoque decreto Regio intellexit Senatus, Regem Augustissimum Virum Clarissimum PETRUM JOANNEM UYLENBROEK, hucusque Lectorem in Facultate Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum, constituisse Professorem Extraordinarium in eadem Facultate; nec non *F. Kaiser* eodem decreto constitutum esse Observatorem Astronomicum in hac Academia.

Eo-

1826. Eodem die. Illustres Academiae Curatores per Extractum Actorum suorum Senatum certiorem faciunt, Administratorem Instructionis publicae Artium et Scientiarum CHRISTIANO JOHANNI LECHLEITNER (in locum defuncti CHRISTIANI FRIDERICI RÜPPE, Salisundâ-Meiningensis) contulisse titulum Directoris Musices hujus Academiae.

Eodem die. Lectae sunt Litterae Illustrium Academiae Curatorum, quibus additum erat Extractum Decreti Regii, quo Vir Doctissimus ANTHONIUS HENRICUS VAN DER BOON MESCH, creatur Lector in Facultate Scientiarum Mathematicarum et Physicarum, eo quidem consilio, ut in Collegio et Schola, quibus ab Industriâ Populari nomen est, Chemiam doceat.

Eodem die. Per litteras Illustrium Academiae Curatorum ad Senatum pervenit Decretum Regium, quo Vir Clarissimus JACOBUS CORNELIUS BROERS, Medicinae, Chirurgiae et Artis Obstetriciae huc usque Doctor in pago Zeyst, constituitur in Facultate Medicâ Professor Ordinarius.

Die 23 Septembris. Vir Cl. C. J. C. REUVENS munus capessivit habitâ Oratione *de Archaeologiae cum Artibus recentioribus conjunctione.*

Die 30 Septembris. Vir Cl. P. J. UYLENBROEK demandatam sibi provinciam suscepit habita Oratione *de Hodierni Physices et Astronomiae studii praestantiâ.*

Die 25 Novembris. Ad Senatum perveniunt Litterae Illustrium Academiae Curatorum, quibus additur Decretum Regium (typis expressum) de Institutione Mathematicâ in Gymnasiis et Academiis.

Eodem die. Vir Clarissimus J. C. BROERS, praestito apud Illustres Academiae Curatores solemni jurejurando, munus suum inauguratus est habita Oratione *de Chirurgiae studio, cum Cultu et Humanitate conjungendo.*

Eodem die. Ex Litteris Illustrium Academiae Curatorum, additoque iis Decreto Regio Senatus intellexit, Regem Augustissimum Virum Cl. CORNELIUM PRUYS VAN DER HOEVEN, hactenus in Facultate Medicâ Professorem Extraordinarium, constituisse Professorem in eâdem Facultate Ordinarium.

1826. Die 16 Decembris. Vir Doctissimus **A. H. VAN DER BOON MESCH**, jurato apud Illustres Curatores solemni jurejurando, Lectoris munus capessivit habitâ Oratione *de Chemiae materia, ratione et usu.*

1827. Die 16 Januarii. Quatuor ex diversis Facultatibus ad normam ab Augustissimo Rege praescriptam, nominati sunt Professores, e quibus unus a Rege eligeretur ad Rectoris munus anno proximo Academico gerendum.

Nominati quoque sunt quatuor, e quibus unus secundum Legis Regiae praecepta eligendus esset Senatus Actuarius in annum sequentem. Prior Catalogus ad Regem per litteras, Latino sermone conscriptas, missus; uterque vero cum Illustribus Curatoribus communicatus fuit.

Die 27 Januarii. Vir Cl. **C. PRUYS VAN DER HOEVEN** munus suum capessivit Oratione habita *de perfectâ Medici Specie.*

Die 5 Februarii. Recitatum est Regis Augustissimi Decretum, quo Academiae Rector Magnificus in annum sequentem designatur Vir Clar. **GERARDUS WTTEWAALL.** Designato Rectori Assessores adjuncti sunt:

Viri Clarissimi **P. HOFMAN PEERLKAMP**,
G. SANDIFORT,
C. J. VAN ASSEN,
J. VAN VOORST.

Die 8 Februarii. Rector Magnificus ad Senatum retulit, in concessu Curatorum, Rectoris et Assessorum **LUCAM SURINGAR** ex quatuor antea nominatis in annum proximum Actuarium fuisse electum. Brevi post munus abiens Vir Magnificus in Auditorio Majori solennem habuit Orationem *de variis, quae rei Christianae obortae sunt, calamitatibus, in illius commodum atque salutem, divinâ moderante Providentiâ, conversis.*

Caetera ex more et Legibus Regiis hoc die praestanda feliciter peracta sunt.

SERIES

DISSERTATIONUM INAUGURALIUM,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

PUBLICE DEFENSARUM,

à die VIII Februarii MDCCCXXVI. ad diem VIII Februarii MDCCCXXVII.

1826.

d. 7 Martii. *Dissertatio Inauguralis, exhibens Recensionem et Interpretationem M. Tullii Ciceronis Paradoxorum ad M. Brutum*, defensa ab **Hermanno Johanne Borgers**, Zwollâ Trans-isalano, pro Phil. Theor. Magisterio et Doctoratu Literarum Humaniorum.

d. 15 Martii. *Dissertatio Inauguralis, de Pignore et Antichresi ex Principiis Juris Hodierni*, defensa a **Marino Petro Dominicus**, e pago Yerseke Zelando, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 10 Aprilis. Disputatio Philosophico-Juridica Inauguralis de Conatu Criminis, ejusque puniendi ratione, defensa in Auditorio Majori, ab **Annaeo Gerbrando Brouwer**, ex Pago de Groote Lindt Hollandiae Meridionalis pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

1826. Promotiones CUM vel SINE *accessione Laudis*;

Ex Decreto Regio d. 14 Martii MDCCCXXVI.

d. 25 Aprilis. *Dissertatio Medica Inauguralis, quâ inquiritur in causam mortis Suspensorum*, Magnâ cum Laude defensa a Johanne van den Oever, Harlemensi, pro Doctoratu Medicinae.

d. 1 Junii. *Dissertatio Medica Inauguralis, de Remediorum stimulantium diffusibilium indole, agendi ratione, indicatione, et contraïndicatione Therapeuticâ*, Magnâ cum Laude defensa a Melchiore Cornelio Johanne van den Kerckhoven van Groenendyk, Goudano, pro Doctoratu Medicinae.

d. 10 Junii. Dissertatio Historica et Literaria Inauguralis, de M. Liviis Drusis, Patre et Filio, Tribunis Plebis, Magnâ cum Laude defensa in Auditorio Majori, a Jano Francisco van Bemmelen, Lugduno-Batavo, pro Philos. Theor. Magisterio, et Doctoratu Literarum Humaniorum.

Eodem die. Disputatio Inauguralis, de Summo Imperante, in caussis civilibus apud Judices a se constitutos litigante, Magnâ cum Laude defensa in Auditorio Majori, a Jacobo Petro Johanne Theodoro Brantsen, Arnhemiâ-Gelro, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 12 Junii. Dissertatio Philosophico-Juridica Inauguralis, de nimia in Poenis crudelitate tollenda, defensa in Auditorio Majori, ab Adolpho Petro de Vrière, Brugensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. Specimen Juridicum Inaugurale, de Jure Jurando decisorio, defensum in Auditorio Majori, a Gustavo Gerber, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

1826.

d. 14 Junii. Dissertatio Literaria Inauguralis, de Marco Porcio Catone Censorio, Magnâ cum Laude defensa in Auditorio Majori, a Gerardo Cornelio Brillenburg, Schiedamensi, pro Phil. Theor. Magisterio, et Doctoratu Literarum Humaniorum.

Eodem die. Dissertatio Juridica Inauguralis, de Jurisprudentia Marci Porcii Catonis Censorii, ejusque Filii, defensa in Auditorio Majori, a Gerardo Cornelio Brillenburg, Schiedamensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 15 Junii. *Disputatio Juridica Inauguralis, ad Titulum Pandectarum de Statuliberis*, Summâ cum Laude defensa a Justino Jacobo Leonardo van der Brugghen, Neomagensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 16 Junii. Disputatio Geologica Inauguralis, de Incendiis Montium Igni ardentium Insulae Javae, eorumdemque Lapidibus, Summâ cum Laude defensa in Auditorio Majori, ab Antonio Henrico van der Boon Mesch, Delphensi, pro Matheseos Magisterio, et Doctoratu Philosophiae Naturalis.

Eodem die. *Dissertatio Medica Inauguralis, de usu et abusu Remediorum Purgantium in Morbis Inflammatoriis*, Magnâ cum Laude defensa a Laurentio Carolo de Peval, Medioburgo-Zelando, pro Doctoratu Medicinae.

d. 17 Junii. Dissertatio Anatomico-Pathologico-Inauguralis, de nonnullis notatu dignioribus Membranarum Mucosarum et Serosarum Morbis, Magnâ cum Laude defensa in Auditorio Majori, a Georgio Philippo Büchner, Goudano, pro Doctoratu Medicinae.

1826.

d. 19 Junii. Dissertatio Juridico-Politica Inauguralis; de Coloniis, Summâ cum Laude defensa in Auditorio Majori, a Gerardo Dedel, Amstelodamensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. Dissertatio Philosophico-Juridica Inauguralis; de Judicis animi sententiâ, in Criminalibus optimâ Judiciorum Moderatrice, Magnâ cum Laude defensa in Auditorio Majori, a Gulielmo Justo Swaving, Berbicensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 20 Junii. Disputatio Anatomico-Physiologica, de organo Odoratûs per animalium vertebratorum classes, Magnâ cum Laude defensa in Auditorio Majori, a Martino Gerardo Timmers Verhoeven, Dordraco-Batavo, pro Doctoratu Medicinae.

Eodem die. Disputatio Juridica Inauguralis, de Errore, ejusque in Conventibus effectu, Magna cum Laude defensa in Auditorio Majori, a Petro Francisco Timmers Verhoeven, Dordraco-Batavo, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. *Dissertatio Juridica Inauguralis, de Contractu Societatis secundum Codicem Juris Civilis*, defensa a Petro Jacobo Heldewier, Hagano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 21 Junii. Dissertatio Juridica Inauguralis, de Beneficio Inventarii, in personam Haeredis spectato, Magnâ cum Laude defensa in Auditorio Majori, a Cornelio Catharino van der Schalk, Schiedamensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 22 Junii. Specimen Academicum Inaugurale, de pretio, Institutionibus Divinis Lactantii statuendo, Magnâ

1826. cum Laude defensum in Auditorio Majori; ab Henrico Jano Spyker, Amstelodamensi, pro Doctoratu Theologiae.

Eodem die. *Dissertatio Medica Inauguralis, de Signis ex Voce in nonnullis Morbis*, Magnâ cum Laude defensa a Carolo Frederico Jacobo Lyherr, Hagâ-Batavo, pro Doctoratu Medicinae.

Eodem die. *Dissertatio Juridica Inauguralis, de diverso Praetorum numero in variis Reipublicae Romanae temporibus*, defensa a Martino Coehoorn van Scheltinga, Heerenvenâ-Frisio, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 23 Junii. *Dissertatio Historico-Juridica Inauguralis, de Parricidio*, Magnâ cum Laude defensa a Rutgero Jano Loisel, Bouloniensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 24 Junii. *Dissertatio Medica Inauguralis, de Crisibus*, Magnâ cum Laude defensa ab Antonio Binck, Oosterhouta-Brabanto, pro Doctoratu Medicinae.

d. 26 Junii. *Dissertatio Juridica Inauguralis, de Jure Tutoris, in emendis Bonis Pupilli*, defensa a Georgio van der Mieden, Alcmariensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. *Dissertatio Philosophico-Juridica Inauguralis, de Probatione Delictorum*, Magnâ cum Laude defensa ab Antonio Schouten, Ex Pago Druten — Gelro, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. *Dissertatio Juridica Inauguralis, de Jure Creditorum, exercendi Jura et actiones suorum debitorum*, Summa cum Laude defensa a Johanne Arnoldo van der Burgh, Ultrajectino, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. *Dissertatio Juridica Inauguralis, de Tutelâ Maternâ, secun-*

cundum Juris Romani et Hodierni principia, defensa ab Adriano Theodoro Prins, Roterodamensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

1826.

d. 28 Junii. *Dissertatio Historico-Politica Inauguralis, de Jure Legatorum*, defensa a Carolo Hultman, Hagano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. *Specimen Juridicum Inaugurale, continens quaestiones aliquot ex Jure Romano et Hodierno*, defensum a Jano Jacobo Slicher, Medioburgo-Zelando, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. *Dissertatio Juridica Inauguralis, de Adoptione secundum Principia Juris Hodierni*, defensa a Michaële Cornelio van Maurik, e Pago 's Gravenmoer Brabanto, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 29 Junii. *Theses Inaugurales argumenti Medici*, defensae a Ricardo Fox, Brittanno, pro Doctoratu Medicinae.

d. 30 Junii. *Dissertatio Juridica Inauguralis, duas exhibens quaestiones*, defensa a Rudolpho Carolo d'Ablaing van Giessenburg, Amstelodamensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. *Specimen Juridicum Inaugurale, continens varias quaestiones*, defensum a Francisco de Keyzer, Jun. Goesa-Zelando, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 18 Julii. *Disputatio Inauguralis, de Fide Herodoti a Plutarcho rejectâ*, Magnâ cum Laude defensa ab Henrico Hermano van Marle, Daventriensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 28 Julii. *Disquisitio Historica, de Constantino Magno*, defensa a Johanne Henrico Arnoldo Weytingh, Campensi, pro Magisterio Phil. Theor. et Doctoratu Literarum Humaniorum.

d.

1826.

d. 29 Sept. Disputatio Juridica Inauguralis, de Societatibus, Summâ cum Laude defensa in Auditorio Majori, a Baudewino Donker Curtius, Guil. Baud. filio, Dordraco-Batavo, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. Specimen Academicum Inaugurale, quo exponuntur Methodi, quibus aëris impulsus et venti velocitas determinatur, Summâ cum Laude defensum in Auditorio Majori, a Baudewino Donker Curtius, Guil. Baud. filio, Dordraco-Batavo, pro Matheseos Magisterio et Doctoratu Philosophiae Naturalis.

d. 17 Octobris. *Disputatio Historico-Litteraria Inauguralis, de Corneliâ, matre Gracchorum*, Magnâ cum Laude defensa ab Henrico Johanne Aernout, Harlemensi, pro Philosophiae Theoreticae Magisterio et Doctoratu Literarum Humaniorum.

d. 28 Octobris. *Specimen Inaugurale Philosophico-Juridicum, de Patriâ Potestate, praesertim ex Jure Romano*, Magnâ cum Laude defensum a Constant de Quertemont, Bruxellensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 11 Novembris. Dissertatio Medica Inauguralis, de Morbo Scrophuloso, Magnâ cum Laude defensa in Auditorio Majori, a Gerardo Aart Rudolph, Arnhemiâ-Gelro, pro Doctoratu Medicinae.

d. 13 Decembris. *Disputatio Juridica Inauguralis, de probatione per Testes in Causis Civilibus*, Magnâ cum Laude defensa a Florentio Sophio op ten Noort, Zutphaniâ-Gelro, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

1826.

d. 20 Decembris. Disputatio Juridica Inauguralis, ad locum Gaji Institutionum de Sponsoribus, Fidecommissoribus et Fidejussoribus et ad Titulum Fragmentorum Vaticanorum de Excusatione, Summâ cum Laude defensa in Auditorio Majori, a Johanne Vincentio Westrik, Berbicensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. Disputatio Literaria Inauguralis, de Aeschyli Choëphoris, deque Electrâ cum Sophoclis, tum Euripidis, Summâ cum Laude defensa in Auditorio Majori, a Johanne Vincentio Westrik, Berbicensi, pro Philosophiae Theoreticae Magisterio et Doctoratu Literarum Humaniorum.

d. 23 Decembris. Dissertatio Statistico-Juridico-Inaugurale, super Instituto Navium per Vada Ductorum, sive Pilotarum, eorumque Juribus et Officiis (*het Loodswezen*), Magnâ cum Laude defensa in Auditorio Majori, a Petro Antonio Tengbergen, Hagano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. *Dissertatio Juridica Inauguralis, de Jure Jurando Suppletorio*, defensa a Rudolpho Sandberg, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

1827.

d. 31 Januarii. *Dissertatio Medica Inauguralis, exhibens nonnulla de Morborum Haereditariorum Historia Naturali*, Magnâ cum Laude defensa a Volkhartio Epkema, Horna-Westfrisio, pro Doctoratu Medicinae.

JUDICIA FACULTATUM DE CONSCRIPTIS HOC ANNO COMMENTATIONIBUS, AB ACTUARIO PRAELECTA DIE VIII FEBRUARII MDCCCXXVII.

I.

ORDINIS THEOLOGORUM.

Facultati Theologicae, ad solvendam propositam de loco in primâ Joannis Epistolâ, Capite V, commate 16, ejusque cum Ethices Christianae de diligendis omnibus praeceptis convenientiâ Quaestionem, quatuor oblatae sunt Scriptiones. Quarum illa quidem, cui Symbolum adscriptum erat: *On n'est jamais si heureux ou si malheureux, qu'on le s'imagine*, parum habere visa est, quo se legenti magnopere commendaret. Immaturi foetûs auctorem industria adhibita longe superabat alius, qui quadam quasi praesensione sortis, suum laborem manentis, sententiam ei adjecerat: *Mortalia facta peribunt.* Neque immerito. Tironem enim, quem se scriptor professus erat, arguit ipsa scriptio, verbosior illa, nec satis Latina, et exiguam prodens Hermeneutices Sacrae peritiam. Huic vero longe praeferenda visa est Commentatio cum symbolo: *Le Christianisme est parfait.* Hujus enim auctor haud contemnendos in Sanctioris Disciplinae studio profectûs et majorem doctrinae copiam, bonorum scriptorum usu comparatam, Facultati laudabiliter probavit: quocirca honorificam ejus mentionem publice faciendam esse decrevit. Quominus tamen erogatum praemium ipsi adjudicari posset, impediverunt, cum oratio, multis scatens gravissimisque vitiis, tum justi ordinis et perspicui neglectus, tum vero etiam ratio interpretandi Sacri Codicis minus probanda. Hac vero bene perspecta reliquis praestare visus est scriptor, amabilem modestiam ipso lemmate: *Conamur tenues grandia* prodens; et sermone usus multo puriore. Is igitur cum locum ad sanae Hermeneutices leges optime interpretatus esse judicaretur, et alteri Quaestionis parti omnino melius satisfecisset, hunc praemio dignum censuit Facultas. Apertâ igitur schedulâ ipsum cognovit **IOANNEM JACOBUM DE JONGH**, Enchusanum, Theologiae in hac Academia Candidatum. Qui postea ad examen evocatus ex Lege instituendum, se revera Commentationem proprio elaborasse marte, luculenter demonstravit. Alterius autem, honorifice memoratae, Disputationis auctor, a Facultate per Ephemerides invitatus, suo indicio, apertâ schedulâ confirmato, innotuit **MARTINUS LEONARDUS REYERKERK**, Theologiae in Academiâ Rheno-Trajectinâ Studiosus.

II.

ORDINIS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

I. Ad Quaestionem *Geometricam*, quam posuit Facultas: *Datâ quatuor Sphaerarum inter se invicem dispositarum magnitudine et mutuâ positione, inveniantur, cum loca centrorum, tum radii omnium Sphaerarum, quae datas illas tangunt*; unam duntaxat accepit Commentationem, hoc **TERENTII** dicto distinctam: *Quidquid praeter spem eveniat, omne id reputabo esse in lucro.* Auctor ejus Commentationis problema positum tribus, iisque diversis methodis, ita solvit, ut nihil intactum reliquisse, nihil omisisse videretur, nec tamen Commentationem in longiorem disputationem protraheret. Facultas igitur judicavit hanc Commentationem dignam esse ut nummus aureus auctorem ornaret. Apertâ igitur schedulâ auctor repertus est **GEORGIUS MICHIELS**, Matheseos Studiosus in Universitate Leodiensi, qui, dein defensâ Commentatione contra dubia a Facultate obmota, se illius auctorem egregie et docte probavit.

II. Ad Quaestionem ex *Historiâ Naturali*: *Quaeritur historia naturalis Animalium Molluscorum, Regno Belgico indigenorum*, unam Commentationem, inscriptam hoc symbolo: *Si majora dices et magis necessaria esse, quae hominem* etc. accepit Ordo, quae cum et diligentiam et doctrinam auctoris, ejusque in excolendâ Patriae historiâ naturali studia egregie Ordini probaverit, eam praemio ornandam esse censuit Facultas. Apertâ schedulâ auctor repertus est HENRICUS WILHELMUS WAARDENBURG, Medic. Stud. in Academiâ Lugd. Batavâ, qui examine instituto se auctorem probavit.

III. Ad Quaestionem *Chemicam*: *Quaeritur expositio concinna et perspicua Elementorum Stoechiometriae*, responsum est duabus Commentationibus, quae signatae sunt his verbis:

1. Πάντα (Θεὸς) μετρῶ etc.
2. *Wir müssen*, etc.

Et ita quidem responsum, ut, si alterutram tantum accepisset Facultas, huic praemium decernere non dubitavisset.

Pressius igitur institutâ comparatione, hoc Ordinis judicium est: Utrâque diligenter et docte conscriptâ Stoechiometriae elementa exponi: priorem quidem, graeco epigrammate distinctam, alteri praestare sermonis puritate, argumenti subtiliori et profundiori tractatione, exemplorum denique difficiliorum algebraicâ expositione: alteram tamen non minus commendabilem esse, cum modesto et simplici sermone et exemplorum faciliorum delectu, tum vero in primis rerum expositione clarâ, perspicuâ et ad communem intelligentiam accommodatiori: Quod cum, in tam difficili argumento, praesertim adtendendum fuerit, alteri huic Commentationi praemium statuit Ordo: prioris autem illius auctorem evocavit, ut sese declararet et laudis testimonium peteret.

Prioris ejusdem Commentationis auctor huic evocationi satisfecit: et patuit, eum esse WILHELMUM SIMONEM SWART, Math. et Phil. Natur. in Athenaeo Amstelaed. Stud. Alterius vero Commentationis, apertâ schedulâ, declaratus est auctor FRANCISCUS DOZY, Math., Phil. et Medic. Stud. in Academiâ Lugd. Batavâ, qui ex lege ad examen evocatus, se Commentationis auctorem fuisse facile demonstravit.

IV. Ad Quaestiones e *Physicâ* et ex *Astronomiâ* propositas nemo se in certamen contulit.

III.

ORDINIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

Ad Quaestionem: *Quaenam fuit Veterum Scepticorum sententia de Veri judicio? Quibus argumentis eam tueri conati sunt adversus Dogmaticos, in primis Socraticos et Stoïcos? Quomodo denique Sceptica philosophandi ratio, observatâ hominis indole, natura, atque ingenii progressione, explicanda et coercenda videtur?*

Duae oblatae sunt responsiones, quarum altera hac Ciceronis voce inscripta erat:

Prima sequentem honestum est in secundis tertiisque subsistere.

altera, his Ciceronis verbis ornata:

Homini est propria veri inquisitio et investigatio.

Ejus Commentationis, quam priori loco memoravimus, Auctor, quamquam tertiam quaestionis propositae partem non ita intellexit, ut Scepticismi cursum atque coërcendi rationem ex ipso homine explicuerit, neque igitur accurata hujus partis elaboratione finem, quem Ordo spectaverat, attigit, ad priores tamen historicas quaestionis partes ex ipsis fontibus eleganti ratione atque justo ordine ita respondit, ut omnium consensu hanc responsionem praemio dignam existimaverit Ordo. Nomen auctoris repertum est JANUS HENRICUS HOLWERDA, Litt. et Theol. Stud. in Acad Lugd. Bat.

In ea Commentatione, quae secundo loco memorata est, multa desiderabantur, cum ad perspicuitatem orationis, et bonitatem, tum ad justam ac disertam argumenti explicationem. Verumtamen non sine laudibus esse visa est haec Commentatio, praesertim in tertia hujus quaestionis parte, quam auctor et recte intellexit, et satis bene explicuit. Quapropter si nomen suum profiteri non recusaret, ut cum laudis testimonio publice ederetur, omnium suffragiis decretum est. Prodiit auctor AART VEDER, in Acad. Lugd. Bat. Litt. Hum. Stud.

Ad

Ad Quaestionem ex Literis Orientalibus desumtam: *Exponantur causae, quibus factum est, ut imperium Turcarum Otsmannorum a parvis initiis ad eam magnitudinem et potentiam pervenerit, quam Solimano Magno regnante erat consecutum*: tria responsa Facultati missa sunt. Horum unum hoc lemmate insignitum erat: *Historia aliud nihil est, quam philosophia exemplis utens*: D. G. MORHOFF. E reliquis duobus alterum hanc epigraphen Plautinam habebat: *Ego si bonam famam mihi servasso, sat ero dives*: alterum illam Borgerianam: *Nullus in universo historiae campo locus est, ubi is cujus nutu et impero omnia geruntur, non vestigium posuerit, nec monumentum sui voluerit existere.*

Trium Commentationum auctores in eo sibi invicem sunt similes, quod scriptionem suam bifariam diviserunt, et brevi historiae temporum istorum Turcicae conspectu proposito, deinceps ad causas magnitudinis imperii Otsmanici accuratius explicandas accesserunt. Qua in re is, quem primo loco nominavimus, ita versatus est, ut omnem praemii consequendi spem amitteret. Etenim quae in Quaestione de Solimano Magno memorantur, eadem retulisse videtur ipse ad alium ejusdem nominis principem, longe antiquiorem, Orchani filium, Amurathi Primi fratrem, quem *magnum Graecorum Victorem* appellat. Quo factum est, ut nec in historia tradenda nec in causarum expositione, ultra captam a Mohammede II Constantinopolin procederet. Praeterea neglectâ Orientalium auctoritate in solo fere Graecorum scriptorum testimonio acquievit. Horum contra nullam plane rationem habuerunt reliqui duo scriptores, quorum tamen in universum longe major et laude dignior fuit industria. Quamvis qui scriptioni suae formulam Plautinam subjecit, in historia tradenda justo brevior fuisse deprehenditur, de qua tertiae ejusdemque praestantissimae Commentationis, BORGERI verbis insignitae, auctor paullo uberius fortasse quam necessarium erat disputavit, at cum omnem illius aetatis memoriam haud satis teneret, multis in locis a rerum gestarum fide plurimum aberravit. Quae imperfecta universae historiae in utroque scriptore scientia etiam hoc effecit, ut neuter eam Commentationis suae partem, quae in causarum expositione occupatur, satis diligenter elaboraret. Sic, ut pauca e multis afferantur, nullam hic mentionem factam esse videmus dissidiorum Ecclesiae Graecae et Latinae, quae Byzantino imperio praesentissimum exitium attulerunt, nullam politices admodum perversae et corruptae Principum Europaeorum, in sua potius viscera saevientium, quam Turcarum dominationem a suis aliorumque cervicibus amolientium. Etsi fatendum est in causis investigandis tantum tertiae Commentationis auctorem adversario suo praestitisse, quantum hic eum Latinae linguae usu superet. Quod tamen non ita accipiendum est, quasi in ista Commentatione sermonis integritatem omnino probandam existimet Facultas, quae simpliciter statuit, hunc scriptorem hac in re ceteris aliquanto majorem operam posuisse. — Judicavit igitur Facultas hunc sermonis Latini, illum rerum diligentius expositarum causa, publice collaudandum esse, eosque ad nomina sua prodenda invitavit; cui Facultatis desiderio solus obtemperavit is, quem reliquis duobus praestantiorem esse censuerat, ornatissimus EDELHARDUS BERNARDUS SWALUE, Theolog. Stud. in Acad. Lugd. Batavâ.

IV.

ORDINIS MEDICORUM.

Ad propositam Quaestionem de structura Uteri unicam tantum accepit Commentationem, cui sequens lemma inscriptum erat:

Defendat, quod quisque sentit: sunt enim judicia libera. Quid sit in quaque re maxime probabile, semper inquiremus. CICERO *Tusc. Quaest. Lib. IV. Cap. IV.*

Judicavit autem Ordo auctorem propositam Quaestionem minime solvisse, atqui ergo praemium non mereri.

V.

ORDINIS JURECONSULTORUM.

Ad propositam Quaestionem: *Quid Vectigalia et Tributa, pro diverso genere modoque, faciunt ad industriam civium vel incitandam, vel frangendam, et ita divitias Nationis augendas, vel exhauriendas?* una Ordini est oblata Commentatio his inscripta verbis: » *Het doel van*
» *al-*

» *alle Finantieële instellingen, en de bron van alle belastingen, is de* » *algemeene welvaart".* G. K. VAN HOGENDORP, *Bijdragen tot de Huishouding van Staat.* Cujus scriptionis auctor industriam et laborem, laudabile consilium et OEconomiae Politicae studium Ordini probavit, nec tamen argumentum sic elaboravit, ut praemio posset ornari, cum varia tributorum et vectigalium genera recensere potius, quam, quid ad incitandam frangendamve civium industriam divitiasque Nationis augendas vel exhauriendas singula faciant, argumentis e disciplina ductis probare et rerum exemplis confirmare visus sit. Accedit oratio nec pura neque perspicua, quae, licet argumento dandum esset aliquid, limatiori tamen cura multum potuisset castigari.

* * *

PROGRAMMA

CERTAMINIS LITERARII

A

RECTORE ET SENATU ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE,

D. VIII. MENSIS FEBRUARII

A. MDCCCXXVII.

INDICTI.

Rector et Senatus Academiae Lugduno-Batavae; ex Augustissimi Regis Edicto d. 2 Mensis Augusti A. MDCCCXV. N°. 14., omnes Academiarum Belgicarum Cives, et Athenaeorum alumnos in annum sequentem ad certamen Literarium invitant et evocant, et propositas a singulis Ordinibus Academicis quaestiones promulgari jubent:

ORDO DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM sequentes proponit Quaestiones:

E MATHESI.

Tuborum opticorum exponatur Theoria Mathematica.

E PHYSICA.

Explicetur breviter Theoria corporum fluido *liquido* innatantium; et speciatim illius fiat applicatio ad naves onerandas, ita quidem, ut in aquâ maximè stabilem situm vel aequilibrium servent.

Ex ASTRONOMIA.

Quum observationum Astronomicarum fundamentum in accuratâ temporis notitiâ maximè sit positum, quaeritur, ut praecipuae methodi, quibus tempus exactè definiatur, perspicuè explicentur, et aptis exemplis, in primis vero observationibus, ab ipsis commentationum auctoribus institutis, illustrentur.

E CHEMIA.

Exponatur et illustretur experimentis, quisnam sit Electricitatis in mixtione corporum mutandâ effectus, quatenusque ex eo affinitates sive attractiones et operationes chemicae possint intelligi et explicari.

E RE HERBARIA ET OECONOMIA RURALI.

Plantae alicujus, quae ad vitae usum coli solet, exponatur Historia Naturalis, ejusdemque Anatome, Physiologia, Analysis Chemica, Cultura et Usus.

Quaestiones, quas ponit ORDO PHILOSOPHIAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

I. Locus de *Animi Naturâ* ita explicetur, ut primum concinnè exponantur, ac dijudicentur praecipua argumenta, quibus summi veteris, et recentioris aevi Philosophi in utramque partem disputarunt, de animi naturâ corporeâ an incorporeâ: — deinde ostendatur, quare demonstratione Mathematicâ certi quid hâc in re effici nequeat, sed ex rationis auctoritate, ejusque tanquam fide nixum (vulgo *veritatem fidei* appellant) hoc tenendum sit, hominis animum esse naturam a corpore secretam, simplicem, et esse personam.

II. Describatur PLATONIS Dialogus *Gorgiae* nomine inscriptus; ejusque sermonis cum locus, tempus, personarumque res et ingenium illustrentur: tum praecipua opera conferatur, ad universum disputatio-

nis

nis consilium et argumentum explicandum; ejusque tam vicissitudines, quam sententias, et ad reliqua persequenda, quae ornandi caussâ interponuntur.

ORDO MEDICORUM hanc proponit Quaestionem:

Quaenam sanior est *Humorum Pathologia*, nostris temporibus admittenda?

ORDO JURE CONSULTORUM hanc proponit Quaestionem:

Quid Jure Criminali cum philosophico tum hodierno Belgico praecipitur de puniendis factis lege civitatis poenali vetitis, sed extra territorium ejus admissis?

ORDO THEOLOGORUM hanc proponit Quaestionem:

E JOANNIS CHRYSOSTOMI Opere *de Sacerdotio*, et AUGUSTINI cum *de doctrina Christiana* Libro quarto, tum *de catechisandis rudibus* Libello, nec non ex AMBROSII *de officiis ministrorum Ecclesiae* Libris, conquirantur et justo ordine disponantur praecepta, quae, in sacro administrando munere, etiamnunc in usum suum convertere possint doctrinae Christianae interpretes.

Commentationes, Latina tantum oratione conficiendae, et aliâ, quam auctorum manu describendae, ante diem 1 Novembris hujus anni mittuntor ad Virum Clarissimum LUCAM SURINGAR, Academiae Actuarium, ita ut nullis ab Academiae parte faciendis expensis detur locus. Lemmate autem omnes inscribendae, iisque adjungendae sunt schedulae obsignatae, Auctorum nomina et pronomina, integris literis continentes, eodemque exteriore parte lemmate insignitae.

Universa vero concertationis ineundae et dijudicandae ratio cognosci potest ex Edicto Regio, supra dicto, Art. 205—213.

LUCAE SURINGAR

ORATIO

DE

VARIIS, QUAE REI CHRISTIANAE OBORTAE SUNT CALAMITATIBUS, IN ILLIUS COMMODUM ATQUE SALUTEM, DIVINA MODERANTE PROVIDENTIA, CONVERSIS;

HABITA DIE VIII FEBRUARII ANNI MDCCCXXVII,

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM SOLENNI
RITU DEPONERET.

PERILLUSTRES ACADEMIAE CURATORES!

QUI HAC IN URBE ET ADJACENTI AGRO JURI DICUNDO PRAEESTIS, VIRI GRAVISSIMI, INTEGERRIMI!

QUI CIVITATIS LEIDENSIS CUM CONSULE CURAM GERITIS, VIRI AMPLISSIMI!

QUI HISCE COLLEGIIS AB ACTIS ESTIS, VIRI SPECTATISSIMI!

QUARUMVIS DOCTRINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI, COLLEGAE CONJUNCTISSIMI!

LECTORES ERUDITISSIMI!

ORACULORUM DIVINORUM INTERPRETES PLURIMUM VENERANDI!

DISCIPLINARUM ET ARTIUM DOCTORES, VIRI CONSULTISSIMI, PERITISSIMI!

LECTISSIMA JUVENTUTIS ACADEMICAE CORONA!

QUOTQUOT DENIQUE ADESTIS CUJUSVIS LOCI, ORDINIS AC DIGNITATIS, AUDITORES HONORATISSIMI!

Quam in celebrandis, ante biennium, conditae Academiae Lugduno-Batavae saecularibus publice venerati sumus Providentiam Divinam, eandem et hodierno die nos oportet grato animo venerari ob multiplicia, quae et altero hoc lustri quinquagesimi anno largâ manu in nos contulit, beneficia Supremum idemque benignissimum Numen.

Fateor equidem A. H. non omnia et singula, quae Academiae nostrae hoc anno contigerunt, hodieque in magistratus mei exitu sunt commemoranda, gaudii praebuisse materiam. Fateor, quem ad modum inter homines fieri solet, ita quoque postremo hoc tempore laeta tristibus, prospera adversis fuisse mixta et varias nos expertos esse rerum nostrarum vicissitudines.

At vero illud nobiscum reputantes, non possumus non laudare providam Dei Optimi Maximi curam, rebus humanis non solum universis, verum etiam singulis ita consulentem, ut laetae et prosperae longe multumque superent adversas, atque ut ex omnibus, quae ipso moderante eveniunt, etiamsi tristia admodum nobis videntur et infausta, plura saepius oriantur commoda et emolumenta.

Illud animo volventi et argumentum, quod brevi oratione hodie exponerem, circumspicienti, haec sese mihi obtulit cogitatio, eandem providam Dei omnipotentis curam, quam in postremis hujus Academiae fatis agnoscere debemus ac pie venerari; multo luculentius etiam in universâ Christianae Societatis, duodeviginti abhinc saeculis conditae, historiâ elucere, ita quidem, ut, si atrocissimas calamitates, quae per temporis illius decursum omnem rem Christianam toties afflixerunt, si hostium vim et artes, si natos in doctrinâ ac disciplinâ errores, si mutuas Christianorum concertationes atque dissidia ad animum revocemus, non possimus non mirabundi quaerere, quâ ratione factum sit, ut Christiana Societas salva et incolumis manserit in hunc usque diem, et Religio, quam docuit generis humani Servator, ad nos pervenerit incorrupta, maximâque etiamnum praedita sit ad hominum salutem vi et efficacitate?

Ad quaestionem hanc mihi quidem videtur respondendum, fieri non potuisse, ut res Christiana, variis modis agitata, nec mediocriter interdum concussa, perduraret atque amplificaretur, nisi, quae maxime habebantur infausta atque interitum ei videbantur allatura, ita in bonam partem convertisset cunctarum rerum moderatrix Providentia divina, ut quam plurima inde nascerentur commoda et emolumenta.

Quoniam igitur hodierno die, jubentibus more antiquo et Lege Regiâ, Rectoris munus deponens; ad Vos A. H. verba facere debeo, dicam *de variis, quae rei Christianae obortae sunt, calamitatibus, in illius commodum atque salutem, divinâ moderante Providentiâ, conversis.*

Nolite existimare A. H. hoc argumentum eo me elegisse consilio, ut novi aliquid et inauditi in medium proferrem, quod sane in hac Virorum, multiplici eruditione Clarissimorum, coronâ si vellem suscipere, temeritatis et arrogantiae culpam a me amoveri non posse equidem existimarem.

Eâ vero de causâ hoc mihi potissimum placuit argumentum, quoniam ad Religionem spectat Christianam, in quâ omnium, quae a Deo O. M. in genus humanum collata sunt, beneficiorum, summum et maxime praeclarum nobis contigisse profitemur omnes, quamque adeo et amore et studio nostro censemus dignissimam. Itaque vos A. H. libenter audituros esse confido, quae ad confirmandam de hujus Religionis praestantiâ ac salubritate persuasionem, alendamque ac roborandam in providâ Dei curâ fiduciam nostram facere possint. Nec denique a ratione muneris, quo per triginta jam et quod excurrit annos, favente Deo, fungi mihi licuit, alienum videtur hoc argumentum; quod igitur dum simplici, perspicuâ et ad omnium intelligentiam, compositâ oratione exponere conabor, Vos A. H. faciles mihi et attentas praebeatis aures perhumaniter rogo.

Antequam ad ipsam rem veniam, verbo monendum censeo, ex ingenti numero calamitatum, quae rei Christianae evenerunt, eidemque fuerunt utilissimae, nonnullas tantum hîc posse commemorari. Omnes enim et singulae si vel leviter attingerentur, vix finis esset Orationi. Facto igitur e magnâ, quae sese nobis jam offert, rerum multitudine, delectu, in quibusdam tantum, quae prae reliquis memoratu digna videantur, perlustrandis versabimur.

Primo quidem loco hic in censum veniunt hostium injuriae et vexationes, quibus a primâ inde aetate expositi fuere Christiani.

Quod optimus Servator suis praedixerat, fore ut qui ipsius profiterentur Religionem, propterea et popularium et exterorum odia experirentur, multisque et atrocibus affligerentur malis, id eventu fuit comprobatum. Tantum vero abest, ut hâc ratione imminuta fuerit res Christiana, ut eadem contra eximium inde ceperit emolumentum, et res adversae haud parum contulerint ad Religionem Christianam quam celerrime propagandam, stabiliendam, amplificandam.

Quodsi Christianorum coetus, quem post Iesu ex hoc terrarum orbe discessum Hierosolymis constituerant ejus discipuli, diuturnâ gavisus fuisset prosperitate, sensim modo sensimque reliquis Judaeis aliquid de eorum doctrinâ innotuisset, nec nisi lento gradu inter gentem, tam fervido ad ritus Mosaicos et sacra a Majoribus tradita studio ductam progredi potuisset melior illa et perfectior Religio, quae ex consilio divino, Vatum antiquorum Oraculis jam patefacto, in locum succederet Religionis Mosaicae. Sed nostis omnes A. H. gravem calamitatem Christianos Hierosolymis degentes afflixisse, eâque fuisse effectum, ut multi eorum fugâ sibi consulerent, in alias terrae Judaicae regiones migrarent, ibique nunciandae et propagandae Religioni strenuam navarent operam, atque ita recens conditam Christianorum societatem, perpetuò licet afflictam, nova tamen in dies per omnem Judaeam Samariamque cepisse incrementa.

Non Judaeis tantum, sed omnibus hujus orbis terrarum populis destinata erat Religio Christiana. Haec vero extra angustos Palaestinae fines cognosci vix potuisset, nisi quosdam ejus doctores gravissimae, quas a Judaeis accipiebant, injuriae coëgissent e patriâ suâ in alias se conferre regiones. Quo facto per omnes Imperii Romani, quâ late patebat, provincias salutaris lux dispergi potuit. Quae res quam prospere successerit, et quanta jam Apostolorum aetate hujus doctrinae quaquaversum propagatae fuerit amplitudo, abunde testantur tum eorum scripta, tum et alia veteris aevi monumenta.

An igitur communi consensu cultiores populi, Graeci et Romani, receperunt Religionem Christianam, hujusque doctores, nemine obloquente, novos ubivis coetus potuerunt colligere? Minime gentium. De sanctitate Religionis a Majoribus acceptae, legibusque stabilitae antiquissimis magnifice sentiebant, sacrisque, quibus innutriti fuerant, tenacissime adhaerebant omnes illi populi, ad quos perferebatur nova Religionis Christianae doctrina. Itaque haud mirum, initio plerosque Religionem hanc opinionibus suis ac moribus, Majorumque institutis oppositam neglexisse et contemsisse. At vero postquam insignem in modum creverat Christianorum numerus, et nova haec secta antiquis Romanorum sacris haud parum damni adferre coeperat, multos illa nacta est obtrectatores et inimicos, ex iis praesertim, qui vitiis ac sceleribus dediti metuebant, ne suae dissolute vivendi licentiae frenum injiceretur. Magni mox undique tollebantur clamores, instituta Majorum, quibus omnis reipublicae salus contineretur, esse vindicanda; qui negligerent, non esse audiendos; qui destruere vellent, severis poenis esse coërcendos. Hinc non tantum seditiosa plebs Christianos lapidibus, incendiis, caedibus invadebat, verum etiam Imperatorum Romanorum, qui in tolerandis peregrinorum sacris ceteroquin admodum erant faciles, iniqua in Christianos edicta, omni quâ poterant severitate exsequebantur Provinciarum praesides ac magistratus, atque ita quam plurimis in locis Christiani gravissimis injuriis, calumniis et vexationibus miserrime affligebantur.

At vero et hae calamitates rei Christianae haud uno nomine fuerunt utilissimae.

Ipsa quidem cruciatuum ac suppliciorum atrocitas non poterat, quin multorum hominum benevolentiam ac miserationem moveret, atque inde efficeret, ut non pauci inquirerent in causas tantae crudelitatis, quâ in homines illos, nullius ceteroquin criminis convictos, animadverteretur. Et quum Christianis in jus vocatis causam suam agere veramque doctrinae salutaris indolem ac rationem exponere saepius liceret, tam judicibus, quam magnae, quae passim aderat, spectantium turbae optima exoriebatur hanc Religionem cognoscendi opportunitas. Profecto, nisi Christianis tot evenissent mala, la, non tanta fuisset Religionis, quam illi profitebantur, celebritas, non tanta existimatio apud omnes, qui testes erant immotae illius animi constantiae, quae efficiebat, ut neque promissis, neque minis ad mutandam sententiam permoverentur, sed laeti et hilares in rogos escenderent, bestiarum se objicerent faucibus, vehementissimosque cruciatus et vitae supplicia tolerarent gravissima. Ita palam fiebat omnibus, Religionem hanc singularem et quasi divinam hominum animis instillare virtutem, multique permovebantur ad agnoscendam ejus praestantiam. Hinc iniquos ejus adversarios sic alloqui potuit in Apologetico suo TERTULLIANUS: » Exquisitior quaeque cru- » delitas vestra illecebra est magis sectae. Plures efficimur quoties metimur » a vobis. Semen est sanguis Christianorum." Multi praeterea ex iis, qui sive in exilium fuerant missi, sive ob vexationum crudelitatem e patriâ sponte egressi, ad remotissimas etiam orbis Romani partes doctrinam salutarem afferebant, quin et barbaris gentibus erant auctores, ut falsorum Deorum cultui renunciarent. Atque ita praeter omnem Christiani nominis hostium spem evenit, ut prioribus post Christum natum saeculis longe lateque disseminata sit ejus Religio, publica tandem auctoritate per universum Imperii Romani ambitum recepta.

Neque ad ampliorem tantum doctrinae salutaris propagationem utilissimae fuere vexationes illae, sed multa quoque alia attulerunt commoda, et hoc potissimum nomine admodum fuerunt utiles, quod arctioribus omnes Jesu sectatores conjungerent vinculis, facerentque quam plurimum ad animorum concordiam alendam, ad excitandum mutuum amorem et praestanda charitatis officia, cum in exsulibus ac profugis excipiendis, tum in consolandis misere afflictis, iisque, qui in carcerem essent detrusi, visendis, juvandis ac sustentandis.

Quid denique? Effecerunt hostium calumniae et criminationes, ut severam admodum sibi praescriberent Christiani disciplinam, et quantum fieri posset, caverent, ne aliquis in societatem reciperetur, nisi moribus esset inculpatis, vel errores ac vitia deponeret, atque ad vitae se obstringeret integritatem. Contra vero e sua arcebant societate, quotquot ejusmodi patrarent flagitia, quae nomine Christiano eos redderent indignos, dum et publicum ac socialem Dei cultum sic instituebant, ut vel ipsi hostes in eo nihil, quod reprehensione dignum esset, reperirent.

Ita dirae vexationes, quibus expositi erant Christiani, multum contulerunt ad servandam morum puritatem, quae postea, cum pace externâ, Imperatorum, Regum ac Principum favore usi, prospere suas agerent res, valde fuit imminuta.

Nec primis tantum rei Christianae temporibus praeclaros hos fructus tulerunt hostium vexationes; sed idem et postea saepius evenisse docet universa saeculorum, quae secuta sunt, historia. Exempli loco sit Christianorum conditio ab eo inde tempore, quo res eorum in tuto erant collocatae, quum ipsi Imperatores, Religionem Christianam publice professi, eam legibus muniverant, et, quo majus ei decus conciliarent, sacrorum antistites honoribus et opibus ornaverant. Quem ad modum prospera hominum fortuna passim comites habet vitae mollitiem, inertiam, ignorantiam, errores, vitia, ita quoque eâ aetate inter otium rerumque abundantiamd torpescebat paulatim Religionem propagandi eamque vitâ ac moribus commendandi ardor. Novis igitur Societati Christianae opus erat aerumnis ad excitandum et alendum doctrinae salutaris amorem, adjuvandumque vitae ex ejus praeceptis instituendae studium. Et hunc sine dubio effectum habuit gravis illa calamitas, quâ afflictum fuit Imperium Romanum, quum irruerent non modo in illud multa barbarorum hominum millia, sed stabiles etiam in occidentalibus maxime provinciis sedes collocarent, novaque in rei publicae Romanae ruinis superstruerent regna. Multi quidem primo impetu tunc oppressi atque sublati sunt Christianorum coetus, in maximum tamen verae Religionis emolumentum conversa fuit haec eorum calamitas. Etenim illi, cum salutarem doctrinae, quam profitebantur, vim per ipsas res adversas mirifice auctam experirentur, eo adduci non potuerunt, ut a Religione sua deciderent, vel ad barbarorum mores et sacra se componerent. Contra vero ex ipsis gentibus illis quam plurimae, positâ sensim sensimque barbarie, ad cognoscendam Religionem Christianam animum applicuerunt, et hanc, praeëuntibus ipsis earum regibus ac ducibus, fuerunt amplexae.

Accedo ad alterum malorum genus, quod rei Christianae inferre conati sunt Philosophi, Rhetores, Legumperiti, aliique ingenii, doctrinae et elegantiae laude florentes, quorum placita toto, quod ajunt, coelo diversa erant ab iis, quae docuerant Jesus et Apostoli. Horum igitur doctrinam latius in dies propagari, nec ullis artibus, ullove suppliciorum genere opprimi posse vehementer dolebant, qui et sibi videbantur, et ab aliis habebantur ac vocabantur mortalium sapientissimi, adeoque ferre non poterant, sectam, quae imperitos atque plebejos, quos dicebant, homines auctores conditoresque habuisset, non illiteratae tantum et abjectae hominum turbae, sed et philosophorum atque virorum doctrinae laude florentium assensu comprobari. Illud praesertim aegre admodum ferebant, quod, crescente Christianorum numero, avita non tantum decresceret religio, multis, ut jactabant, oraculis, auguriis, prodigiis nobilitata; verum etiam philosophiae honori multum detraheretur, suaque adeo auctoritas et existimatio in periculum adduceretur.

Quidquid igitur vel ingenio, vel eruditione, vel sermonis elegantiâ, vel acutis jocorum stimulis valerent, contulerunt illi ad novae, quam oderant, Religionis veritatem labefactandam: quod quoniam efficere non poterant argumentis, ad mendacia, calumnias et convitia se converterunt, nihilque reliquerunt intentatum, quo Christianorum instituta atque doctrinam in contemtum adducerent, eamque falsam esse atque repudiandam et sibi et aliis persuaderent. Horum autem hominum quo major erat apud omnes ethnicos auctoritas, tanto majus res Christiana captura videbatur detrimentum ab iis, qui et plebis et sacerdotum in Christianos furorem clamoribus suis augebant, et Magistratibus, Praesidibusque et Rectoribus Provinciarum auctores erant, ut novae Religionis doctores et amicos, quos ratione convincere non possent, ferro igneque compellerent ad silentium.

At vero haec ipsa eorum et disputandi et agendi ratio, Deo sapienter sic dirigente, rei Christianae profuit magis quam nocuit, eique egregios conciliavit vindices, quorum alii ad criminationes atque calumnias adversariorum respondebant, Deorumque, quos populorum venerabatur superstitio, vanitatem invictis demonstrabant argumentis, alii vero Religionis, quam profitebantur, capita et praecepta moralia explicando ejusdem praestantiam, et vim salutarem, et veritatem, et originem divinam ita tuebantur, ut quam plurimos ab errore, quo implicati essent, ad rectam viam revocarent efficerentque, ut multi sacra Christiana ultro amplecterentur.

Itaque providam Dei O. M. veneremur atque suspiciamus curam in excitandis his Religionis Christianae defensoribus, qui, licet non ab omni parte probanda sit eorum, subtilius haud raro quam verius disputantium, ratio, tunc temporis de re Christianâ optime sunt meriti, suisque effecerunt scriptis, ut doctrinae salutaris honos vindicaretur, eique ab ejusmodi criminationibus nihil amplius esset metuendum.

At vero longe majus rei Christianae imminuit periculum ab eo inde tempore, quo, pulsâ medii, quod dicitur, aevi barbarie, fractisque superstitionis, quae per multa saecula in orbe Christiano dominata fuerat, vinculis, novi insurrexerunt Religionis divinitus patefactae adversarii, antiquis illis longe peritiores et audaciores, qui, bonarum Literarum luce denuo exortâ et concessâ libertate turpiter abusi, sermonibus ac scriptis multa in medium protulerunt, exornarunt acriterque defenderunt dubia, tum universe contra divinam Sacri Codicis auctoritatem, tum adversus pleraque doctrinae Christianae capita, quae tamquam ad salutem obtinendam haud necessaria, immo nobilioribus ingeniis plane indigna, omninoque noxia et perniciosa, hostili animo oppugnabant, hominumque, si fieri posset, ut manibus excuterent ac mentibus, nefario molimine enitebantur.

Nostis A. H. a medio inde saeculo decimo sexto in *Italia* primum, in *Francia* deinde ac *Britannia* non paucos, in hâc nostrâ Patriâ nonnullos, et recentiori memoriâ multo plures inter *Anglos*, *Francos*, *Germanos*, aliosque populos fuisse, qui divinam Sacri Codicis auctoritatem, traditaeque in eo doctrinae praestantiam ac salubritatem omni, quo possent, modo infringere et labefactare conarentur. Et cum plerique eorum haud vulgari ingenii acumine, insigni eruditionis apparatu, atque subtiliter disputandi peritiâ essent instructi, simul vero uterentur scribendi genere ad incautos et levis animi homines alliciendos maxime accommodato; haud mirum profecto, horum conatibus multos eo fuisse adductos, ut, quae ab omni aevo communi intelligentium suffragio vera ac divina fuissent habita, vel in dubium vocarent, vel plane repudiarent; haud mirum, fuisse quam plurimos, quibus Religio Christiana, quae primâ aetate de erroribus, vitiis ac sceleribus humanis triumphos egisset adeo praeclaros, jam locum suum et pristinum decus vix ac ne vix quidem obtinere tuerique posse videretur.

Tantum vero abest, ut haec Religio, quâ nihil praestantius, nihil optabilius umquam humano generi divinitus concessum est, hinc aliquid ceperit detrimenti, ut contra multi utilissimique inde provenerint fructus. Suis enim cavillationibus atque criminationibus nihil aliud effecerunt isti adversarii, quam ut generosum illud Religionis tuendae studium, quod inde a saeculo sexto neglectum fere jacuerat, vel inepte admodum fuerat institutum, denuo revivisceret, et ut peritiores orirentur doctrinae Christianae defensores, qui ejus praestantiam, veritatem atque originem divinam longe evidentius quam ante demonstrarent, novaque et firmissima invenirent praesidia, quibus hominum pectora in fide optimo generis humani Servatori data conservari possent et corroborari.

Praeterea recentiores illi doctrinae Christianae adversarii, qui haud mediocriter docti ingenio suo ad impugnandam S. Codicis auctoritatem abutebantur, viros eruditos et religionis amantes non tantum ad ejus causam defendendam excitarunt et inflammarunt, verum etiam commonstrarunt iis viam ac rationem certaminis hujus bene instituendi. Quemadmodum enim prudentior quisque majorem ab inimicis, quam ab amicis, percipere potest utilitatem, ad errores suos et agnoscendos et emendandos; ita quoque Religionis nostrae doctores ac vindices ab ipsis ejus adversariis impositam sibi senserunt necessitatem, in Literis Graecis, Latinis, Orientalibus, in Philosophiâ item, Historiâ, Antiquitate, aliisque disciplinis operam ponendi diligentissimam, ut hisce praesidiis muniti loca S. Codicis, quae inter se pugnare videbantur, conciliarent, aliaque, quae male intellecta largam praebuerant cavillandi materiam, rectius interpretarentur, ut oracula divina ab ingenii humani inventis discernerent, atque sic tandem ad nativam simplicitatem ac perspicuitatem revocarent, quae Jesus et Apostoli auctoritate divinâ docuerant de viâ ac ratione, quâ nobis hominibus ad summam atque perennem beatitatem pervenire liceat.

Quid dubium igitur? Accuratiori profecto Religionis expositione destituti essemus, nisi eadem peritos nacta fuisset et audaces obtrectatores. Quamobrem neminem vestrum fore confido A. H., quin grato agnoscat animo, Deum, cujus nutu et imperio cuncta geruntur, quique pro infinitâ sapientiâ suâ e tenebris lucem, ex rebus perturbatis ordinem elegantissimum ducere solet, ipsorum adversariorum vi et impetu sic usum esse, ut Religionis dignitatem ac splendorem tueretur, eique nova fulcra, novumque decus conciliaret.

Habetis A: H. mala rei Christianae ab ejus adversariis illata, quae tamen in magnum ejusdem emolumentum convertere voluit cunctarum rerum moderatrix Providentia divina.

Reliquum est, ut dicam de malis, quae ex Christianorum erroribus atque dissidiis enata longe pejora fuerunt et graviora. Quem ad modum enim in re publicâ mutua civium odia omnium maxime sunt perniciosa, et bella intestina plus nocent, quam quae cum exteris geruntur, ita quoque Christianorum, in studia contraria et partes diversas abeuntium, discordia causa fuit innumerarum, quas horret animus et refugit meminisse, calamitatum.

Ipsi quidem Religioni imputandum non esse, quod inter ejus cultores tot enata fuerint dissidia, vix opus est ut moneatur. Quaecunque enim ipse Dei Filius Jesus Christus, ejusque ad genus humanum legati et docuerunt, et praeceperunt, et instituerunt, evidentissime comprobant, hoc eorum fuisse consilium, ut omnes, qui salutari illâ luce collustrarentur, homines, aetate licet et ingenii culturâ et vivendi consuetudine diversi, in unam conjungerentur familiam, ut, sublato Judaeorum et reliquarum gentium discrimine, omnium animi arctissimis mutui amoris vinculis colligarentur, omnesque et singuli ad ejus praecepta vitam et mores componendo verae atque perennis felicitatis redderentur participes.

Itaque ab indole et argumento Religionis, quam simplici admodum et perspicuâ, atque ad popularem intelligentiam accommodatâ ratione docuerat optimus Servator, nihil magis alienum, nihilque Societati, quae ab illo appellatur, tristius accidere potuisse videtur, quam quod a simplici illâ ratione, quam Ipse praeiverat, sensim sensimque deflecterent, qui non tantum rerum divinarum notiones subtiliter definire, suoque abditissima quaevis ingenio explorare et assequi conarentur, verum etiam Philosophiae, quae aetate quâque viguit, sive Hebraeo-Alexandrinae, sive Platonicae, sive Aristotelicae, sive altius cujusdam placitis, modisque loquendi uterentur ad Christianam doctrinam uberius explicandam, copiosius ornandam atque cultioris ingenii hominibus commendandam.

Haud mirum profecto, magnam inde ortam fuisse opinionum a verâ Christi doctrinâ discedentium varietatem, multa sanctissimae Religionis capita tenenebris fuisse involuta, iisque, quae praeceperat et instituerat optimus Servator, addita fuisse non pauca, quae a mente Jesu et Apostolorum essent aliena, quorumque nulla existeret in S. Literis memoria. Hinc diversae illae in Societate Christiana sectae atque haereses, quarum numerum si vellem inire, Vobis A. H. taedium crearem, me vero dies viresque deficerent. Hinc illae de rebus ad Religionem pertinentibus lites et concertationes, maximo animorum fervore, quin et furore, nonnumquam agitatae, quibus Christianae societatis miserrime turbatae facies tam foeda reddebatur ac tetra, ut omnem spem, ad meliorem statum majoremque perfectionem tendentis, generis humani fallere eventus videretur. Hinc denique mutua illa Christianorum in diversas partes abeuntium odia et bella, quae acerbissimum hunc saepius tulerunt fructum, ut miserum in modum quassata et lacerata eorum res publica barbarorum hostium ferociae nudum latus daret, et in Oriente potissimum, ubi florentissima olim fuerat eorum res, jam pridem integrae exstiterint regiones, e quibus omnis doctrinae salutaris memoria funditus sit deleta, hâc potissimum de causâ, quod ejus doctores in argutis quibusvis disquisitionibus, atque in sectae suae placitis defendendis majorem ponerent operam, quam in tuendâ ac propagandâ Religione.

Nolite tamen existimare A. H. lites illas et controversias, quae tot ac tantis Christianorum societatem afflixerunt calamitatibus, ipsi Religioni adeo nocuisse, ut statuendum sit, Conditorem ejus divinum consilio suo excidisse, reique Christianae in universum longe melius consulturum fuisse, si prohibuisset, quo minus umquam de ejus argumento dissentiendi disputandique locus fuisset. Immo vero sapienti ac benignâ Dei Providentiâ factum esse, ut utilitas ex eâdem dissensione orta calamitates illas multiplici fructu compensaret, affirmare sustineo.

Novimus, jam Apostolorum aetate istam opinionum diversitatem in coetibus recens formatis multarum contentionum atque turbarum exstitisse causam, et non paucos a rectâ, quam ingressi fuerant, viâ abduxisse. Ipsi tamen Religioni plus emolumenti, quam detrimenti, attulisse haec dissidia, nemo Vestrum negaverit A. H. qui secum reputet, doctoribus divinitus missis natam hinc esse de verâ doctrinae Christianae indole magis aperte sententiam dicendi opportunitatem, hosque adeo universum ejus argumentum ita exposuisse, ut arctissimus ejusdem cum hominum salute nexus omnium in oculos deberet incurrere.

Nec aliud insequenti accidit aetate. Errores atque dissidia saepenumero turbarunt rem Christianam, atque nativum Religionis nitorem obscurarunt; plerisque tamen eorum, quibus Religionis docendae munus esset mandatum, vel qui ejus explicandae ac defendendae susciperent provinciam, validissima fuerunt laboris ac diligentiae incitamenta, eorumque acuerunt ingenia ad veram doctrinam rectius cognoscendam atque firmiori fundamento stabiliendam. Fingite quaeso A. H.! vel miraculo effici potuisse, ut omnes, qui Religionem profiterentur Christianam, simplici S. Codicis doctrinae adhaerentes ab ulteriore ejus explicatione abstinuissent, adeoque ob diversas de eâ sententias nullae umquam exstitissent turbae; quid tum? Nonne pax illa et quies plerosque inertes reddidisset et socordes? Quid quaeso homines ex illo inertiae somno ad virium suarum experientiam et alacritatem potuisset excitare? Quid iis ingenium exercendi, acuendi, excolendi dedisset opportunitatem? Nonne in accuratâ rerum utilissimarum cognitione parum operis fuisset positum? Nonne prorsus neglecta jacuissent literarum adeoque et S. Codicis recte intelligendi studia? Vera igitur est Pauli Apostoli sententia, fieri aliter non posse, quam ut dissidia existant.

Fateor equidem, parum emolumenti in rem Christianam redundare potuisse e subtilioribus illis disputationibus, quibus haud pauci delectabantur. Fateor, multas fuisse controversias futiles, de verbis magis, quam de ipsâ re agitatas, exinde potissimum ortas, quod homines sententias suas ambigue nec satis evidenter proponerent, vel e disputandi peritiâ majorem sibi quaererent gloriam, quam ex iis, quae vera sint, simpliciter et perspicue tradendis.

At vero qualescunque tandem fuerint lites illae per se parum fructuosae, et quamvis haud raro evenerit, ut, qui ad refutandos errores se accingerent, disputandi fervore imprudentes nonnumquam et inviti in oppositos errores abriperentur, rei tamen Christianae profuerunt magis, quam nocuerunt, ejusmodi disputationes. Plerumque enim, cum utraque pars, ut fieri solet, ad extrema descenderet, facilius reperiri et majori splendore ex er-

errorum nebulis refulgere potuit una et aeterna veritas, quae, dum opinionum commenta delet dies, novis continuo viribus aucta, ab hominum temeritate ac proterviâ inconcussa manet et inexpugnabilis.

Plura equidem, nisi jam ad alia vocarer, hic possem commemorare, quae ultro demonstrent, rem Christianam in continuis, quas experta sit, vicissitudinibus ita divinitus fuisse servatam, ut, quae vel maxime nocitura viderentur, ipsi haud exiguo fuerint emolumento. Vestrâ tamen A. H. nolo abuti patientiâ. Quae diximus abunde probant singularem plane Dei O. M. fuisse curam in tuendâ Re Christianâ atque augendâ, quin et ea ipsa excitare nos debent ad laudes Illius, cujus nutu et imperio cuncta reguntur, piâ mente celebrandas.

Veneremur ergo A. H., veneremur Deum Religionis nostrae auctorem ac vindicem, qui nobis eam in hodiernum usque diem illibatam conservavit, et hanc animis nostris foveamus et alamus spem atque fiduciam, fore ut doctrina illa salutaris, quae tam varios et acerbos casus feliciter superavit, atque ad nos pervenit integra et incolumis, in posterum quoque eâdem providâ Dei curâ servetur, et fractis tandem hostium viribus, discussisque errorum nebulis, universum aliquando terrarum orbem luce suâ collustret.

Tempus me vocat ad commemoranda quae fuere, me Rectore, hujus Academiae fata, tum tristia, tum laeta.

Itaque mihi sentio impositam necessitatem renovandi doloris, quem percepimus ex allato nobis nuncio, Cl. Collegam, CORNELIUM EKAMA, A. L. Magistrum et Philosophiae Doctorem, Matheseos et Astronomiae Professorem Ordinarium, diem obiisse supremum, nostraeque Academiae grave denuo inflictum esse vulnus, eo acerbius dolendum, quo plura in ejus decus atque emolumentum exspectare licuisset a Viro, cui prospera et constans valetudo et insigne corporis robur longam vitam polliceri videbatur: Sed, ut vere scripsit CICERO: » O fallacem hominum spem fragilemque fortunam » et inanes nostras contentiones! quae in medio spatio saepe franguntur et » corruunt, aut ante in ipso cursu obruuntur, quam portum conspicere po» tuerunt".

Ut vero; quod hujus diei postulat solennitas, de vitâ et meritis Viri praeclari paulo uberius dicam, ab initio capiamus exordium.

CORNELIUS EKAMA d. 31 Martii, anno superioris saeculi septuagesimo tertio, natus in *Frisiae* pago maritimo *Paesens*, patrem habuit JOANNEM EKAMA, divinorum Oraculorum Interpretem Venerandum, qui septennio post uxori et binis, quos ex ea susceperat, liberis praematurâ morte fuit ereptus.

Ingens haec, quam tenerâ aetate EKAMA noster fecit, jactura quo minus educationis ejus fructum interciperet speratum, prohibuit, favente Deo, matris, HENRICAE LEONIS POSTHUMA, matronae praeclaris animi dotibus conspicuae, prudentia. Illa enim, postquam maritus e vivis abierat, cum filio filiâque commigravit *Doccumum*, ubi, qui affinitate ei junctus erat, eruditissimus JOANNES GULIELMUS DE CRANE eo tempore Rectoris munere fungebatur, dignissimus ille, cui pia mater unicum filium committeret erudiendum (1).

Hunc igitur virum praestantissimum *Doccumi* primum, dein *Enchusae*, habuit praeceptorem, et cum eodem Viro Clarissimo, ad Historiam et Literas humaniores in Academiâ Frisiacâ docendas vocato, abiit *Franequeram*, ibique anno superioris saeculi nonagesimo Civium Academicorum Catalogo adscriptus est Theologiae operam daturus. In Literis igitur humanioribus egregiâ utebatur institutione Virorum Clarissimorum VERSCHUIRII, WASSENBERGHII et, quem modo memorabam, CRANII, dum in Philosophiâ Theoreticâ, Physicâ et Astronomiâ Clarissimum CHAUDOIR, in Mathesi Clar. THOLEN habebat praeceptores.

Ardens rerum naturam diligentius intuendi, earumqne causas et effectus investigandi studium, singularem quamdam in lusibus Mechanicis dexteritatem, et pro aetatis ratione haud vulgarem pingendi peritiam in eo, adhuc puero, animadverterat Clar. DE CRANE, studiorum ejus moderator prudentissimus, qui propterea ei auctor fuit, ut altero stadii Academici anno ad Mathesin, Physicam et Astronomiam animum applicaret. Huicce consilio lubens admodum obtemperavit juvenis, cui gratissima erant et jucundissima, quae puer jam in deliciis habuerat, studia. Novo igitur discendi ardore mox ad Mathesin se convertit, eamque ut et Physicam et Astronomiam tam strenue excoluit, ut praeceptoribus egregios suos profectus quam maxime probatos redderet, eorumque sibi conciliaret amorem ac familiaritatem.

---

(1) Virum hunc Clarissimum pleraque, quae de Clar. defuncto retuli, mecum communicasse, gratus profiteor.

Neque tamen studia Theologica, quibus inprimis destinatus erat, negligens tuae esse tradidit disciplinae Clar. VOORSTI! tuisque scholis, quas et mihi, quod laeto et grato animo recordor, frequentare licuit, modestus, attentus ac docilis adfuit auditor.

Anno deinde superioris saeculi nonagesimo sexto S. Ministerii Candidatis adscriptus, et brevi post ab *Elkerzaeënsibus*, in *Zeelandiae* Insula *Scaldia*, oraculorum divinorum interpres vocatus (2), id quidem agebat maxime, ut provinciam sibi mandatam fideliter administraret, horas tamen, quae ipsi supererant, subsecivas collocabat utiliter in rebus Naturalibus et Mathematicis, et cum bis quotannis ad salutandos consanguineos et amicos *Franequeram* se conferre soleret, tempus illud ad otium et quietem sibi concessum, non languori nec desidiae dabat, sed cum Viris Clarissimis, quos praeceptores habuerat, colloquia instituens de disciplinis, quibus tantopere delectabatur, novam eorum, quae domesticis exercitationibus tractaret, sibi comparabat copiam.

Erat eo tempore *Ziriczaeae* Collegium virorum, qui excolendis disciplinis Mathematicis et Physicis delectabantur. Hi, cognitâ Sacrorum antistitis *Elkerzaeënsis* in rebus Naturalibus et Mathematicis peritiâ, hunc assumserunt sodalem, qui de hisce disciplinis, tempore hiberno, lectiones aliquot haberet, quorum virorum voto per plures annos ita satisfecit, ut omnium, qui aderant, plausum ferret.

Postquam ille in Academiâ Frisiacâ Artium Liberalium Magister et Philosophiae Doctor, honoris causa fuerat renuciantus (3), Physicae artisque nauticae inter *Ziriczaeënses* docendae provinciam, Lectoris Honorarii titulo, obtulerunt ipsi Urbis illius Magistratus (4), quod quidem munus suscepit habitâ sermone Belgico oratione de artis navigandi scientiâ Reipublicae bene ordinatae inprimis utili (5).

---

(2) Munus illud sacrum d. 9 Octobris 1796. auspicatus est.

(3) D. 17 Maji 1800. promotore Cl. CHAUDOIR.

(4) D. 22 Januarii 1805.

(5) D. 30 Martii 1803.

Novo hoc honore ornatus quâque hebdomade quatuor dies in urbe commorabatur, reliquas dabat coetui, cui praefectus erat, atque ita aliis inserviendo vitam agebat laboriosam, cui et hoc accedebat, quod, jubentibus Reipublicae Batavae Moderatoribus, acta curaret Collegii, quod ad agriculturam in *Zeelandiâ* promovendam fuerat constitutum et *Medioburgi* solebat convenire.

Virum hunc variis in disciplinis adeo versatum, et in negotiis curandis tam alacrem atque constantem, sibi totum vindicandum esse censuerunt *Ziriczaeënses*, eumque anno hujus saeculi quinto Matheseos, Physicae, Astronomiae, Artis Nauticae, et Anatomiae ac Physiologiae Lectorem renunciarunt (6).

Erat illi honorifica haec et lauta provincia valde accepta, hanc inprimis ob causam, quod jam disciplinarum, quibus adeo delectabatur, studia severiora persequi posset et excolere.

Posito igitur munere sacro, quo per novem fere annos functus fuerat, *Ziriczaeam* tendit, ibique provinciam sibi mandatam ita ornavit, ut magnam apud omnes, quibus notus erat, existimationem, novaque ad alios docendos sibi compararet subsidia, quorum in publica commoda adhibendorum alia mox et uberior ipsi nascebatur opportunitas.

Illustribus enim Academiae Frisiacae Curatoribus auctor erat Cl. VAN SWINDEN, idoneus ille ac prudentissimus ingeniorum judex, ut EKAMAM nostrum vocarent ad Cathedram, quam ipse olim per duodeviginti annos ornaverat SWINDENUS, et quâ jam se abdicaverat Cl. CHAUDOIR.

Itaque Logices, Metaphysices et Astronomiae docendae provinciam suscepit, habitâ *de Frisiâ, ingeniorum Mathematicorum inprimis fertili*, Oratione (7), quâ in lucem editâ adeo crevit de ejus ingenio et eruditione existimatio, ut non tantum haberetur Mathematicus peritus, artisque suae historiam ac fata bene edoctus, verum etiam dignus, qui claris Frisiae Mathematicis, quos publice laudaverat, ipse accenseretur.

---

(6) D. 27 Februarii 1805.

(7) Mense Septembri anno 1807 Professor Ordinarius designatus Ziriczaeënsibus suis d. 9 Martii 1808 valedixit et Franequerae mox Scholas aperuit. Anno sequenti d. 1 Junii 1809, publice dictâ Oratione munus auspicatus est.

Summâ cum laude munere illo functus est ad annum usque hujus saeculi undecimum. Tunc enim exstinctâ Imperatoris Francici decreto Academiâ Franequeranâ, antiquâ illâ et celebri Musarum sede, loco suo et munere movebatur. Brevi tamen post in Academiam Lugduno-Batavam, tunc quasi instauratam, Matheseos et Astronomiae Professor Ordinarius vocatus fortunarum sedem in hanc urbem nostram transtulit, matris quidem carissimae paucis antea mensibus sibi ereptae mortem lugens, sed dilectissimae sororis in re domesticâ curandâ atque in educandis liberis, quos orbos reliquerat et ipsius curae commiserat Cl. JOANNES MULDERUS, fideli usus auxilio, donec et illa anno hujus saeculi decimo septimo diem obiret supremum.

Jam ille sorore, quâcum per plures annos conjunctissime vixerat, orbatus de ineundo matrimonio serio cogitavit, atque anno sequente vitae sociam sibi elegit virginem lectissimam SUSANNAM CORNELIAM LE POOLE, ex quâ tres suscepit liberos, qui tenerâ, quâ adhuc sunt aetate ingentem, quam fecere, jacturam nondum intelligunt.

Eo acerbius mortem ejus luget optima Conjux, lugent Propinqui, Amici, Collegae, Discipuli, quibus magnum ac triste sui desiderium reliquit ille, qui in omnibus probavit se virum honestissimum, candidissimum, integerrimum, ab omni invidiâ, arrogantiâ atque obtrectatione longe remotum, qui non tantum summâ alacritate in tradendis disciplinis Mathematicis et Astronomicis versabatur; verum etiam diligentissime in usum suum convertebat egregios, quos recentior aetas in hisce studiis fecit, progressus, quorum tamen fundamenta a summis in re Mathematicâ et Astronomicâ viris, partim saeculo jam XVI, maxime XVII praecipue jacta esse, ipse demonstravit Oratione hoc in loco ante quadriennium habitâ, cum abiret Magistratu Academico.

Neque aliorum tantummodò observationibus acquiescebat, sed omnia suis oculis tuendi ac perlustrandi ardore concitatus, datâ sibi in splendidâ Academiae nostrae Speculâ corporum coelestium ratos motus considerandi opportunitate tam diligenter utebatur, ut quâvis fere nocte, nisi per coelum nebulosum impediretur, occupatus esset in adhibendo apparatu illo Astronomico, quo Regis Augustissimi liberalitas instructissimum reddidit Observatorium.

Insigni praeditus corporis, in omni vitâ vix ac ne vix quidem morbo tentati, robore ac vigore, non solebat a fallaci, calidâ subinde, mox frigidâ tempestate sibi praecavere, sed ipsâ urente inclementius brumâ, saepius mediâ nocte e lecto surgebat, Speculam aedibus suis contiguam conscendebat, ibique nec indutus vestitu solito densiori, neque capite curatius tecto, per aliquot horas commorabatur.

Ita tandem anno, qui proxime praeteritum antecessit, ad finem vergente, sibi contraxisse videtur morbum, primis quidem diebus, ingrato quodam frigoris sensu sese prodentem, mox vero, accedente verborum, quibus sententiam suam significaret aeger, inveniendorum difficultate, ita ingravescentem, mentisque et corporis vires adeo frangentem, ut ne potentissima quidem artis salutaris praesidia adversus eum quidquam valerent, omnemque tandem valetudinis recuperandae spem irritam redderet, quae d. 23 Februarii anni praecedentis eum invadebat, apoplexia cum voce omnem corporis motum ac sensum opprimens, atque ita postridie summo mane vir optimus animam placide efflavit aetatis anno tertio et quinquagesimo.

Habetis A. H. simplicem de vitâ et meritis Cl. Collegae, quem nobis ereptum lugemus, relationem. Ut plura jam in ejus laudem commemorentur, equidem haud opus esse censeo. Plerique vestrum noverunt eum, et qui noverant magni fecerunt, in his plurium Societatum eruditarum, quibus adscriptus erat, Zeelandicae, Harlemensis, Rheno-trajectinae, aliarumque, et Regii Doctrinarum et Artium Instituti sodales, et quae reliquit scripta, etsi eorum haud multa publici juris fecit, posteris tamen erunt ingenii atque eruditionis ejus monumenta.

Minus inexspectato rebus humanis ereptus est alter ex Professorum Ordine Vir Clarissimus, quippe qui postremis annis valetudine utebatur tam adversâ, ut mors tali vitae molestiarum plenae anteferenda videretur.

De JOANNE CAROLO KRAUSSIO, Medicinae Doctore ac Professore Ordinario, me loqui animadvertitis. Natus est ille die 6 Octobris anni 1759 *Oeringae*, quae sedes erat Principis Hohenloïco-Waldenburgici, cui pater ejus CHRISTOPHORUS ADAMUS KRAUSS a Consiliis fuit, matrem habuit DOROTHEAM ZOLLNER, mercatoris honestissimi in eâdem urbe filiam.

A parentibus sollicite educatus in urbis natalis Gymnasio bonas literas didicit, atque anno aetatis decimo septimo ad studia Academica dimissus est, arti salutari addiscendae operam daturus. Postquam igitur domesticâ patris, viri docti ac Medici expertissimi, institutione per aliquod tempus fuerat usus, anno superioris saeculi septuagesimo septimo migravit *Erlangam*, ibi ibique DELIUM, ISENFLAMMIUM, WENDTIUM, aliosque Viros Cl. habuit praeceptores. Triennio post ad majorem in arte salutari peritiam sibi comparandam petiit *Argentoratum*, et scholas adiit LOBSTEINII, viri praeclari, cujus patrocinio designatus est primi ordinis Medicus in Serenissimi Principis *Badensis* cohorte, quae tunc in Belgio Foederato stipendia merebatur. Hanc igitur provinciam suscepit anno superioris saeculi octogesimo tertio, et biennio post *Harderovici* summos in Medicinâ honores consecutus est, edito specimine inaugurali *de praecipuis militum morbis eorumque causis*, atque ab eo inde tempore *Arnhemiae*, non tantum inter milites praesidiarios, verum etiam inter cives, artem factitavit.

Ibidem sanctissimo connubii vinculo sibi junxit praestantissimam virginem EVERDINAM HEY, honesto natam loco, praeclaris animi dotibus instructam. Cum optimâ hâc vitae sociâ, e quâ nullam suscepit prolem, anno superioris saeculi octogesimo-septimo *Amstelodamum* se contulit, ibique per annos fere viginti aegrotos visendo iisque, quantum ars valeret, opem ferendo, et libros aliquot, tum Medici, tum Botanici argumenti, in lucem edendo, tantam consecutus est nominis celebritatem, ut Academiae Gelro-Zutphanicae Curatores amplissimi dignum eum censerent Cathedrâ, quam Clarissimus FORSTEN ex hâc vitâ discedens vacuam reliquerat.

Itaque anno hujus saeculi septimo Medicinae Theoreticae, Practicae et Legalis docendae provinciam *Harderovici* suscepit, habitâ Oratione *de Medicinae Systematicae usu et abusu*; et, cum triennio post Magistratu Academico abiret, publice dixit *de perscrutatione mentis humanae, maximum medico faciente emolumentum*.

Quam bene autem ille, qui in universâ arte salutari versatissimus erat, et in scholis docendo et aegrotos curando, de Academiâ ac Civitate *Harderovicenâ* meritus sit, Vos testes advoco, integerrime CHARISSE et honoratissime REINWARDT, qui eum tunc habuistis collegam et amicum familiarem.

Exstinctâ NAPOLEONTIS decreto Academiâ Gelro-Zutphanicâ KRAUSSIUS huc evocatus est Medicinae Professor Ordinarius, atque hoc munere eâdem, quâ ante *Harderovici*, diligentiâ functus est, ita quidem, ut, licet adversâ admodum valetudine uteretur, gravesque subinde et acerbos pateretur dolores, in scholis tamen domesticis et in Nosocomio opus suum strenue urgeret, studiisque privatis sedulam daret operam, cujus rei documenta sunt, tum Commentatio de verâ Medicaminum, quae *nervina* dicuntur, indole ac vi salutari, quam *Legati Monnikhoviani* Curatores praemio ornarunt, tum additamenta ad illam Commentationem, tum denique edita ab eo *Praxeos medicae adumbratio*.

Idem post obitum summi BRUGMANSII ad Chemiae docendae vices supplendas ab Amplissimis Curatoribus honoris causâ invitatus, lubens hanc suscepit provinciam, et quamdiu per valetudinem licebat, et hos et reliquos muneris labores sustinuit.

Quum vero Conjugis carissimae mortem lugens, ejusque auxilio et solatiis destitutus, atque continuos fere dolores expertus, in docendo pergere non posset, honestam a munere suo missionem petere debuit anno hujus saeculi vicesimo quarto, atque ita corpore misere excruciato ipsam mortis imaginem referens, mentis tamen suae, etsi casibus adversis contristatae, semper compos, reliquam vitam protraxit usque ad diem undevicesimum Martii anni praeteriti, quo sexagesimum et septimum aetatis annum agens animam exspiravit, non tantum cum SOCRATE ratus, peregrinationem esse vitam, quâ rite peractâ, bono animo esse oporteat, verum etiam, ut Christianum decet hominem, vitae melioris, quam nobis promeruit et pollicitus est optimus Servator, spe et fiduciâ exhilaratus.

Praeter ambos hos Viros Clarissimos, e Lectorum Academicorum ordine die vicesimo quinto Maji anni praeteriti, aetatis anno tertio et septuagesimo, diem obiit supremum CHRISTIANUS FREDERICUS RUPPE (8), qui postquam, ab anno inde superioris saeculi nonagesimo, Symphoniae Academiae fuerat praefectus, ante hos undecim annos Musices Lector creatus et utroque hoc munere laudabiliter functus est.

Quantopere ille pulcri et venusti sensu esset imbutus, et quam bene harmoniae fundamenta atque compositionis musicae principia calleret, scriptâ et in lucem editâ *Musices hodiernae Theoriâ* egregie demonstravit. Theoriae vero quam feliciter jungeret praxin, ipse regulas, quas aliis praescripserat, secutus abunde probavit, tum hymnos sacros, tum plura varii generis carmina ad novos modos redigendo.

---

(8) Natus in Saxonia d. 22 Augusti 1753.

Denique et hoc est commemorandum, die nono Februarii anni praecedentis ex hâc vitâ discessisse CAROLUM HENRICUM EYFFERT, rei equestris in Hippodromo Academico Magistrum, qui artem equitandi, cujus peritissimus erat, per plures annos docuit.

Ita A. H. brevi unius anni spatio Academia duos amisit Professores, amisit Lectorem, amisit Magistrum, atque e civibus suis morte immaturâ sibi ereptos luget tres optimae spei juvenes (9), in quorum numero fuisse tuum, Clarissime NIEUWENHUIS! filium natu majorem, Adolescentem praestantissimum, vehementer tecum dolemus.

Tristibus hisce accessit denique Clarissimorum Collegarum luctus domesticus, tuus, mi CLARISSE! ob Conjugis dilectissimae, quae per tot annos fidelissima Tibi fuerat vitae ac fortunarum Socia, Prolisque vestrae Mater amantissima, mortem acerbam, Tuusque, Clarissime DU PUI! ob amissam Filiam natu majorem, quae et Marito, Viro spectatissimo, et Tibi, Tuisque omnibus triste sui reliquit desiderium. Universus Ordo doluit Vobiscum, Collegae Clarissimi! gravem, quam fecistis jacturam. Deo tamen Optimo Maximo acceptum referimus, Vos huicce dolori non succubuisse. Te, optime CLARISSE! et orbi erudito, et Ecclesiae et Academiae, et nostro Ordini quam diutissime conservet Deus incolumem!

Tibi vero Clarissime DU PUI! post longam annorum seriem feliciter et maximâ cum laude in publicum commodum transactam, otium illud, quo Tibi propter aetatem frui jam licet, gratulor. Largiatur Tibi Deus vegetam, jucundam et in longum adhuc tempus provehendam senectutem!

Atque ita accedimus A. H. ad ea, quae laeta et prospera Academiae nostrae hoc anno contigerunt, paucis commemoranda.

Maximo nobis est gaudio, Vos, Perillustres Academiae Curatores! esse salvos, sospites et incolumes. Gratia sit Vobis, Viri Amplissimi, pro curâ vestrâ et consiliis prudentissimis, quibus rei Academicae adhuc prospicere voluistis. Utinam et in posterum vestris de eâdem bene merendi conatibus faveat, qui numine suo cuncta gubernat, Deus!

---

(9) *Henricum Joannem Wykhuizen*, Harlemensem, d. 11 Martii; *Ludovicum Gulielmum Alting*, Campensem, d. 21 Junii; *Adaminam Jacobum Nieuwenhuis*, Rheno-Trajectinum, d. 19 Octobris, 1826.

Viri Clarissimi, Collegae honoratissimi, quos coram hic intueor! Deus immortalis Vos omnes, ut et Clarissimos Collegas, qui vel ob aetatem provectiorem, vel ob corporis infirmitatem, huc non poterant convenire, diu diuque servet incolumes!

Valde laetor, quod hic praesentem Te videre liceat Cl. VAN VOORST! restitutâ Tibi, quae ineunte cursu hoc Academico affecta fuerat, valetudine. Juvenilem illum animi vigorem, quo in provectâ hâc aetate tuâ frueris, conservet et corporis vires Tibi confirmet Deus, ut ingenti illi egregiorum doctrinae Christianae Interpretum, qui e tuâ prodierunt scholâ, numero accedant et in posterum quam plurimi, qui dignos se praestent Te praeceptore discipulos!

Tibi quoque restitutam valetudinem gratulor Cl. WTTEWAALL, quem et designatum jam Rectorem Magnificum salutare licet. Utinam in gerendo hoc Magistratu omnia Tibi ex voto cedant, Teque Rectore prosperrima esse pergat Academiae nostrae conditio!

Ecquis non laetetur, sapiente Regis consilio, Matheseos docendae provinciam Tibi jam esse delatam Cl. DE GELDER! Tu nullis parcens laboribus, ut ingenia nobiliora ad haec studia excites et instruas, per longam annorum seriem egregiâ tuâ institutione prodesse pergas Academiae! Te duce et magistro disciplina, quae reliquarum omnium Parens dicitur, cujusque usus latissime patet, majora in dies capiat incrementa. Teque praeterea publice docente, quae viam sternant ad amplificandum artium et fabricarum intellectum, augendamque in iis exercendis industriam, amplificetur et augeatur civitatis nostrae prosperitas!

Laetamur Clarissimo VAN DER EYK, ipso ob corporis infirmitatem rogante, adjutorem datum esse discipulum, qui, si quis alius, scholae ipsius laudem tueri possit et amplificare.

Tibi vero Cl. UYLENBROEK! impense gratulor munus, quod Oratione *de hodierni Physices Astronomiaeque studii praestantiâ* ita suscepisti, ut augurari liceat, Te et in scholis physicis praeclaram Juventutis Academicae commodis navaturum operam, et Astronomiam docendo damnum, quod ex obitu Cl. EKAMA cepit Academia, esse reparaturum.

Tibi quoque Cl. JANE VAN DER HOEVEN, qui in muneris tui aditu publice professus es, *diligens veritatis studium praecipuum* esse *naturae interpretis*

terpretis dotem, gratulor, quam summâ cum laude sustines, docendae Historiae Naturalis provinciam.

Vos ambo, Duumviri Clarissimi, Academiam Lugduno-Batavam, quae meritis praemiis ac honoribus Vos ornavit alumnos, vicissim quam diutissime ornetis Doctores!

Ordinem Philosophiae Theoreticae et Literarum humaniorum dum intueor, Tibi Cl. VAN DER PALM! gratulor absolutum hoc anno cursum institutionis Academicae tricesimum. Vivas et vigeas diu diuque eodem mentis vigore, eâdem corporis alacritate, quae nulla adhuc ingravescentis aetatis incommoda experitur. Et quamdiu vitae humanae ratio permittat, esse pergas et Academiae et universae Patriae nostrae decus et ornamentum!

Laetamur in eundem hunc Ordinem Te receptum esse, Cl. REUVENS! qui hâc in Academiâ feliciter instaurasti nimis diu neglectum *Archaeologiae* studium, cujus *laudes* ante hos octo annos, cujusque *cum artibus recentioribus conjunctionem* nuper egregie exposuisti.

Tibi, Cl. BROERS! Medicorum in hâc Academiâ Ordini adscripto gratulor munus, optimis auspiciis ita susceptum, ut augurari liceat, e tuâ disciplinâ multos, qui *Chirurgiae studium cum cultu et humanitate conjungant*, esse prodituros.

Pergratum etiam accidit omnibus, quibus Academiae salus curae cordique est, ad Professoris Ordinarii provinciam Te vocatum esse Cl. PRUYS VAN DER HOEVEN! Novo hoc honore mactatus esse pergas, qui adhuc fuisti, optimus eorum dux et magister, qui rite efformentur ad *perfectam Medici speciem*, quam Tu hisce diebus in muneris tui aditu vere et eleganter delineasti.

Qui Lectoris titulo ornatus et Scholae, quae ab industriâ nomen habet, praefectus es, Doctissime VAN DER BOON MESCH! provinciam hanc quam diutissime ornes et egregios profectus, quos in Chemiâ fecit aetas posterior, ratione ad popularem intelligentiam accommodatâ tradendo ad civium Leidensium commoda quam plurimum conferas.

Ab illustri Docentium Ordine tam insigniter amplificato converto me ad Vos, Juvenes praestantissimi, in hâc Musarum sede Literarum studiis operam dantes! Laetamur numerum vestrum hoc quidem anno ita esse auctum, ut inde ab anno superioris saeculi septuagesimo quarto exemplum talis frequentiae in Annalibus nostris haud reperiatur, et, quod majus est nobis, qui Academiae gloriam non civium numero, sed eorumdem in studiis assiduitate et in moribus integritate aestimamus, ea est indoles vestra, ut ob industriam, sedulitatem, discendi ardorem et modestiam tantum non omnes summâ laude sitis dignissimi.

Macti estote hâc virtute vestrâ Juvenes Carissimi! Pergite eâdem, quâ incepistis viâ, nomen et famam e studiis petentes, morumque honestate et modestiâ vos commendantes.

Nostis omnes Regis Optimi decreto statutum esse, tum ut honores Academici, ad quos contenditis, semper apertis valvis conferantur, tum vero etiam, ut iis, quae, institutâ coram praeceptoribus atque commilitonibus disquisitione, a Vobis laudabiliter agantur, publica accedat laudis commemoratio. En singularem plane et acerrimum industriae ac virtutis stimulum. Nam, ut vere cecinit OVIDIUS:

Excitat auditor studium, laudataque virtus
Crescit, et immensum gloria calcar habet. (10)

Quid quaeso, Commilitones praestantissimi! ad ingenia studiaque vestra excitanda potentius esse possit et efficacius, quam quod animo reputetis, esse Regem ipsum, qui Vos et studia vestra observet, cui nomina vestra renuncientur? Vestram igitur industriam, vestrosque mores probetis Regi Augustissimo, qui, quemadmodum universae Patriae commodis nunquam invigilare desinit, ita pro eo, quo in literarum et virtutis cultores fertur, amore, potenti suo patrocinio certissime efficiet, ut laborum ac diligentiae vestrae fructus uberrimos percipiatis.

Vestrâ causâ, vestrosque in usus Regis Augustissimi munificentia prospicit augendis doctrinae et studiorum Academicorum adjumentis.

Bibliotheca quidem publica et hoc anno aucta est optimis in quovis Literarum genere Libris, ex quibus inprimis memorari oportet Librorum Arabicorum, Persicorum et Turcicorum, a typographis *Constantinopolitanis* et *Scutariensibus*, et nostro et superiori saeculo, in lucem editorum, volumina fere quinquaginta, quae quidem, Te rogante Cl. HAMAKER! tuoque voto annuentibus Curatoribus amplissimis, Tuâque inprimis, Nobilissime LYNDENE! apud perillustrem Regis Augustissimi ad Imperatoris Turcici Aulam Legatum intercessione; in ipso Imperii Otsmannici Capite sunt coëmta. Praeterea et nuper spes facta est, in Academiae nostrae usum propediem *Berolino* transmissum iri novos ac praestantissimos literarum Arabicarum et Sanscriticarum typos, Regis *Borussiae* jussu, aliquot abhinc annis, paratos.

---

(10) OVIDIUS ex Ponto IV. 2. 35. Conf. CLEM. AL. Paedag. I. 131. Sylb. Ἀρετὰ γὰρ ἐπαινεομένα, δένδρεν ὡς ἄυξεται.

Quod ad hortum attinet Botanicum, in quo, tuâ Cl. REINWARDT! curâ, cernitur jam nova plantarum distributio ad disciplinae rationem magis accommodata; insigni ille auctus est plantarum copiâ, culturâ, commercio literario, fautorum beneficiis, Hortulani denique filii itinere in Britanniam, Illustrium Curatorum benevolentiâ, suscepto. Praeterea exstructum est Caldarium novum, amplum, quo pluribus regionum Tropicarum plantis in horto colendis aptus jam conceditur locus. Denique a FRANCISCO GULIELMO SIEBER, Botanico peritissimo, eodemque multis itineribus claro, coëmtus est egregius plantarum exoticarum et rarissimarum, quae arefactae inter chartas servantur, Thesaurus.

In Theatro Physico melior et amplior concessus est locus instrumentis justo ordine jam dispositis, eorumque apparatui accesserunt quae pro hodiernâ hujus disciplinae ratione maxime sunt necessaria.

Haec vero, aeque ac Instrumenta Astronomica, quo melius serventur, poliantur, ornentur, ex Regis voluntate eorum cura mandata est RIENKSIO, artifici Frisio, ob confectum elegans illud, quod Observatorium ornat, Telescopium claro.

Praeterea et huc evocatus est peritus Vir juvenis FR. KAISER, qui siderum motus in Speculâ observet, deque iis referat ad Clarissimum Astronomiae Professorem.

Museum Archaeologicum multis et praeclaris hoc anno ornatum est veteris aevi monumentis Aegyptiacis, Punicis, Graecis, Romanis, Germanicis, Septentrionalibus et novâ, quae in terris Cisalpinis rarissime occurrit, Etruscorum Classe, quorum notitiam Annalibus Academicis inserendam Tuae, Cl. REUVENS! debeo diligentiae. Haec vero magis distincte jam commemorari, temporis non sinunt angustiae.

Propterea quoque de Supellectile Anatomicâ, in quâ ornandâ et amplificandâ Tua Cl. SANDIFORT! immortalia sunt merita, de apparatu Chirurgico, cui accessit jam *lectulus*, qui dicitur, *Orthopaedicus*, de instrumentorum ad Agriculturam pertinentium horreo, reliquisque disciplinarum subsidiis dixisse suffecerit, ea et hoc anno ita fuisse locupletata, ut et Doctoribus et discentibus optimam praebeant studia sua severâ lege excolendi opportunitatem.

Denique quod attinet ad ipsum, in quod convenimus, aedificium, ab Illustribus Curatoribus nobis facta est spes, fore ut Auditorium hocce propediem instructius reddatur et ad Academiae Lugduno-Batavae dignitatem accommodatius, ut emendetur et ornetur Senaculum, et ut aedificentur curiae, in quibus et Curatores et singuli Professorum Ordines conveniant, quâ ratione haud exigua profecto ad Academiae splendorem fiet accessio.

Jam unum restat solenni hoc die peragendum, idque mihi quidem omnium jucundissimum, quod est in distribuendis doctrinae praemiis, quibus ornandi sunt juvenes praestantissimi in certamine hujus anni literario victores.

Itaque Te, Vir Clarissime, qui Senatui hoc anno Ab-actis fuisti, rogo, ut singulorum Ordinum de perlatis ad ipsos Commentationibus praelegas judicia; Vos vero juvenes praestantissimi, quibus praemia sunt adjudicata, ut, recitato nomine vestro, singuli ad hanc Cathedram accedatis.

Pergratum mihi accidit, quod Te, praestantsisime DE JONGH (1)! virtutis atque doctrinae praemio possim condecorare. Te ob industriam tuam et egregiam animi indolem jam dudum magni fecerunt atque amaverunt Praeceptores et Commilitones. Nunc vero gaudent iidem, Te in difficili certamine aemulis palmam praeripuisse. Ex animo Tibi gratulor hunc honorem, Tibique trado splendidae, quam reportasti, Victoriae splendidum hoc documentum.

---

(1) JANUS JACOBUS DE JONGH, Theologiae in Academiâ Lugd. Bat. Candidatus, respondit ad Quaestionem ab Ordine Theologico propositam: *Quis sensus sit moniti Joannei I Epist. V: 16b.* Ἔστιν ἁμαρτία πρὸς θανατὸν, οὐ περὶ ἐκείνης λέγω ἵνα ἐρωτήσῃ: *et quomodo cum aliis de diligendis omnibus hominibus, Doctrinae Christianae praeceptis in concordiam redigi possit.*

Nobilissime MICHIELS! (2) Tu ardorem, quo praeclaram Matheseos disciplinam colis, et egregios, quos in eâ fecisti, progressus ad quaestionem Geometricam respondendo ita demonstrasti, ut praemio, quod lubens Tibi trado, reddideris te dignissimum. Perge hâc viâ Academiae Leodiensi, ad quam victor ex hoc certamine redis, esse decus et ornamentum, atque industriae tuae fructus aliquando capias uberrimos!

Non sine insigni animi laetitiâ Te huc accedentem video, optime WAARDENBURG! (3) et felicem me praedico, quod mihi contingat Collegae olim aestumatissimi atque amici integerrimi filio aureum hunc tradere nummum, justam laboris et industriae mercedem.

Tu vero, amicissime, splendido hoc praemio ornatus perge matris praestantissimae, quae de tali filio jure gloriatur, gaudia cumulare et paterni nominis gloriam tueri!

Praestantissime DOZY! (4) Stoechiometriae, cujus in Chemia recentiore late patet usus, Elementa a Te in hâc aetate tuâ juvenili ita sunt exposita, ut ab egregiis hujusmodi initiis praeclaros in posterum successus augurari nobis liceat.

En aureum, quem Tibi trado, nummum, novum industriae stimulum. Optimo parenti tuo, cui talem filium ex animo gratulor; gentique tuae spectatissimae esse pergas gaudio et ornamento!

---

(2) GEORGIUS MICHIELS, Matheseos Studiosus in Academiâ Leodiensi, respondit ad Quaestionem Geometricam, quam posuit Ordo Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum: *Datâ quatuor Sphaerarum inter se invicem dispositarum magnitudine et mutuâ positione, inveniantur, cum loca centrorum, tum radii omnium Sphaerarum, quae datas illas tangunt.*

(3) HENRICUS GUILIELMUS WAARDENBURG, Medicinae Studiosus in Academiâ Lugduno-Batavâ, exposuit, eodem Ordine quaerente, *Historiam Naturalem Animalium Molluscorum Regni Belgii indigenorum.*

(4) FRANCISCUS DOZY, Matheseos, Philosophiae et Medicinae Studiosus in Academiâ Lugduno-Batavâ, respondit ad Quaestionem Chemicam: *Quaeritur expositio concinna et perspicua elementorum Stoechiometriae.*

Ornatissime SWART ! (5) Aureum nummum, qui ad singulas quaestiones unus tantummodo dari solet, Tibi porrigere nequeo. En vero diligentiae atque eruditionis testimonium, quo Te ornandum censent aequissimi Certaminis Judices. Tu insigni hoc honore mactatus ad majora contendas industriae atque virtutis praemia !

Ornatissime HOLWERDA ! (6) Lubens equidem Tibi trado praeclarum hoc victoriae, quam reportasti, praemium. Fac ut eandem industriam, quâ Philosophiae Theoreticae et Literis Humanioribus operam dedisti, ad Literas Sacras et doctrinarum principem Theologiam transferas.

Omnia Tibi porro ex voto cedant fructusque e studiis tuis capias laetissimos, cum ad laudem, tum inprimis ad virtutem et veram vitae felicitatem !

Praestantissime VEDER ! (7) En laudis testimonium, quod Nobilissimus Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum Ordo Tibi decrevit, in signum honoris, quem habet industriae tuae in solvendâ quaestione difficili collocatae. Publice laudo hanc diligentiam tuam, augurorque fore, ut in excolendis praeclaris ingenii animique tui dotibus strenue pergas et, si quando in arenam iterum descendas, primos sine dubio feras honores!

Ornatissime SWALUE ! (8) Eodem honore, quem superiori anno meruisti, ti, iterum te ornat Nobilissimus Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum Ordo. — En alterum laudis Testimonium, quod novo Tibi sit incitamento, ut ad studia Theologica severâ lege excolenda animum applices et rite praepareris ad munus sacrum rite aliquando obeundum!

---

(5) WILHELMUS SIMON SWART, Matheseos et Philosophiae Naturalis in Athenaeo Amstelodamensi Studiosus, respondit ad eandem Quaestionem Chemicam.

(6) JANUS HENRICUS HOLWERDA, Literarum et Theologiae Studiosus in Academiâ Lugduno-Batavâ. Argumentum Commentationis praemio ornatae est: *Quaenam fuit veterum Scepticorum sententia de veri judicio? Quibus argumentis eam tueri conati sunt adversus Dogmaticos, imprimis Socraticos et Stoicos? Quomodo denique Sceptica philosophandi ratio, observatâ hominis indole, naturâ, atque ingenii progressione, explicanda et coërcenda videtur?*

(7) AART VEDER, in Academiâ Lugduno-Batavâ Literarum Humaniorum Studiosus ad eandem e Philosophiâ Theoreticâ Quaestionem respondit.

(8) EDELHARDUS BERNARDUS SWALUE, Theologiae Studiosus in Academiâ Lugduno-Batavâ, exposuit *causas, quibus factum est, ut Imperium* Turcarum Otsmanorum *a parvis initiis ad eam magnitudinem et potentiam pervenerit, quam*, Solimano Magno *regnante, erat consecutum.*

Quoniam igitur scriptiones, Nobilissimis Medicorum et Jureconsultorum Ordinibus traditae, non ita fuerunt elaboratae, ut praemio ornari possint earum auctores; hoc unum mihi superest commemorandum, juvenem ornatissimum MARTINUM LEONARDUM REYERKERK, Academiae Rheno-Trajectinae civem, propter operam in solvendâ Quaestione Theologicâ collocatam, dignum judicatum esse, cujus nomen publice laudetur, pari modo, quo Academiae nostrae alumno, praestantissimo ELINK STERK, idem nuper in Academiae Gandavensi contigit honos.

Jam rite peractis, quae hodierni muneris ratio a me postulabat, Deo O. M. pro auxilio mihi praestito gratias, quas habeo maximas, ago et optima quaeque et faustissima Academiae ac Civitati Leidensi, Patriae universae, Regi Augustissimo, totique Stirpi Regiae sincerâ mente apprecor.

DIXI.

❁

SCRIPTA *CORNELII EKAMA*, VIRI CLARISSIMI.

Nieuwe Antwoorden op de Rekenkundige Vragen van H. AENEAE, *voorkomende in deszelfs Rekenboek voor de Nederlandsche Jeugd.* Uitgegeven door de Maatschappij tot Nut van 't Algemeen 1804.

Waarnemingen omtrent den duim en langen vinger aan de hand der Vogelen. Alg. Konst- en Letterbode, 1803. D. II. bl. 4.

Oratio de Frisia Ingeniorum Mathematicorum inprimis fertili. Leov. 1809. 4to.

Oratio de insignium, qui in scientiâ Astronomicâ facti sunt, progressuum fundamentis, a summis in re Mathematicâ et Astronomicâ viris, partim decimo sexto, maxime decimo septimo seculo, jam praecipue jactis. In Annalibus Academiae Lugduno-Batavae, 1822—1823.

Berigt omtrent het Observatorium. Alg. Konst- en Letterbode, 1824. D. I. bl. 7.

Verhandeling over GEMMA FRISIUS, *den eersten grondlegger tot het bepalen van de lengte op zee.* In de werken der eerste klasse van het Nederlandsche Instituut, D. VII. bl. 215 volgg.

Verhandeling over de Aantrekkingskracht, als den band van 't Heelal. Verslag van de eerste klasse van het Instituut, in de Algemeene Vergadering 1825.

J. H. VAN SWINDEN, *Verhandeling over het bepalen der lengte op zee, door de afstanden van de maan tot de zon of vaste sterren.* Nieuwe uitgave, met eene Voorrede van C. EKAMA.

J. H. VAN SWINDEN, *Verzameling van Tafels ten dienste der Zeelieden*, door C. FRAMA, Amst. 1824.

SCRIPTA EDITA A *J. C. KRAUSS*, VIRO CLARISSIMO.

Specimen Medicum inaugurale, de praecipuis Militum morbis, eorumque causis. Harderovici 1785. 4to.

Verhandeling over den Daauwworm der Kinderen, en zijne veiligste geneeswijze, door een specificq geneesmiddel, gevolgd naar den Hoogl. STARCK, *met aanmerkingen en waarnemingen* door J. C. KRAUSS, Amst. 1791. 8vo.

Afbeeldingen der Artsenij-gewassen, vierde Deels eerste Stuk enz. Amsterdam 1798 en vervolgens.

BARTHOL. EUSTACHIUS, *Anatomische Kupfertafeln, nebst derselben Erklärung, verfertigt unter der Aufsicht von* ANDREAS BONN, *aus dem Holländ. von* J. C. KRAUSS, Amst. und Wesel 1800. fol.

ANDR. BONN, *Beobachtungen einer unterwärts gehenden Verrenkung des linken Schenkelbeins, nebst einer neuen gemächlichen Einrichtungsweise, aus dem Holländ. von* J. C. KRAUSS, Amst. und Wesel 1800. gr. 8vo, mit 6 Kupfertafeln.

Afbeeldingen der fraaiste uitheemsche boomen en heesters, met eene beschrijving van derzelver kenmerken, voortkweeking, nuttigheden, enz. XXI Afleveringen 1802—1808. 4to.

Oratio de Medicinae Systematicae usu et abusu, Harderovici 1808. 4to.

Eerste beginselen der Kruidkunde, tot onderrigting en vermaak voor het schoone geslacht, als ook voor die genen, die de eerste beginselen der Kruidkunde beoefenen, Amst. 1810. 3 Deelen 12mo.

Over den aard en de geneeswijze eener Veeziekte, even als zoodanige in de maanden Januarij en Februarij van het jaar 1814, in de streeken van Utrecht gewoed heeft, Leyd. 1814. 8vo.

De natura et curatione Luis Bovillae, Lugd. Bat. 181. 8vo.

Verhandeling over den aard en de werking der zoogenaamde Zenuwmiddelen, bekroond bij het Legaat van Wijlen J. MONNIKHOFF, Amst. 1818. 8vo.

Nadere overweging van den aard en de werking der Geneesmiddelen enz. Amst. 1819.

Adumbratio Praxeos Medicae, P. I. Lugd. Bat. 1820. 8vo.

NOTITIA INCREMENTORUM MUSEI ANTIQUARII V. CEL. *SURINGARO* RECTORE.

Quae hoc anno Museo accesserunt, ea, sicuti superiore anno, pleraque *auctoritate publicâ* sunt illata.

In quibus sunt, quae misit ex Archipelago Graeco Vir nobilissimus ROTTIERSIUS, partim Regis jussu in insulâ *Melo* effossa.

Item quae misit vir nobilissimus HUMBERTIUS, in Italiâ emta;

Alia, Regis jussu emta in auctione Musei LESCLUZIANI Antverpiae;

Alia ab homine, Tunete advenâ comparata;

Alia tandem lege permutationis e Regio *Museo Ethnographico* Hagano accepta, quae casu illuc ex *Amstelodamensi* migraverant (1) adeoque nunc iterum conjuncta sunt cum illis monumentis, quae anno superiore ex Amstelodamensi museo ad nos erant delata.

Dona quaedam item accesserunt a viris nobilissimis VAN EWYCK, institutioni publicae Praefecto, et STRATENO Regis Consiliario, humaniter oblata;

---

(1) Quae adeo deinceps potius *Amstelodamensium* nomine notabo.

ta; quorum haec vascula sunt, casu e Graeciae oris, illa Aegyptiaca quaedam, et alia minutiora Tunete advecta.

Emtionis (2) lege *Aegyptiaca* quaedam, ex auctione Amstelaedamensi comparavi.

QUAE ORDINE SIC DESCRIBENDA VIDENTUR.

Aegyptiaca primum maximam hoc anno accessionem experta sunt; ita ut nunc cum exteris Museis, certe secundi ordinis, nostrum comparari mereatur. In his praestantiora sunt:

Sarcophagus praegrandis, e lapide duro et albicante, cum suo operculo;

Mumiae *quatuor* ornatiores, et satis integrae, vividisque coloribus pictae; e quibus una magnificentissima tribus loculis instructa;

Mumia piscis, et felis;

Vasa canopica ex alabastro *undecim*;

Stelae sepulcrales *quinque*, partim Deorum, partim Manium adorationes, habentes;

Stelae ligneae pictae *duae*;

Lapides sacris faciendis, ut videtur, *duo*.

Cistulae ligneae pictae *duae*;

Chartae papyraceae *tres*, quarum una ad 14 pedes longitudine, funebris, hieroglyphica; alterius similis pars dimidiata; et tertia hiereticae scripturae, sine figuris.

(Superiora illa sunt LESCLUZIANA, praeter Mumiam trium loculorum, quae missa est a ROTTIERSIO)

Signuncula, lapidea, aenea, phylacteria e lapide duro majora, et minuta fictilia quamplurima (tam LESCLUZIANA, quam ab HUMBERTIO missa, et *ex auctione Amstelodamensi* comparata). In LESCLUZIANIS eminet vultus hominis Aegyptiaci, e lapide nigricante sculptus, et quamquam minutus, gentis lineamenta eximio opere et diligentissime referens.

Quae hodie per CHAMPOLLIONI labores inter hieroglyphica praecipuum usum ha-

---

(2) Scilicet e modicis Musei subsidiis pecuniariis annuis.

habent, nomina Regum inclusa tanquam laqueis ovatis; eorum aliquot in monumentis nostris comparent. Praecipue intellectu facile est in canopico quodam vase illius nomen, quem CHAMPOLLIONUS *Thoutmosin II* (3) eundemque *Moerin* esse interpretatur, Regem adeo quintum Dynastiae duodevigesimae, et *Sesostri* antiquiorem.

Ad classem *Punicam* referendi sunt duo lapides sepulcrales Punico-Romani, Tunete advecti lucri caussa, sed inventi in loco *Medita*, regni Tunetani, prope confinia ditionis *Cirtanae*, sive *Constantinensis*, quae est *Algirinorum*.

Graeca et Romana signa marmorea pauca tantum ad nos delata sunt. In his memorabile foret caput colossum ex insula *Therâ*, operis archaici, nisi temporum injuriâ mutilum foret. Est praeterea caput *Maximini* Imperatoris, ex insulâ *Melo*, in ruderibus antiquae metropolis, prope locum *Castro*, inventum (Utrumque a ROTTIERSIO missum).

Item minutiora quaedam, in quibus *Serapidis* caput marmoreum (e *Museo Amstelodamensi*) et caput, quod Aethiopissae videtur, aeneum (donum EWYCKII).

Ad *monumenta Sepulcralia Graeca* accesserunt urnae quaedam marmoreae parvae, et cavae, ex insulâ *Delo*, alia una solida, et cippus cum inscriptione mulieris e ditione *Atheniensi*. (ROTTIERSIANA).

Ad *vasa Graeca picta* quaedam pulcriora (ex *Amstelodamensi Museo*) quaedam minora (e dono STRATENI) item quaedam minoris momenti, nec tamen vulgata, et grandia adeo, ex insulâ *Melo* (ROTTIERSIANA) et tandem pulcriora et rariora quaedam, partim cum anaglyphis fictilibus, *Volaterris* Etruriae effossa, (ab HUMBERTIO missa).

Ad *instrumenta* et *supellectilem* in primis commemoranda est *ara grandis* marmorea rotunda, ex insulâ *Melo*, bubulis capitibus et encarpis ornata, inter rudera eadem quae diximus effossa; *solarium* parvum, marmoreum *Atheniense*, et lamella aenea cum inscriptione defuncti, item *Athenis* (4) (ROTTIERSIANA). Praeterea vascula, caet., Romana (e *Museo Amstelodamensi* et aliunde). In-

---

(3) Postea IIIum. dixit, invento alio Rege *Thoutmoseos* nomine, aut cognomine.

(4) Cujusmodi aliquot exhibet DODWELL *Travels* II. p. 433, 437.

Inscriptiones quaedam Graecae sed mutilae ex Archipelago missae a ROTTIERSIO. In his una integra sed brevior ex urbe *Rhodo*, *Xenonis* NAÜMI F., Aradii, Jovi Σωτῆρι posita (5).

Monumenta Germanica et *Septentrionalia* aucta sunt quibusdam discis fictilibus cuneisque, sive malleis lapideis Drenthanis, (ex *Amstelodamensi Museo*. Conf. *Notitia* anni superioris.

Inter *Architecturae* ornamenta referre solemus opera *Musiva*, cujus generis haud contemnendum exemplum, a ROTTIERSIO in insulâ *Melo* in ruderibus iisdem, ubi caput *Maximini* et ara Graeca, inventum, accepimus. Caput Bacchi adversum justae magnitudinis, circumdatum, distinctis locis, capitibus Moenadum,antherâ, piscibus et limbis ornatioribus variis, ad 12 pedum fere longitudinem et latitudinem, Musivum hocce complebat. Quarum picturarum maxima pars, sed singulatim, ad nos delata est: reliqua perierunt, certe huc non pervenerunt. Opus bonae est aetatis, sed coloris multum adtriti.

Praeterea Musivi praestantissimi fragmentum (e *Museo Amstelodamensi*).

Quorsum etiam referimus (*ex eodem Museo*) parvam picturam parietariam, Herculanensibus similem xenia et hortulos referentem, sed item valde detritam. Quo genere monumentorum, quod cis Alpes rarissimum est, adhuc carebamus.

Sed insignius ornamentum, *nova classis* monumentorum accessit, quae itidem cis Alpes vix occurrit, *Etrusca*. Urnas scilicet sex, quadratas, oblongas, anaglyphis ornatas, e lapide partim tophico, partim alabastrate, cum suis operculis, in quibus recumbunt defuncti, Etrusci operis, ad nos ex Italiâ misit HUMBERTIUS. Quarum una nomen defuncti habet, litteris Etruscis inscriptum, editumque a LANZIO (*Saggi de Lingua Etrusca* T. II. p. 277. n. 24. edit. secundae). Cujus classis haec initia magnificentiore Museo nuperrime emto anno Academico proximo augebuntur.

C. L. C. REUVENS.

---

(5) Haec a superioribus peregrinatoribus, viris celebribus, CLARKIO (Travels III. p. 285. ed. 8vo.) et J. HAMMERO, (*Topogr. Ansichten der Levante p. 163. n. 14*. Cf. *Tabula quarta*) non intellecta fuit, cum lapis inversus jaceret, et neuter nomina peregrina suspicaretur.

HENRICI COCK

ORATIO

DE

JURIS PUBLICI UNIVERSALIS STUDIO, AD
CIVITATIS PACEM OTIUMQUE FRUCTUOSISSIMO,

HABITA DIE VIII FEBRUARII MDCCCXXVI,

QUUM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA ORDINARIAM JURIS PROFESSIONEM SUSCIPERET.

PERILLUSTRES HUJUS ACADEMIAE CURATORES!

RECTOR MAGNIFICE!

QUARUMVIS DISCIPLINARUM PROFESSORES CLARISSIMI!

QUI IN REGIONE LEIDENSI JURIDICUNDO PRAEESTIS, VIRI INTEGERRIMI!

HUJUS URBIS MAGISTRATUS AMPLISSIMI!

RELIGIONIS INTERPRETES, VIRI SANCTISSIMI!

LECTORES PERITISSIMI!

QUARUMVIS DISCIPLINARUM DOCTORES ERUDITISSIMI!

BONARUM ARTIUM STUDIOSI, JUVENES LECTISSIMI!

CETERI LIBERALIS DOCTRINAE CULTORES ET FAUTORES, OMNIS ORDINIS AC LOCI, QUOTQUOT ADESTIS, EXOPTATISSIMI!

* * *

Vetus

Vetus opinio est, quae multorum sermone jam olim percrebuit, sed ea denuo recentissimis his multum decantata temporibus, civitatibus periculosam esse Juris Publici doctrinam. Hinc scilicet temeraria gigni feruntur vulgi judicia de Republica constituenda, quibus, velut contagione quadam, per omnes hominum ordines subinde propagatis civitatis pax et otium perturbantur, imperii fundamenta labefactantur ac societatis communis vincula convelluntur. Hinc adeo quibusdam ortae videntur mirabiles regnorum eversiones et innumerae, quas aetas nostra vidit, rerum perturbationes et tumultus. Hinc omnes denique manasse dicuntur dissensiones, quibus adhuc Europa agitata est.

Itaque videmus quosdam vel ad nomen hujus disciplinae exhorrescere neque levius quoddam malum eam arbitrari, quam disputatricem perniciosam et audacem, cujus fuga et expulsio communi populorum decreto sancienda sit. Neque est quod eam praecipitis judicii miremur iniquitatem. Cum enim, sub finem saeculi superioris, incredibilis illa parari coepisset Francici Regni conversio, quae cum sua magnitudine et novitate remotissimos etiam populos advertebat, tum et alios in ejusdem vicissitudinis societatem tractura videbatur, oculi omnium animique in Juris Publici disciplinam conversi sunt, tanquam certissimam Reipublicae cum constituendae tum regendae firmandaeque magistram. Sic autem alii quidem sincero publicis malis medendi studio ducti, alii vero inconsulta quadam animi temeritate et attonitis mentibus in nova quaevis ruentes, alii denique nefariam speculantes opportunitatem, dolis et fraudibus omnia miscendi, in nobilissimam hanc Jurisprudentiae partem, velut in vacuam possessionem, involarunt.

Cum autem moderata prudentiorum vox et consilia vesanis adversariorum clamoribus et insidiosa calliditate partim retusa essent partim elusa, incidit haec disciplina in ingenia furiosa, quae nullo rationis tanquam freno coercerentur, incidit in turbulentos homines, qui Reipublicae nomen utilitatibus suis obtenderent atque, ad evertendam societatem et humanitatis conjunctionem, juris et aequitatis uterentur jactatione. Qui cum sibi Juris Publici peritiam arrogassent et facili plebe literariâ tenuissent, hominum vitia, ut fieri solet, ad ipsam artem traducta sunt eaque temeritatis et audaciae mater, dissensionum et turbarum opifex dici haberique coepit.

Cujus opinionis temeritas, condonanda illa quidem animis repentina malorum mole perterritis, ut tamen nec minus liberiori aliorum indignationi ignoscendum sit, cum etiam nunc multorum animis insideat, adeoque verendum sit, ne meliora quoque in eundem errorem inducat ingenia; huic quidem occurrendum ac praestantissimum hoc Juris Publici Universalis studium invidia liberandum est Etenim ab hujus doctrina neque profecta sunt neque proficisci potuere, quibus aetas nostra laboravit, dissensiones ac tumultus, nisi forte quatenus aut non satis multum aut, aliis hominum rerumque vitiis, non recte fuit exculta, quo scilicet modo vel per ipsam religionem dissidia bellaque sata sunt, ut tamen ea doctrinae Christianae vitio non sint vertenda nec sanior quisquam omnes ideo religiones ex hominum genere tollendas esse censeat.

Immo vero magis etiam erga eam hac utamur aequitate quo minus ipsa in hominum perniciem converti potest. Etenim, haud scio, an nulla facile sit ars aut disciplina, qua publicae civitatum tranquillitati melius certiusque consulatur undeque utilitatis fructus in eam redundet uberior, quam ex ea doctrina, quae mutua Principum civiumque et jura et officia, justis quaeque descripta finibus, rationum praesidio munit firmissimo neque ea ex temeraria opinionum levitate aestimat, sed ex certi judicii diligentia et veritate.

Equidem ita semper existimavi eaque, de orationis argumento cogitanti, idonea mihi visa est materia, quam in hoc illustrissimorum hominum conventu explicarem uberius, praesertim cum illa examinanda, quam ipse viam et rationem docendi tenendam putem, simul significare ac declarare possim. Dicam igitur *de Juris Publici Universalis studio, ad Civitatis pacem otiumque fructuosissimo.*

Argumentum orationis de medio petitum in communi ac populari intellectu positum atque a doctrinae subtilitate est remotum, attamen neque ab hoc loco, neque a temporum conditione, neque a munere, quod auspicor, alienum esse, censeo. In eo autem explicando, sine ira et studio ita versari conabimur, ut nec a veritate, neque ab obsequio et modestia recedamus, neque increpando, irridendo, lacescendo aliorum mentes exulceremus, sed, quid veri falsive hominum judiciis insit, candide et moderate doceamus.

Vos autem, Honoratissimi Auditores! ea, qua summa valetis, indulgentia et humanitate memet audiatis nec tenuem novi oratoris mediocritatem ad exquisitam decessoris ubertatem, meos dicendi rivulos ad illius flumen orationis exigatis.

Quod a veteribus traditum est philosophis, nihil esse seu publice seu privatim utile, nec quidquam firmum ac stabile, nisi quod sit cum justitia conjunctum, id quam sit veritati consentaneum, cum alias saepe licet animadvertere, tum vero in Rerumpublicarum administratione luculenter cernitur. Etenim, quae variae sunt malorum publicorum caussae, varia, quibus civitates labefactantur, hominum rerumque vitia, si accuratius ea exquiramus, a justitiae neglectu et ignoratione, tanquam a communi quodam fonte, manare videntur omnia. Uti autem ab eadem proficiscuntur caussa, ita et unum eorum est commune remedium, in accuratiori jurium et officiorum, quibus civitates devinctae sunt, cognitione positum.

Hoc autem cum universe verissimum est tum vero de turbis valet discordiisque civilibus. Quodsi enim primam earum originem et caussam reputes, utut diversissimis saepe natae sunt opportunitatibus, aut ab ingeniorum errore et juris ignorantia aut ab improborum hominum malevolentia omnes profectae sunt. Qui autem ab ingeniorum errore tumultus oriuntur motusque civitatum, seu Principum imperitia seu inscitia subditorum iis ansam praebuerit, ipsi meliorem ingeniorum eruditionem tanquam certissimam sibi medelam postulant. Qui vero nefariis malorum hominum conatibus adeoque vel factiosorum civium cupiditatate vel imperantium libidine et impotenti dominatione impetus excitantur et furores, ita tutissime retundi videntur ac refrenari, si de officiis juribusque socialibus inter varios civium ordines vulgata sint recta judicia. Haec autem unde nasci et propagari debeant, non video equidem, nisi ex hoc ipso Juris Publici Naturalis studio, quo subtiliores illae notiones sanaque praecepta de civitatum juribus et summa rerum legibus institutisque regenda, non ad opinionis temeritatem aut opinatam utilitatem, sed ad summam illam aeternamque juris normam dijudicantur. Itaque primum quidem idque certissimum adversus turbarum civilium fluctus atque procellas censemus praesidium, si, civitatibus qui praesunt, Principes aut magistratus ceterique majorum rerum administri nobilissimam hanc Juris Publici disciplinam cognitam animis et perspectam habeant. Qui scilicet ex eorum inscitia et erroribus ferax turbarum, conversionum omniumque malorum civilium proventus nascitur, sic intercipitur et vero tutae permansuraeque potentiae semina sparguntur laetissima.

Quodsi enim universe omnibus infinitae errandi caussae sunt et opportunitates, quae lubrica magis est, quam imperantium sors et conditio, quorum levitatem, inscitiam lapsusque et vitia continuo speculari, captare et in usus suos convertere solet grex adulatorum. Profecto, nisi firmis rationum principiis tanquam praesidio muniti sint, vix est ut insidias evadant, quibus cum a naturae debilitate tum ab hominum malitia sepiuntur undique. In maximo autem eo rerum discrimine firmius, cui adnitantur, nullum est adminiculum praeter accuratae doctrinae constantiam et severitatem. Est enim propria haec cum omnis doctrinae, quae certis rationum principiis nititur, tum vero hujusce nostrae disciplinae vis et efficacitas, ut, qui eam accuratius perceptam habeat, vix, nisi per summam animi levitatem et inconstantiam aut insignem malitiam, ab ejus praeceptis deflectat.

Hoc vero praesidium si deficiat, si Reges ac Principes quique loco, genere et auctoritate alios antecellunt summisque Reipublicae muneribus admoventur, nec, quomodo rebus recte utantur, bona institutione didicerint, nec, quid sit, quod dignitatem, honorem ac principatum contineat, perceperint; partim gravissimas Reipublicae administrandae curas inscite et infauste sustinent, partim bonos intelligentesque viros ab ejus administratione arcent ac removent. Ita vero, quae summam rationis et judicii requirunt industriam ac fidem, arbitrio et libidini aut inconsultae permittuntur temeritati.

Uti autem accurata Juris Publici cognitio gravissimum ad civitatis tranquillitatem Principibus adfert praesidium, ita et egregium hinc iis accedit auctoritatis incrementum. Etenim quae vera est, non opinata quaedam et inanis eorum auctoritas, ea non a vi et potestate, sed a verecundia potius legumque reverentia proficiscitur, quibus semel exstinctis nullum satis firmum imperii frenum est. Hujus autem reverentiae et parandae et confirmandae tuendaeque nullum efficacius est momentum, quam industria et fides rerumque agendarum peritia. Est enim ea, cum omnis excellentis doctrinae, tum vero interioris prudentiae civilis vis in animos, ut, in quibus ea cernatur, quamvis nec suspiciamus ceteroquin nec amemus eos, verecundia tamen et obsequio prosequamur. Quodsi vero in iis, qui civitati praesunt, principibus aut magistratibus justi injustique scientia et legum observantia, quaeque cum iis conjuncta est, recti decorique cura deprehenditur, vix est quin eos, de Republica bene merentes, parentum instar et colant omnes et diligant atque aequi justique studio, obsequio et fide cum eorum religione ac pietate certent. Ita vero Principes bene constitutam ac florentem habebunt Rempublicam rerumque statum, cui satis fidere possint, firmum ac stabilem. Ea si negligantur, nulla neque imperii fides est neque constantia.

Ex hoc quidem Juris Publici neglectu et ignoratione quot quantaque in civitatem redundent mala, quodnam illustrius afferri possit exemplum, quam superiorum in Francia temporum documenta? Omnibus nimirum et Regum et principum virorum curis ad ludicra quaevis aut muliebria studia conversis pravisque aulicarum artium ineptiis ad gravissima Regni negotia translatis, neglecta jacebant societatis civilis jura rectumque de iis judicium erat oblitteratum. Quae vero diu caecis meatibus cuniculos egerant, cum in apertum erupissent vitia, qui salutaris manus medelam afferre posset, nemo repertus est. Neque enim potuisset florentissimum opibus copiisque Regnum ad exitium praeceps ruere, si homines, qui nullam nisi sanguinis jactabant nobilitatem, bonis literis imbuti de Republica bene mereri et meritis peritiaeque documentis aditum ad honores quaerere maluissent, quam, in summa bonorum studiorum ignorantia, industriae et virtutis praemia stirpis suae vindicare nobilitati. Ipse Rex, omni aulicorum grege melior et honestior, non potuisset scelestissimorum hominum fraudibus circumventus regno exui, nisi ejus studio et voluntati non modo defuissent provida nobilium consilia, sed et hominum rerumque usus et fructuosissima ad civitatis tranquillitatem juris publici cognitio.

Quodsi vero maxima sunt, quae principum error et imperitia tranquillitati publicae minantur incommoda, haud minora profecto a civium inscitia et Juris Publici ignorantia civitatibus imminent pericula. Uti autem ab eodem utraque fonte manant discrimina, sic et eandem utraque medelam flagitant, nempe juris illius, quo societatis civilis continetur conjunctio, accuratam cognitionem. Ea Principes prudentia validos auctoritate reddit graves, ac subditos ad obsequium efficit paratos, ad indulgentiam faciles.

Quemadmodum enim universe modestiam et obtemperationem parit prudentia, ut adeo periti multoque rerum usu exercitati homines, in quibuscumque vitae muneribus sint collocati, facile obsequantur, cum ignari rudesque in arte tirones aegre contineantur imperio, quod in militia, in navigatione similibusque cernitur, sic etiam in societate civili, quo melius conjunctionis illius officia juraque perspecta habeant, eo magis obsequio faciles dictoque sunt obedientes. Neque vero est, quod eam hominum indolem animique rationem et habitum miremur. Omnes enim mortales insito quodam libertatis studio ducimur, quo, nisi ratio et consilium vetet aut vis prohibeat, aliorum imperiis obsistere, principatum detrectare nitimur. Insitum hoc a natura studium si non meliorem doctrinam velut magistram comitemque adjectam habeat, qua temperetur, ducatur, moderetur; vix potest, quin imperiis obnitantur homines iisque reluctentur vel in eam saltem adducantur opinionem, ut nullam, cur alius imperet, alius obediat, idoneam subesse caussam existiment praeter vim et injuriam seu jus, quod dicitur, fortioris. Ea qui semel imbutus sit opinione, nec facile, nisi coactus, alteri obtemperet, nec ulla in re principatum ei tribuat. Sic autem naturalis quaedam adversus imperium oritur repugnatio ac turbarum, dissidiorum, tumultuum perpetua comparatur materia, atque, ubi primum oblata fuit occasio, molestum imperii frenum excutitur. Ita sapientissimo consilio nobis inditum ac velut divino beneficio nobis impertitum libertatis studium, quod ratione et doctrina moderatum omnis salutis ac felicitatis fructum tulisset uberrimum, in pessimam vertitur licentiam rerumque perturbationem.

At ex eodem hoc imperiis infesto naturae stimulo, si Juris Publici prudentia temperetur, egregium et auctoritatis praesidium imperantibus et obsequii momentum accedit parentibus. Etenim si omnes noverint, non vi et injuria niti neque arbitrio et libidine contineri Principum auctoritatem, sed potius libertatis et aequabilitatis gratia constitutam totamque in illis tuendis esse positam; vix est ut ei invideant aut refragentur. Quid, si nullam neque integram et sanam esse, neque stabilem et firmam felicitatem, nisi in societatis conjunctione, perspexerint, sed eam neque consistere, nec fructum ejus ullum esse, didicerint, nisi libertate sapienter temperata, ut angustis sui quisque commodi laqueis extricatus in commune consulat, publicam utilitatem privatae praeferat, quid, si leges ideo juraque condita, imperium constitutum eique formam datam esse, viderint; quod quidem totum hujus rei vinculum omnemque necessitudinem fidemque continet, imperium civile respuant sibique infestum censeant? Immo vero Juris Publici cognitione nec gravius est obedientiae momentum nec firmius potestatis praesidium.

Ne quis autem ita censeat accuratum Juris Publici studium ab omnibus requiri cujuscumque sortis hominibus. Etenim si vel soli illi, quibus res publica privataque civium tractanda sit, interius illud perceperint, ceteri vero, quotquot honestiori loco nati liberaliter sint educati, degustaverint, manant inde serpuntque ad omnes hominum ordines recta judicia justisque principiis informata nascitur omnium vox et opinio publica. Nec magis est quod ita debitam iis, qui civitati praesunt, reverentiam minui eosve continuis subditorum calumniis et reprehensionibus objici putemus, quod Reipublicae constituendae regendaeque scientiam unusquisque sibi arroget deque Principum actionibus judicium sibi sumat. Ipsum potius contrarium evenire dicendum est. Ut enim inscitia rerumque ignorantia impudentiam et temeritatem parit, sic interius percepta cognitio et doctrina facilitatem gignit, indulgentiam judicandique modestiam. Quid autem sapientibus bonisque Regibus aliisque summae rei moderatoribus accidere possit optatius, quam ut actionum suarum doctos prudentesque nanciscantur existimatores, qui non ex opinionum temere susceptarum levitate vituperent laudentve, sed ex certi judicii diligentia et veritate justo quaevis modo et pondere metiantur, nec inepta stolidaque principatûs invidia vel amore, sed certis et exploratis disciplinae principiis ducantur? Omnino, si qua salus Rebuspublicis, si earum emendatio, si legum morumque, sine quibus legum nec vis nec fructus ullus est, a corruptelis liberatio, si de rebus, quibus imperiorum opes, populorum felicitas et splendor continetur, veriores notiones inter omnium ordinum homines sunt exspectandae, a Juris Publici scientia salubribusque sapientiae civilis praeceptis sperandae sunt. Contra vero a subditorum inscitia et stupore ignoratisque vitae socialis juribus nil nisi tumultus, dissidia turbaeque manant, omniumque omnino calamitatum seges succrescit teterrima.

Docet hoc omnium temporum historia, docuit recenti memoria datum in Francia documentum, ubi melioris doctrinae rudis et ignara multitudo falsâ, quam sectabatur, libertatis imagine decepta in perditissimam popularis imperii licentiam prorupit. Quae scilicet justa libertas omnium plenissima securitate et a metu vacuitate ac firmo, cum ad civium injuriam tum ad vim extraneam, continetur praesidio, nec uni cuidam imperii formulae adstricta est, sed a legum majestate, jurium aequabilitate et sapienter administrata, nec in unius vel paucorum utilitatem, sed in omnium salutem, constituta, proficiscitur Republica, ex quocumque tandem genere, sive regali, sive optimo, sive populari, sive e tribus hisce generibus modice confusis ea sit comparata, illam in solo collocantes populari imperio, id unice cogitabant, id appetebant omnesque attonitis mentibus ad nova rerum exordia ruebant. Incepto quidem isto nihil aut dici aut cogitari poterat stolidius. Etenim qua tandem ratione in magno populo, diuturnae servituti assuefacto nec ullis virtutibus civilibus imbuto, popularem libertatem asseras, aut, si asserueris, qui non eam, ab ipso statim ortu, praecipiti lapsu in dominationem omnium teterrimam verti necesse sit? Ea quo tandem essent ductura, prudentiores facile praevidebant. Sed *quem tum vates Cassandra moveret*? Vanis opinionum praestigiis obstupefacta multitudo fallacibus rerum nominibus, quas nec intelligebat nec intelligere valebat, misere sibi illudebat. Quodsi meliora de civitatis indole et ratione deque forma ejus et descriptione vulgata fuissent inter Francos judicia, haud scio, an nunquam funditus facta fuisset regni conversio ac tot tantisque fortunae casibus jactati fuissent Europae populi.

Videtis, Auditores! quantum sit quamque tutum Juris Publici praesidium ad-

adversus eas, quas error et inscitia civitatibus minantur, dissensiones ac tumultus Quodsi par ejus contra libidinem et ambitionem est vis et efficacitas, vix est, quod gravius ullum ad civitatis tranquillitatem momentum habeatur.

In ea autem examinandâ quaestione altera pars argumenti nostri versabitur.

Quibus scilicet dissidiorum, ab hominum malitia natorum, sementis fructusque continetur praecipuus, vel imperantium vis et cupiditas, vel factiosorum hominum fraus et insidiae, nulla re magis inhibentur, quam justis civium de Republica notionibus rectoque judicio. Vetus effatum est idque ita pervulgatum, ut jam proverbii locum obtineat, proprium quemdam et naturalem cuivis potestati inesse nisum, quo semet exserere finesque latius proferre studeat. Est ea velut insita quaedam naturae vis, quam vel in minimis rebus experimur quotidie inque civitatis administratione et summis Reipublicae negotiis maxime cernimus. Neque ea peculiari cuidam certaeque regiminis adhaeret formae, sed eadem in populari Republica pariter ac in regno deprehenditur aut optimatum imperio. Hinc vel apud ipsos Romanos, gentem libertatis amore nobilissimam, perpetua illa Patres inter Plebemque dissidia. Hinc apud recentiores Europae populos eadem haec imperii proclivis ad amplificationem vis et propensio. Hinc velut continua regnantes inter et parentes contentio, illis quidem imperii nervos intendere nitentibus, his vero assidue reluctantibus.

Quo magis autem isti proprio cuivis potestati studio semet explicandi indulgeatur, quoque majora capiat auctoritatis incrementa, ita non expletur, sed alitur potius, crescitque et augetur, ut adeo, nisi rationis temperamento mitigetur, in effrenem facile dominationis abeat libidinem.

Sed ad continendos motus affectuum, cupiditatis vim et impetum, nec solum satis firmum rationis frenum est, neque ea gentis ullius felicitas, ea fortuna est, qua Principes omnes aut magistratus, omnes eorum administri ita perpetua ducantur modestia et aequitate, ut a recto tramite nunquam deflectant, nec justos imperii fines unquam egrediantur. Quae cum ita sese habeant, validum adversus imperantium libidinem munimentum opus est, quo, velut mole quadam opposita, tumentes imperii fluctus compescantur, ne latius evagentur.

Quod cum facile perspexissent populi, mature jam varia imperii intra limites continendi momenta requirere coeperunt atque alii quidem alia sibi adsciverunt, prudentiores in eo maxime collocarunt, ut varia summae potestatis membra, varias partes sic distribuerent, ut altera alteri velut opposita eam compesceret, nulla praeponderaret, ex mutua vero singularum inter se repugnantia efficacissimus ad civitatis tranquillitatem nasceretur omnium concentus et amica conspiratio. Hinc apud Spartanos Ephori, apud Romanos Tribuni Plebis nati sunt. Hinc apud Anglos Parliamenti tanta vis et auctoritas. Hinc regno jura finita, imperiis formulae scriptae sunt. Hinc denique, nostra aetate, monarchiae legibus institutisque temperatae tantum exstitit per totam Europam desiderium.

Verum etsi egregia quidem ista per se sint instituta eaque ad Reipublicae quietem fructuosissima, attamen, nisi altius, quo nitantur, fundamentum subjectum habeant, lubrica sunt et ambigua ac, pro cujusque cupiditate, in omnes conatus facile convertenda. At solidissimum stabilissimumque fundamentum praebet publica civium vox et opinio, qua si fulta sint instituta civilia, vi nulla convelluntur. Sed ea, nisi a certis doctrinae principiis et explorata jurium officiorumque socialium cognitione proficiscatur, nec bonum a malo, nec inanem rerum speciem a naturae veritate valet discernere, proque cauto judicii delectu, inconsultam arbitrii levitatem exhibet. Haec autem doctrinae praecepta, hanc rerum socialium notitiam nulla uberius quam Juris Publici disciplina suppeditat, qua si omnes imbuti sint, nec facile quidquam, quo justitia violetur ac civitatis pax et otium periclitetur, seu vi seu dolo moliantur, qui forte Reipublicae praesint, mali maleve consulti. Principes aut magistratus aut Principum administri nec, si quid forte moliti sint, communis opinionis adversante suffragio, perferre valeant. Quid multa? Per civitatem longe lateque diffusa Juris Publici notitia eâque subnixa civium vox et voluntas et opinio publica, cum ad imperantium moderationem et aequitatem gravissimum, tum ad arcendas turbas a dominationis libidine profectas efficacissimum habent momentum.

Quod si exemplis declarandum esset, luculentum nobis Anglia referret documentum, ubi Juris Publici, non universalis quidem illius, sed proprii tamen Anglici per omnes hominum sortes sic est vulgata multoque annorum decursu roborata velut ac radicata scientia, indeque prognata populi de Republica mens et opinio, ut apud omnes adeo sententia valeat: nec quidquam nisi bene facere posse Regem nec mali multum ab ejus administris esse metuendum, quippe qui unanimi civium voci ex accurata jurium officiorumque notitia natae sese obsistere non posse, noverint, idque si conentur, paratam sibi ruinam videant. Istâ vero quae sit beatior Regis conditio, quae gratior ulla civium securitas?

Sed restat, quam in ultimum orationis locum servavimus, uberrima dissensionum et turbarum, ab hominum malevolentia profectarum, materia, factiosiorum hominum cupiditas pravaque ambitio. Quam si intelligenti Juris Publici cognitione diligentique studio vel tolli plane vel contineri certe docuerimus, non est, quod amplius de summa hujus praestantia egregiaque ejus efficacitate ad pacatam Reipublicae incolumitatem possit ambigi.

Est ea communis fere civitatis cujusque ratio, ut raro desint, qui, praesenti rerum statu parum contenti, res novas, si non expetant, certe non admodum extimescant. Nec mirum. Quodsi enim plerique vel privatae sortis iniquitatem conqueruntur, cujus tamen sibi ipsi quisque praecipuus est opifex, qui tandem publica civitatis conditio placeat omnibus, quam saepius insciis plerisque vel et improbantibus quandoque alienum parat arbitrium, ut adeo nec auctor appareat, nec caussa perspiciatur. Quin etsi vel maxima rerum prudentia summoque consilio regantur omnia, vix ea tamen ulli civitati continget felicitas, ut ad votum aeque satisfactum sit omnibus. Obstant enim hominum cum alia multa vitia, tum vero mentis inscitia et ambitionis cupiditas, quae quidem sunt offensionis caussae potissimae. Ut enim in administranda Republica infinita peraguntur negotia, quorum consilia vulgus latent quorumque, prae mentis angustiis, exitum omnes assequi nequeunt, multa quoque in communem utilitatem cum aliquo, seu vero seu opinato, quorumdam incommodo salubriter constituantur, ita non potest, quin facile in transversum rapiatur inconsultae multitudinis judicium. Accedit fastidiosa cavillatorum ineptia politica garrientium et gravissimas Reipublicae curas nasuto modulo suo metientium. Ita latius in dies serpit opinionum temeritas. Est enim ea communis hominum ratio, ut, quo magis ad se quaeque pertinere credant, eo plus in iis sapere sibi videantur. Ita vero facilis igni concipiendo materia confertur, quae, si fomite subjecto concitetur, mox in apertum erumpit incendium. Sed caussa parata non est quod deficiat opportunitas, quam infinitam misera praebet ambitio, opum honorumque prava cupiditas et factiosorum hominum impudentia, dolus, nequitia. Neque enim in ulla unquam civitate desunt, quibus mala abunde omnia sunt, sed neque res neque spes bona ulla.

Horum autem quae mirum in modum stimulet audaciam, tristis est rerum experientia, in populari turba, nefariis quibusvis artibus partam a perditissimo quovis fortunam, sedata tempestate, resipiscente populo, multo facilius obtineri, quam pacata rerum conditione primum parari. Tales itaque dicto scriptoque sophistarum artibus et laqueis hominum animos irretire, suspiciones, metum, invidiam serere, imperantibus irasci, insidiari, propria in eos flagitia transferre, famam eorum ac dignitatem arrodere. Ita odio in primores concitato, indigentissimis ac deterrimis e plebe in partes allectis, multitudini palpare, blandiri, magnifica quaevis promittere populumque escae turpiter hamoque inhiantem deludere, tandemque, bonis omnibus fugatis, factione, scelere, furore cuncta miscere. Quo si deventum sit, jam actum est de Republica.

Sed impios horum conatus qua tandem ratione cohibeas? Eosne legum minis aut imperii vi refrenari posse censeas, quas ipsas evertere nituntur, quarumque velut repagulis perfractis non impunitas solum sceleris sed praemia iis expugnanda sunt.

Immo vero, neque his opus est nec aliis ullis auxiliis, si a Jure Publico cives instructi sint, nec in officii parte gravissima, quae prima populo cuivis civique deberet esse cognita, e factiosorum hominum astutia et improbitate pendeant, sed accuratam doctrinam ducem vitaeque magistram habeant. Ita seditionum ipsa materia subducitur, cupiditatis telum obtunditur. Quid enim vel seditiosissimus quisque moveat, cui socios nullos sperare liceat? Hos autem unde arcessat; si, quid cogitet, quid paret, quoque omnes ejus conatus exituri sint, cuncti perspiciant; aut, si tamen moliri non desinat, quid solus quaeso perficiat?

Omnino, ex intelligenti jurium officiorumque socialium cognitione omnis apta nexaque est civitatis pax et tranquillitas, eaque deficiente vacillat omnis, claudicat et *incedit* quasi *per ignes suppositos cineri doloso.*

Profecto si libera plenaque, sed eadem casta prudensque, inter Francos vulgata fuisset Juris Publici doctrina, aut nulla contigisset unquam regni conversio, aut certe non eo processisset insaniae.

Quis enim peritior unquam fidem adhibuisset libertatis praeconibus oris libertatem ferro vindicantibus, ut ne hiscere quidem liceret ad deplorandam Patriae servitutem? Quid, quod, non linguae modo, verum et animorum judiciis frenum injicere volebant tacitosque sensus suppliciis afficiebant. Quis quaeso, qui saniora doctrinae praecepta vel summis degustasset labiis, ea sibi illudi passus fuisset aequalitate, qua, non solum natalium, fortunarum morumque honestas omnis, sed vel ipsa cultus humanitatisque umbra levissima, in atrocissimis flagitiis numerata, suppliciis vindicaretur, summum locum tenentibus, qui, ex infimis progressi vitae fortunaeque sordibus, nulla rerum scientia usuque instructi, sed audacia, temeritate, scelere alios essent antegressi, lingua promti, criminosi, vociferatores? His qui tandem ingenuus generosusque sensus ullus inesse poterat? Sed justis doctrinae principiis obliteratis, vesana regnabat amentia.

In iis autem civitatum tenebris, in tanta rerum caligine, quo tandem confugias, nisi ad illius lumen disciplinae, quae turbis civilibus, sive ab ingeniorum errore sive ab hominum malitia concitatis, unum omnium saluberrimum adfert remedium, quae firmum addit robur Principibus, quae subditis tutelam praebet certissimam rebusque trepidis et afflictis est sacra velut ancora legitimae potestatis?

Felix itaque Patria, unde tanta tamque praeclara disciplina, una vitae civilis dux et magistra fidissima, non solum non exulat, sed quae peregrina tyrannide fugatam ipsa sibi reddita confestim revocavit amplissimoque honoris et dignitatis gradu collocavit! Felix Belgium, cui inconcussum tutae tranquillaeque pacis columen spondet paternus Augusti Regis in cives animus, horumque in Regem intemerata pietas!

Felix, Optime Rex, Patriae Pater, qui Nassavicae Domus hereditaria de Belgis merita sic propriis cumulasti virtutibus!

Verum alia restant, quae hujus diei solemnitas, quae pietas, religio fidesque postulant. Sanctissimum restat officium, ut publice gratias Vobis agam, Illustres Musarum nostrarum Praesides! quod Vestra auctoritate Vestraque apud Augustum Regem commendatione eam mihi parastis provinciam, qua nulla nec ad ingenium meum suavior nec ad studiorum opportunitatem contingere potuisset uberior. Sed hoc ipsum dum facere aggredior, subeunt animum curae cogitationesque contrariae, quibus, ut novi honoris accessione non mediocriter laetatur, ita suscepti muneris gravitate sollicitatur. Nam in qua tandem Academia collocatus, aut cui suffectus sum? Nempe in ea universitate literaria, quae omnes alias splendore et celebritate aut superat aut aequat, quae eam ipsam celebritatem; cum aliis caussis aliisque summis viris, tum etiam KEMPERI famae doctrinaeque debet ejusque egregiis in Jurisprudentiam et in Patriam universam meritis. In ea autem Academia tali tantoque succedens viro, quis est qui non trepidet et confundatur? Quid, quod ex amicorum sinu atque ex ea urbe migrandum fuit, ubi altus, doctus sum et institutus, ubi gens, ubi domus adest honesteque mea delitescebat mediocritas? Haec eadem in prima deliberatione statim occurrebant, sed, ut in eas, quas secutus sum, partes discederem, cum alia movebant multa, inter quae et urbis opportunitas et Academiae fama, tum vero maxime honorifici Vestri de me judicii vis et auctoritas. Equidem, quam sapientia Vestra fretus stationem suscipio, eam pro modulo meo tueri non desinam, quoque minus ingenio possum, subsidio diligentiam mihi comparabo.

Vos autem cum intueor, divinae humanaeque sapientiae Professores Clarissimi! majorine voluptate perfundar an verecundia, nescio. Voluptate quidem, qui jucundissima collegii necessitudine cum praestantissimis conjungor viris, quorum cumulata laude nomina summâ dudum admiratione prosecutus sum. Verecundia vero, si reputo, quantum tenuitati meae ad Vestram desit cum doctrinae copiam tum ingenii ubertatem.

Morte Vobis ereptus est KEMPERUS, vir doctrinae magnitudine et immortalibus in Rempublicam beneficiis meritissimus, sed idem ab animi benevolentia et candore pari cum humanitate conjuncto Vobis commendatissimus. Cujus reliquas virtutes si minus Vobis praestare possum, certe humanitatem et candorem praestabo. Scio, quid meritis Vestris, quid aetati debeam, nec ullum officii genus, quo Vos mihi devincire possim, temere praetermittam.

Vos denique, bonarum artium Studiosi! Juvenes Lectissimi, non multis verbis rogandi estis, qui me, paullo diutius in his studiis versatum, libenti animo commilitonem accipiatis. Etenim et aetatis ratio et studiorum communio naturalem quandam Vobiscum mihi conciliare videntur societatem, non eam ad professoriam gravitatem sed ad mutuum amicitiae et familiaritatis usum compositam. A morosa quippe magistri severitate aetas mea pariter et ingenium abhorrent et, ipse liberali usus institutione, experiundo cognovi, quantum ad studiorum fructum docentis cum discentibus familiaris et amica consuetudo valeat.

Vos praesertim, quibuscum arctius me conjungit delata provincia, Jurisprudentiae Studiosi! vidistis, quantum intelligens Juris Publici studium ad Reipublicae tranquillitatem, salutem, felicitatem sit fructuosum. Omni cura, omni cogitatione in illud incumbamus idque studeamus, ut recti, justi decorique sensu molliore nostro aspera mitigemus aliorum ingenia, iras et odia placemus judiciorumque nostrorum aequitate alios, non nisi exilia, caedes et incendia crepantes, ad aequitatem et clementiam revocemus. Ita cum studiis nostris, cum Academia, cum universis adeo Patriae fortunis actum praeclare fuerit.

DIXI.

❀

JANI VAN DER HOEVEN

ORATIO

DE

DILIGENTI VERITATIS STUDIO PRAECIPUA NATURAE INTERPRETIS DOTE.

QUAM PUBLICE HABUIT DIE XXIX. APRILIS MDCCCXXVI,

CUM PROFESSIONEM SCIENTIARUM MATHEMATICARUM
ET PHYSICARUM EXTRAORDINARIAM IN ACADEMIA
LUGDUNO-BATAVA SOLENNI RITU AUSPICARETUR.

PERILLUSTRES HUJUS ACADEMIAE CURATORES!

RECTOR MAGNIFICE!

QUI JURI DICUNDO PRAEESTIS, VIRI GRAVISSIMI, INTEGERRIMI!

CIVITATIS CONSUL ET SENATORES, QUIQUE HIS AB ACTIS ESTIS, VIRI AMPLISSIMI, SPECTATISSIMI!

QUARUMVIS DISCIPLINARUM PROFESSORES CLARISSIMI!

ARTIUM ET LINGUARUM LECTORES PERITISSIMI!

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES, PLURIMUM VENERANDI!

ARTIUM ET SCIENTIARUM DOCTORES CONSULTISSIMI, ERUDITISSIMI!

HUJUS ACADEMIAE CIVES, COMMILITONES ORNATISSIMI!

QUOTQUOT DENIQUE ADESTIS, CUJUSCUMQUE LOCI, ORDINIS ET DIGNITATIS, AUDITORES HUMANISSIMI, EXOPTATISSIMI!

Tantum esse, Cicero ait, innatum in nobis cognitionis amorem et scientiae, ut nemo dubitare possit quin ad eas res hominum natura nullo emolumento invitata rapiatur. Quod quam recte Tullius dixerit videmus profecto cum in puerorum vitas tamquam in speculum inspicimus. Hos enim ita delectari animadvertimus rerum gestarum narratione ac naturae contemplatione ut cum incredibili quadam scientiae siti natum esse hominem diceres! Neque, cum ad ejusmodi investigationem animum adjungunt, utilitatis cujusdam cogitatione alliciuntur, sed ipso cognoscendi impelluntur desiderio. Si enim non nisi perspecto ac veluti oblato disciplinae usu ad scientias addiscendas impelli aut possunt aut debent, verendum profecto est ne nihil discant. Quis ignorat pueri, qui aliqua judicii facilitate gaudent, ubi matheseos aptum ducem nacti sunt, quam mirifice delectari soleant figurarum proprietatibus et propositionum demonstrationibus? Quantopere eorum agitetur animus, quanto gaudio perfundatur ubi quid sit verum subtili hac arte invenerint? Est tamen illarum rerum usus ut uberrimus, ita ab illo demum percipiendus, qui omnium disciplinae partium nexum et multiplicis artis formam veluti animo complexus sit. Ad hanc vero scientiae praestantiam pauci sunt, qui perveniant; et tamen didicisse vel primas lineas prodest. Quod cum ita sit in ea scientia, quae plerisque jure an injuria (id enim nunc non quaerimus) minimum oblectationis habere videtur, quid de reliquis censendum est, quae vulgo et faciliores et amoeniores habentur? Dubitari igitur non potest quin cognitionis sit insitus nobis amor, quem in quibusdam hominibus iisdemque generis humani ornamentis maximis tantum deprehendimus ut nullo impedimento deterreantur et cum summis curis et laboribus compensent, quam ex discendo capiunt voluptatem.

Hunc vero scientiae amorem quemadmodum multa sunt quae alere et acuere possunt sic etiam prava jubentium praecepta reprimere et tandem extinguere posse praesertim in teneris aetatulis non est quod moneam. Est genus hominum, qui semper de artium scientiarumque utilitate, deque pretio quod iis statuendum sit mercatorum more disputant. Hi quidem medicinam et juris scientiam utiles esse arbitrantur, dignasque quibus addiscendis studium operamque impendant, de physicis vero disciplinis deque litteris, quae ab humanitate nomen habent, iniquius sentiunt. Fatentur tamen in physicis disciplinis (nam de litteris dicere mearum non est partium) loca quaedam neque omni carere utilitate neque prorsus spernenda esse; est enim in arte nautica, in mechanica, in hydraulica, est in chemia, quae applicata dicitur, quo in vita communi utantur homines; neque omnem rerum naturalium investigationem contemnunt: multis enim plantis culina, pluribus etiam pharmacopaea eget, et utimur equorum viribus, vaccarum lacte, ovium velleribus. Botanicam igitur quamdam coquorum et pharmacopolarum, paucorum quorumdam, quae ad macellum deferuntur, animalium domesticorum scientiam laudant; reliquas vero amplissimae naturae partes ne teruncii quidem faciunt, et mirari non desinunt esse homines tam stultos atque ineptos, qui hisce studiis rerum naturalium sese addicant, iisque inhaerescant. Horum sermonibus cum fieri nequeat quin saepe intersint pueri, tandem et recte sentire illos vituperatores opinari incipiunt et studia illa, quorum utilitatem nullam vident, derelinquere.

Nolite putare A. A. me hac hora historiae naturalis patrocinium suscepturum esse, aut de ejus praestantia verba facturum. Quo enim haec studia mihi laude digniora videntur, eo magis me ab iis laudandis deterret meae me tenuitatis conscientia. Verum hoc dico, si vera est horum, quorum vocem audivimus, vituperatorum sententia veluti mercium pretium auro sic scientiarum praestantiam utilitate dijudicari, hunc esse studiorum finem ut commodis nostris inserviamus, vitam jucundiorem efficiamus, divitias ex illis exigamus; haec igitur si ita sunt, non de litteris tantum aut physicis disciplinis sed de omnibus scientiis, de liberalibus artibus, deque ipsa humanitate desperandum esse. Non negamus magnas e scientiis artibusque hominibus natas esse et quotidie etiam nunc nasci utilitates; his vero dirigendas, ex his dijudicandas esse scientias hoc est quod negamus. Videant igitur quorsum tendat oratio! Positis omnium disciplinarum in utilitate fundamentis, non possumus ullam aut tueri aut retinere scientiam; omnia vacillent labentque necesse est. Nam uti pulchri bonique sensus ita studium veri generi humano a Deo tributum est, et quem ad modum poëtae, sculptores, pictores, musici, nulla utilitate oblata, pulchrum sequuntur; ut ii, qui morum emendatione et virtutem cultu vitam humanam dirigunt, omnia ad summum bonum referunt, ita etiam scientiarum cultores veri amore ducuntur, neque alium scientiae fructum praeter scientiam quaerunt. Is enim optimus est et plurimum laudari solet scientiarum cultor, qui veri amorem excultum habet maxime inque vero inveniendo maxima utitur industria, constantia, fortitudine!

Uti autem quaevis scientia magnum requirit in cultore suo veritatis amorem, sic historia naturalis mihi videtur eumdem postulare maximum. Cum enim scientia naturae ejusmodi sit ut ampliorem vix inveneris investigationi campum, postulat ab eo qui ei nomen dedit maximam constantiam, ne tanta rerum copia et ubertate mentis acies defatigetur ac veluti hebescat; cum vero nullis emolumentis aut praemiis, quae vulgo in pretio habentur, ad se invitare cultores suos natura soleat, quodnam veritatis studium in iis inesse censetis, qui haec nullo moti invitamento praeter ipsum studii ardorem expetenda esse arbitrantur?

Non alienum igitur ab hoc quod auspicor honorifico munere neque ab hac dicendi opportunitate mihi visum est paucis disputare de *diligenti veritatis studio praecipua naturae interpretis dote*. Tritum fateor et tralatitium argumentum; neque nos ii sumus a quibus in hac doctrinae inopia, in hac ingenii mediocritate inauditi aut etiam exquisiti quid possit exspectari. Eo tamen consilio argumentum elegimus, ut paucis ostendamus quantopere in tractanda historia naturali conducat, quamque aptum reddat hujus cultorem ad omnes sui officii partes exsequendas et adimplendas, cogitatio studia sua nulla alia re nisi veritatis amore esse dirigenda atque hoc uno fundamento niti debere! Me vero juvenem dicendi imperitum, commotum hac hora spe, metu, gaudio; conturbatum hujus loci amplitudine, horum clarissimorum et doctissimorum hominum dignitate, benigne et attente A. A, uti instituistis, audiatis.

Duplicem esse evidentiam aliam mathematicam, moralem aliam docent dialectici; hujus vero generis est illa ad quam in rerum naturalium interpretatione pervenire possumus. Cujus tres veluti fontes sunt, sensus corporis, fides, conjectura. Atque sensibus quidem, ut de his primo loco dicamus, interna animi persuasione eam auctoritatem adscribimus, ut notiones, quas eorum ope de rebus extra nos positis accepimus, veras habeamus, id est cum rebus ipsis consentientes. De hac sensuum veritate diu multumque disputatum est, qualesque res ipsae sint, quarum nos sensuum ope non nisi imagines quasdam accipimus, quaesitum, ita ut multi sintne omnino res externae dubitaverint. Hanc vero dubitandi artem et disputandi subtilitatem otiosorum quidem hominum esse putaverim, sed ab historiae naturalis cultore remotissimam. Hic enim ubi ejusmodi notiones nactus est, quas probet reliquorum hominum sensibus et sanis et diligenter utentium consensus nihil ultra requirit. Tanta cum sit notionum, quas hac ratione comparare possit copia, ubertas, varietas, nolite putare A. A. ei in summa hac vitae brevitate satis ad istas disputationes otii superesse! Iis vero ipsis, qui vel maxime in disserendo et dubitando de sensuum fide occupati fuerint, fatendum tamen est sese ad veritatem non transversum, ut ajunt, digitum accessisse. Hos igitur scepticos ut desperatos quosdam relinquamus. Nam neque veritatem quaesituros, nisi quibus persuasum sit quod ea reperiri queat ullos putaverim, neque posse, sensuum testimonio sublato, naturae vel cogitari interpretem.

Cum observationes tum experimenta hoc de quo diximus sensuum testimonio nituntur. Et quamquam in aliis physicis disciplinis major sit quam in historia naturali experimentorum et crebrior usus, errant tamen qui solis observationibus contineri hanc scientiam arbitrantur. Cum enim non descriptio tantum verum etiam cognitio rerum naturalium ad perfectam earum historiam requiratur, quis est quin videat neque chemia carere mineralium perscrutatorem,

rem, neque physiologia botanicum aut zoologum posse? In physiologia autem saepius experimentis opus est, ne de chemia nunc loquar, quam totam experimentis contineri jure dixit Cuvierius. Quamnam igitur ad disciplinam ea referenda sunt, quae de foliis plantarum Bonnetus, de modo quo vegetabilia et crescunt et nutriuntur Saussurius, de eorum vita et illa, qua afficiuntur a stimulis et irritantur facultate, noster quondam Brugmansius, illustris Humboldtius aliique experimentis et investigarunt et aperuerunt? Quae omnia nisi ad historiam naturalem pertinere putas, vereor ne nobis scientiae loco steriles quosdam rerum naturalium indices relinquas!

In observationibus autem, ut de his potissimum dicamus, multa sunt quae a diligenti veritatis studio proficiscuntur officia. Non enim sufficit, quod naturae est, sensus nostros sanos esse et valentes, oportet etiam, quod artis est, ut excercitati sint et multo atque assiduo observandi labore veluti edocti. Nullis etiam careat naturae observator vel auxiliis vel adminiculis, quae ad sensus adjuvandos callida ars excogitavit. Dein magna sit in omni observatore et animi patientia et excercitationis assiduitas. Praeclare enim Seneca, quidquid voles, inquit, quale sit, scire, tempori trade; nihil diligenter in fluctu cernitur. Qua in re exemplo nobis sit is, quem modo dixi, Bonnetus, qui per duodecim annos indagationi suae de foliis sese tradidit totum. Miramur insectorum subtilem fabricam, nervorum in iis divisionem multiplicem, musculorum incredibilem parvitatem, ingentem numerum! Justa sane haec admiratio est! Verum quidni etiam miremur Swammerdammii, Lyonneti aliorumque in his perscrutandis patientiam et improbum paene dixerim laborem? Atque Swammerdammium cum dico, recordari juvat, quae de illo annotavit Boerhaavius, magnus profecto magni viri laudator. Hic vero Swammerdammium operi de apibus sic incubuisse scribit, ut penitus inde esset defectus viribus, neque illum postea vigoris pristini vel vestigia unquam habuisse. » Indagandi labor supra humanus. Observandi cura interdiu sine ulla remissione. Noctu opus erat describere et delineare visa interdiu. A sexta matutina tempore aestivo incipiebat sat lucis a sole accipere ut posset oculis subtilitates rerum assequi. Occupabatur ad meridiem in pleno die, capite nudo ne lucem impediret, in ipso solis aperto lumine, ut caput perpetuo profusissimis sudoribus prae aestu difflueret. Oculi autem, tanta utentes luce et microscopiis praeterea adjuti, ita hebescebant,

bant, ut, decedente post medium diem sole, non posset acute cernere corpuscula examinanda, quamvis jam lucem haberet aeque splendentem quam antemeridiano tempore." En praeclarum indefessi et strenui naturae cultoris exemplum! Hunc diu vixisse arbitramur, quamvis eum in ipso aetatis flore, tertium et quadragesimum annum agentem, mors oppresserit. Horae quidem cedunt et dies et menses et anni; sed manent, quae labore, studio et recte factis consecutus sis!

Iis vero, quae huc usque disputavimus, satis declaratum esse putamus, quanta assiduitas in observanda natura requiratur. Sed et alia sunt, quae a strenuo naturae observatore eodemque veritatis amatore diligenti exposcimus. Sit enim ab omni praejudicata opinione remotus, et rationem sequatur, neque phantasia duci sese patiatur. Sunt enim, qui in natura praeternaturalia praesertim quaerant, quibusque nihil, nisi quod mirum sit, attentione magnopere dignum esse videatur. Quae insania quanta pepererit monstra noverunt omnes, qui in historia anatomiae, physiologiae aliarumque disciplinarum physicarum non prorsus hospites sunt!

Multa sunt praejudicatarum opinionum genera et omnia persequi longum est. Unam autem sententiam, cum sit pervulgata, paucis memorandam esse arbitramur. Quibusdam scilicet nonnulla in rerum natura tam parva tamque vilia esse videntur, ut nugatorii quid istorum indagationem atque inanis habere censeant. Qua opinione quid magis aut temerarium potest aut superbum excogitari? Neque tantum superbius potest, sed etiam falsius nihil proferri. Ita enim est constituta natura, ut nusquam magis quam in minimis tota esse videatur. In iis enim insectis, quorum perscrutationi totum fere sese tradidit Swammerdammius, in his igitur tam parvis atque tam nullis animalculis, quanta vis, quam inextricabilis perfectio, ita ut verum sit, quod a Boyleo scriptum legimus, oculum muscae ipsius solis corpore majus esse magisque mirandum summae Sapientiae opus!

In omnibus autem observationibus et experimentis finem quemdam sibi proponat naturae interpres ne sine consilio et ratione agere videatur. Si enim prorsus quid videndum sit nescis, peregrinatori similis es, qui omni regionis, in qua iter facit cognitione destitutus per devias incultasque plagas multo cum periculo vagatur. Haec autem videndi ars nulla re tam facile comparatur quam lectione eorum, quae a magnis et candidis observatoribus conscripta sunt. Cum enim humano ingenio vitaeque curriculo arctiores posuerit fines summus naturae Auctor, quam ut sola experientia ad aliquam doctrinae praestantiam pervenire possimus, quisque, quo magis prudenti ac modesto ingenio praeditus est, tanto majus in lectione studium ponet, eoque majorem huic, quae experientiae vicaria haberi debet, tribuet auctoritatem.

Sic igitur pervenimus ad fidem, quem alterum veritatis fontem diximus, estque assensio, quam alicujus testimonio tribuimus. Aliorum vero testimonio carere naturae interpres profecto non potest; sed magnus cum sit vel ingens potius eorum, qui de historia naturali scripserunt, numerus, dubius haeret quosnam potissimum eligat, sibique sequendos studiorum veluti duces proponat. Qua in re magna sane opus est prudentia; neque omnes cautiones persequi nunc possumus. Haec vero veritatem quaerenti optio facienda est ut eos praesertim legat auctores, qui suis ipsi inventis rerum naturalium scientiam amplificarunt. Atqui horum inventa non ex aliorum quorumdam compendiis haurienda verum ab ipsis, si fieri potest, inventoribus discenda sunt. Studiose igitur exquiramus quae docti viri aut experimentis invenerunt, aut observationibus aperuerunt, quaeque peregrinatores non sine multo labore et sudore explorarunt. Hos fontes qui consequitur non rivulorum desiderabit varietatem.

Nihil vero tam dedecet veritatis cultorem, quam superbia, quae magnifice de scientia opinatur sua, et praejudicatarum opinionum, errorum quorumvis et ignorationis fertilissima mater est. Nec desunt tamen qui non tam quid verum sit quam quid conveniat sententiae suae quaerere videntur; quibusque persuasum est ad scientiam suam non multum aut nihil etiam accedere posse. Quantopere vero a naturae cultore tam insolens absit aliorum fastidium Daubentonus declarat, quem accepimus quartum et octogesimum vitae annum agentem Havyi, discipuli quondam sui, inventa didicisse, atque ad ea pernoscenda omne quod ei supererat virium atque nervorum contulisse, ut adolescentibus, quos mineralogiam docebat, tradere dein illa et recte exponere posset.

Verum dici vix potest quantum momenti cum in omni studiorum genere, tum praesertim in historia naturali ad verum inveniendum afferat, si viam tibi certam describas, quam presse accurateque sequaris. Hanc viam historicam esse debere et temporum ratione deinceps evolvi oportere auctores, vix est quod moneam. Ita enim suum cuique tribuemus quam facillime, quo quid potest verum quaerenti esse dulcius? Quod autem in natura videmus ut cursus certus sit et via quaedam, qua aliud ex alio nascitur et gignitur, id etiam in historia generis humani obtinet, ita ut mentem humanam uno reperto ad aliud deduci omnesque omnium seculorum homines una eademque scientiae copula conjunctos esse fatearis! Haec igitur et amoena et compendiaria via est; accedemus enim ad sequentes auctores non recentes, verum aliquam eorum notitiam e superioribus haustam adferentes, paratiores jam ad illos veniemus, et, ut aequos veritatis cultores decet, eorum pumilionum jactantiam et vanitatem reprimemus, qui, quod gigantis cujusdam humeris insideant atque eo longius videant, etiam acrius se illo videre gloriantur! Veritatis igitur qui ducitur studio hanc historicam rationem sequatur, sibique illam tamquam viam quamdam describat, quod quale sit et quam multas ad res perutile vereor ut illi satis intelligant, qui, decurso scientiae campo, ex aliquo compendio historiam scientiae addiscunt, quo studiis suis quasi cumulum addere se putant.

Sed venimus jam ad aliorum fidem explorandam, quae res quantas habeat difficultates nemo est quin intelligat. Ut enim in nimia credulitate imprudentia cernitur, sic desideratur in nimia incredulitate modestia. Quid *Ornithorhyncho*, quem apte *paradoxum* dixit Blumenbachius, magis mirum? Lutrae corpus vides, pedes castoris, rostrum anatis, ita ut inconstanter egisse naturam, omnia permiscuisse, et tumultuarium quoddam opus architectatam fuisse diceres. Accidit quod ubi primum descriptum fuerit animal multi an esset nec ne dubitaverint; cum enim nulla in classe aptum sibi locum invenire posse videretur, ejusmodi animal ne esse quidem arbitrabantur; et, quos sibi in systemate praescripserant limites, naturae ipsi praescribere non dubitabant. Qua temeritate quid est turpius? Praestat assensionem cohibere, rem tempori tradere.

Quod vero ad aliorum experimenta attinet, majori etiam in his dijudicandis prudentia opus est, longo demum usu comparanda. Quis enim crederet esse homines tanta temeritate dicam an protervitate praeditos, ut experimenta, numquam a se ipsis instituta, fingere et scriptis suis cum orbe litterato communicare non erubescant? Sed ubi rerum testimonia adsunt quid opus est verbis? Scimus enim auctores quosdam, physicorum nomine indignos (nam ut hi veritatis, sic illi mendacii amore ducuntur), aliquam ex lutulento hoc fonte glorioriolam consecutos fuisse. Delevit tamen haec commenta tempus et prudentiorum hominum diligentia. Sunt enim nonnullae veluti notae fraudem fuisse commissam declarantes. Est A. A. nativa quaedam, quam nulla ars unquam poterit imitari, in candido homine simplicitas. Haec in ipsa experimentorum narratione elucescit. Hac qui praeditus est exponit omnia scitu digna, quae in experimentis ipse tenuerit vel vitaverit; opposita experimentia institui jubet, ut videas oppositos inde fluere eventus; omnia denique apto ordine tradit, nec ratiocinia experimentis ubivis immiscet. Qui animi candor cum exemplis potius quam verbis demonstrari posse mihi videatur, ne aegre feratis A. A.! si unum e multis excitem Theodorum Saussurium, cujus chemica de vegetabilibus experimenta melius prudentem et sincerum naturae interpretem adumbrant, quam ego longiori etiam oratione posse mihi videor.

Ex comparatione autem observationum et experimentorum, ex inductione et analogia conflatur et efficitur conjectura, quem tertium evidentiae moralis fontem esse diximus. Hujus generis vis latissime in historia naturali dominatur. Eo autem firmiora inductionis judicia erunt, quo major sit, e quibus illa deduxeris, observationum numerus. Cum vero omnia in rerum natura mirabili quodam nexu cohaereant, respondeantque extrema mediis, media utrisque, omnia omnibus, videmus profecto perinfirmam esse eorum rationem, qui unam alteramve regni animalis classem, paucas quasdam plantarum familias, ignoratis et veluti neglectis reliquis omnibus, rite percipi et intelligi posse arbitrantur. Qui ita faciunt saepe laudabiliter in describendis et notandis rerum naturalium characteribus versantur; cum autem systemata conficere et ex istis angustiis exire gestiunt, dici vix potest quantopere fallantur. Aliud scilicet est rerum differentias notare, aliud invenire similitudines. Utrumque excercitationis opus est; utrumque in naturae interprete requirimus; et, quamquam ob magnam rerum ubertatem vitaeque brevitatem seligenda est classis quaedam, quam prae ceteris perdiscas, nemo tamen, qui ceteras plane ignorat, aut zoologus poterit aut botanicus dici. Diceretur sane si in rerum natura sejunctam ullam classem videremus; sed quae natura ipsa contexuit, ea ne laceret et frangat homo!

Eorum igitur laudamus analogicam rationem, qui totius naturae harmoniam rerumque nexum mentis acie complecti conantur. Sed in conjecturis duo sunt, quae praecipue vitanda videntur. Est genus hominum, qui, ut cum Terentiano illo Gnathone loquar, se primos esse omnium rerum volunt, nec sunt. His via experimentorum et observationum longa nimis et aspera videtur, quasi vero, quae recta sit, ea via esse possit haud brevis! Hanc igitur rectam relinquunt, spretaque rerum inquisitione et investigatione ad veritatem compendiaria, ut putant, via gestiunt pervenire. Hi omnia ratiocinio contineri dictitant; hi aliquam sibi naturam, quae quidvis potius aliud, quam natura est, sibi fingunt; de philosophia naturali scribunt, sed sic, ut si quis et naturam ignorare et desipere concupierit, nihil aliud legere debeat; hi denique e tenui quadam theoria de expansione, contractione, polaritate et nescio quibusnam aliis humanis figmentis mirabilem universi mundi magnitudinem, ordinem, pulchritudinem explanare et interpretari conantur. Quorum oracula quo majori auctoritate fuerant edita, eo citius fere falsa reperiri et ab omnibus explodi solent! Hujus temeritatis turpitudine factum est ut multi in eam deducti sint opinionem conjecturis prorsus abstinendum esse, utque omnem analogiae in historia naturali usum negaverint.

Verum ab horum etiam errore cavendum est. Divinitus enim generi humano data est ratio, quam qui spernunt ii sane, quae sit hominis natura atque praestantia, intelligere mihi non videntur. Nimirum inexhausta illa omnium rerum, in quarum tamquam theatro collocatum hominem vides, multitudo non rudis est atque indigesta moles, sed miro quodam ordine connexa sunt omnia, ita ut unum templum diceres, in quo Deus est, qui viget, qui sentit, qui moderatur et movet. Ut vero qui oculorum usu carent in luce nihilo melius videre quam in tenebris possunt, sic etiam qui rationis usum tollunt rationem summam atque sapientiam in natura numquam invenient. Saepe etiam quae observationibus nondum comprobata erant ita feliciter invenit naturae interpretum et explanavit ingenium, ut illud quamdam naturae veluti divinationem diceres. Ita Lavoisierius terras forsan metallorum oxyda esse jam viginti annos ante scripsit quam Davyus aliique experimentis rei veritatem probaverant. Nonnumquam vero ut telum praeter scopum, sic nimio quodam impetu praeter veritatem fertur ingenium, et recte dictum est apud Baconum Verulamium hominum intellectui non alas addendas esse sed plumbum potius, ut cohibeant omnem saltum et volatum. Est tamen praesertim in causarum communium investigatione, in perscrutanda totius universi harmonia, in majoribus illis histotoriae naturalis quaestionibus, ubi plane cohibere ingenium et abstinere conjecturis durum sit et nimis inhumanum. Iis quidem polarium regionum incolis, quibus adspectum solis per plures menses istorum locorum situs adimit, in ipsa illa tam diuturna nocte aurora tamen borealis adest, cujus coruscante lumine uti iis licet, dum solis reditum cogitant et longum, quem exspectant, diem. Ita nobis has verisimilitudinis veluti scintillas vindicabimus, donec omnem caliginem discutiat, et occultissima quaeque aperiat inque lucem proferat aeternitas. Aeternitatem dico? Ita sane est. Ad hanc enim ut optimus quisque proficisci cupit, sic maxime eam cogitat qui in contemplanda rerum natura animum exercitavit, et in veritatis inquisitionem omne studium omnemque operam contulit. Praeclare enim Cicero » est, inquit, animorum ingeniorumque naturale quoddam quasi pabulum consideratio contemplatioque naturae; erigimur; elatiores fieri videmur; humana despicimus, cogitantesque supera atque coelestia, haec nostra ut exigua et minima contemnimus.

Ego vero A. A., quamquam minime confectus orationis campus est, tamen pro temporis ratione satis dictum esse arbitror, ut quodam modo intelligatis quibusnam in officiis cernatur illa, quam in naturae interprete requirimus, veritatis inveniendae diligentia. Verum non investigatione tantum sed etiam professione veritatis continetur diligens ipsius studium. De hoc autem officii genere separatim dicere non videtur necesse. Quibus enim veritas ita cara est, ut in ejus investigatione omne studium omnemque operam ponant, hosce putemus parum curaturos quid alii de hac ipsa sentiant? Imo e nulla unquam re majorem delectationem capiunt quam cum errorem ex hominum animis evellere aut veritatis vim in illos transfundere possunt. Ipsa autem naturae contemplatione et investigatione ita excolitur atque acuitur veritatis sensus, ut dein in totius vitae cursu, in omnibus et dictis et factis miro modo elucescat. Ita profecto est A. A., praeclara quaevis et pulchra exercitationis assiduitate comparantur! Quid autem pulchrius excogitari potest quam illud *vitam impendere vero*, aut quae tandem laus magis expetenda illa videtur, quam tribuit Attico Nepos: *mendacium neque dicebat, neque pati poterat?* In omnibus enim vitae humanae officiis nullum reperies quin veritatis amore nitatur, sine quo virtus non virtus sed turpis potius atque odio dignissima virtutis simulatio est. Nulla enim virtus sine justitia esse potest; est vero justitia in fide posita; haec ipsa nititur veritate.

Medebor vero Auditorum satietati, et jam ad ea accedam, quae officium et hujus diei solennitas a me postulant. Nihil autem prius aut antiquius habeo quam ut vos compellem, perillustres hujus Academiae Curatores! quorum insigni benevolentiae omnes hos, quibus me exornatum video honores acceptos refero. Sed de honoribus non dicam; longe enim palmarium est quod iis me studiis reddidistis, quibus ego magnam semper felicitatis meae partem contineri putavi. A qua disciplina praxis medica me abducere paululum coepit ad eam me revocastis viri amplissimi! et ita revocastis, ut quibus antea non nisi vitae partem, amoenissimam quidem illam sed tamen partem, impendere potui, in his studiis nunc totus esse atque in naturae contemplatione omnem operam possim collocare. Pro tam praeclaro beneficio quam sim gratus nolite quaerere; tanta enim est illius magnitudo, ut mihi, quibus verbis illam coaequare possim, desperandum sit. Id vero vobis sancte promitto et obtestor me, si quid ego valeo, quod pro vestra exspectatione exiguum esse non ignoro, sed si quid valeo, id omne in haec naturae studia ita collaturum esse, ut optimus Rex, qui me vobis dedit, vosque ipsi intelligatis non ingrato neque immemori tantum benevolentiae testimonium esse tributum!

Vos Professores clarissimi! me juvenem benigne quaeso in vestrum ordinem recipiatis meque vestro auxilio, consilio, doctrina adjuvare ne dedignemini! Ego vero, quo longius absim a vestrae eruditionis praestantia, eo magis enitar, ut vos observantia et obsequio prosequar. Quod vobis inprimis dictum putetis Viri clarissimi DU PUI, SANDIFORTE, EYKI et GELDERE, quibus magistris uti mihi contigit. Discipulum rediisse scitote!

Quonam vero animo me esse putas celeberrime REINWARDTI cum tu mihi compellandus sis? Te nempe harum fortunarum mearum inventorem, inceptorem, perfectorem agnosco! Tua adhortatione factum est ut tibi adjutor datus sim, qua in re non tam id spectasse mihi videris ut pars tibi laboris aliqua demeretur, quam ut mihi meisque studiis consuleretur, utque indulgere possim ardori illi, quem in me spectasti, et tua institutione, exemplo, familiari usu auxisti! Superioribus tuis in me beneficiis jam cumulum addidisti, me laboris socium esse voluisti! Quodsi nunc impensius me tibi commendarem foret sane quod de humanitate, qua me prosecutus es, detrahere aut diffidere viderer. Hac enim spe erigitur animus fore ut tuis consiliis numquam non frui mihi liceat; una hac spe nitor, hac ducor cum munus meum auspicor! Diu te incolumem et vigentem servet Deus, in gloriam academiae et patriae!

Neque vos mihi praetereundi estis celeberrimi viri, **VOORSTI**, **CLARISSE**, **PALMI**, **SIEGENBEEKI**, quorum omnium tanta in me exstant benevoli animi testimonia, ut mihi hic in vestro ordine non defuturos esse fautores intelligam! Utinam etiam **KEMPERUM**, virum non sine lacrimis nominandum, alloqui hac hora possem. Sed reprimam me, neque sinam, ut mei privati doloris commemoratione gravissimum vestrum omnium vulnus recrudescat!

Te vero **UYLENBROEKI**, quocum junctus sum longo usu, iisdem studiis, morum similitudine, te inquam alloqui mihi dulce est! Quam coluimus in hac academia commilitones amicitiam, eamdem colamus et alamus in eodem ordine eademque scientiarum facultate collegae!

O Faustum et felicem hunc diem, qui te mihi reddit Frater conjunctissime, amice integerrime, collega exoptatissime! Reliqua scilicet omnia cum mihi in oblato munere accepta et grata sint, studiorum genus, vitae institutum, ipsa haec amplissima musarum sedes, hoc unum ingratum mihi et durum videtur, patrem senem relinquere et deserere, qui in me praxeos suae adjutorem jam sibi paratum esse speraverat; matrem quoque carissimam, cujus in nos amore nil potest excogitari majus aut eximium magis; fratrem porro vere pium, mecum et amicitia et omni voluntate sententiaque conjunctum, ceteros denique nostros tam multos atque tam caros! Compensatur vero cum hoc dolore non nisi gaudium quod percipio cum te mihi redditum videam, a quo aegre abesse me passus sum! Quodsi igitur tibi (neque aliter sentio) tantum sit quantum mihi horum carissimorum capitum desiderium, id agamus quaeso ut nobis invicem commune hoc nostrum desiderium leniamus, et vitam efficiamus quam suavissimam, humanitatis, amoris, officii plenam; ita intelligent hi nostri non minus se a nobis et coli et diligi etiamsi absint a nostris oculis, nosque urbem tantum mutasse non animum perspicient!

Tandem ad vos me converto, ornatissimi hujus academiae cives, commilitones exoptatissimi! Nonnullos in vestro ordine superesse video, quorum antea et sodalis et amicus fui. Horum animum munus, quod mihi oblatum est, quodque hoc solenni die auspicor, a me alienasse non spero; meum certe ab iis animum haud alienasse sciant! Vobis omnibus, quibus et ante notus fui, et quos nunc primum video et alloquor studiorum et honestissimi laboris me socium offero, quo doctiores et praestantiores facile multos reperietis, qui vero magis vestris commodis inservire, vobisque prodesse velit neminem. Studiorum autem genus quod mihi expetivi, quamquam non is ego sum qui omnibus aliis anteponam, elegi enim non quod optimum sed quod mihi accomodatissimum visum est, id tamen dicere non dubito, quod magna testium copia et dignitate, ubi opus esset, comprobare possem, perscrutatione naturae tum incredibili modo delectari animum, tum etiam ad Dei cultum, ad vitae constantiam, ad humanitatem, ad omnes denique virtutes conformari et aptiorem reddi. Ita naturae contemplatio mystagogi cujusdam munere fungitur, quo spretis humilibus atque abjectis omnibus, ad divina quaevis et praeclara mens humana ducitur. Quid statis igitur commilitones optimi, qui eadem haec studia diligitis, quibus ego delector? Jungat nos idem studii genus, idem naturae investigandae ardor, eademque cogitatio non nobis nos solis esse natos sed academiae, sed patriae, sed universo generi humano. Ita annuat precor coeptis nostris faveatque Deus Optimus Maximus!

DIXI.

*

ERRATUM.

Pag. 7. *lin.* 9. virtutem *leg.* virtutum

CASPARI JACOBI CHRISTIANI REUVENS

ORATIO

DE ARCHAEOLOGIAE CUM ARTIBUS RECENTIORIBUS CONJUNCTIONE,

HABITA A. D. 23 SEPTEMBRIS ANNI CIƆIƆCCCXXVI,

CUM IN ACADEMIA LUGDUNO—BATAVA
PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM,
INPRIMIS *ARCHAEOLOGIAE*,
ORDINARIAM PROFESSIONEM PUBLICE AUSPICARETUR.

PRAEFATIO.

Architecturae patriae *historiam cum scribere mihi proposuissem, materiem jam inde ab initio munere Professoris Extraordinarii conquisiveram, quam sperabam fore, ut olim, et doctrinâ et usu provectior, ad ipsa monumenta denuo exigerem, perpolirem, et digererem. Verum et me dubitatio, an unquam studiorum vitaeque tenor ejusmodi reditum sit concessurus, et opportunitas temporum, quibus non unum aedificium, inprimis in urbe Lugduno nostrâ vel exstruitur vel reparatur, permoverunt, ut vela contraherem, argumentumque ex illis collectaneis excerperem alterius orationis inauguralis, quae ex Archaeologicâ cathedrâ, cum artibus recentioribus adeo arcte conjuncta, habenda mihi erat. Est igitur, quod damus, periculum. Et proposuit quidem* Societas litteraria Rheno-Trajectina *eodem anno publice quaestionem (quae post habitam demum orationem mihi innotuit)* ut in architecturam Gothicam per Belgii regnum universum inquiratur. *Sic ergo periculum hocce nostrum vel doctiores excitabit, ut idem quod ipsi ceperamus, consilium integrum, aut ejus* *partem exsequantur; vel ad quaestionem illam publicam, sed arctius circumscriptam, aliquod respondendi subsidium, etiamsi fortasse vix idoneum, suppeditabit: quorum ut certe alterutrum contingat, ex animo optamus.*

Enimvero credibile est, inter scriptores nostrates de aliquâ architecturae parte, aut de aedificio aliquo peculiari, reperiri, qui item hanc illamve patriae architecturae aetatem descripserint: mihi modo, qui artes hodiernas nonnisi ὡς πάρεργον *tractare possim, ignoti, nec derepente inventu faciles. Hoc tamen credo, antiquissimam aetatem, artis* Byzantinae, *cujus in diario* Antiquiteiten (*T. II. P.* 1. *p.* 122), *memoriam renovare conatus sum, aut parcius, aut omnino non esse illustratam. Idem puto arti, quae vulgo* Gothica *dicitur, quanquam alioqui nobiliori, accidisse, certe quod ad fatorum ejus expositionem pertinet* (1). *Sed haud dudum, fateor, inde modo a saeculi superioris exitu, in Britanniâ, paullo recentius etiam in Germaniâ Galliâque, exemplorum multo feracioribus, quam Batavicum solum est, utrumque genus doctorum studiis excoli coepit.*

Sunt tamen inter exteros, qui nostrae architecturae historiam condere tentaverint: quorum alter est FIORILLO, in Historiâ artium graphicarum per Germaniam Belgiumque foederatum (2), *alter* WIEBEKINGIUS *in* Civili, *quam regi nostro inscripsit*, Architecturâ (3). *Quorum cum uter-*

---

(1) Vere forte WIEBEKINGIUS: Batavis deesse librum, qui architecturam civilem erudite complectatur; suppetere tantum singularium aedificiorum descriptiones. (*T. III. p.* 195).

(2) *T. III.* in *Introductione.*

(3) Variis locis, pro argumentorum et temporum ordine.

uterque in antiquissimâ aetate deficere mihi videatur, alter tamen et novissimam aetatem suo judicio illustravit et multas effigies publicavit, quibus grato sum usus animo. Quodsi quid eorum, quae utrique desunt, plenius fortasse tractare mihi contigit, non laus est haec, sed spontanea civis prae hospite felicitas.

Multum, puto, subsidii in urbium descriptionibus vernaculis repositum est; quales Haga, Amstelodamum, Lugdunum, *multaeque aliae, a suo* DE RIEMER, WAGENAAR *et* MIERIS *cum* VAN ALPHEN *acceperunt. Effigies quidem ejusmodi, quales* L. SMIDSII Thesaurus antiquitatum Belgicarum, (VAN HEUSSEN *et* VAN RYN) Batavia sacra s. Antiquitates ecclesiasticae, RADEMAKERI Museum antiquitatum Belgicarum et Cliviensium, *imo et* Omnium gentium conditio hodierna (4) *obferunt, in partibus minutioribus sunt et nimium exiguae et vero etiam haud satis certae fidei. Illud tamen tenendum, vel in optimis urbium descriptionibus peculiaribus, quae de aedificiis dicuntur, ea ad artem haud perite esse dicta: majoris plerumque momenti esse relationes de eorundem primis initiis, quamquam et ipsas cum judicio legendas; de posteriore tandem aetate, quae a conditâ inde republicâ incipit, subsisti plerumque in magistratuum laudibus, qui hanc illamve partem reparaverint,*

---

(4) L. SMIDS, *Schatkamer van Nederlandsche Oudheden;* (v. H. en v. R.) *Kerkelijke Oudheden;* RADEMAKER, *Kabinet van Nederlandsche en Kleefsche Oudheden; Tegenwoordige Staat van alle Volkeren* (*Nederlanden*): cum syllogis tabularum, quae huic operi illustrando, appendicum loco, ab aliis additae fuerunt: *Het verheerlijkt Nederland.* (*Amst.* ap. TIRION, 1745—1774. 10 *fasc.* 4to), quae iterata est ad 1792, novo titulo: *Nederlandsche Tafereelen* (ib. ap. DE GROOT C. S. 8vo et 4to); et BULTHUIS *en* BENDORP, *Vaderlandsche Gezichten* (*Amst.* ap. GARTMAN *c. s.* anno, puto, 1792. 30 *fascic.* 8vo et 4to).

aut ex aetatis more ornaverint. Itineraria Pictoria, *qualia nuper Bruxellis et Tornaci ars protulit lithographica* (5), *utilissima futura erant; nisi Bruxellense et ipsum nimis foret exiguum, et utrumque regni provincias septentrionales nimium neglexisset. Quae tamen cuncta opera in aedificiorum formâ universâ vel cognoscendâ vel indicandâ mihi profuerunt. Caetera notae subitaneae, variis mihi itineribus per patriam compositae suppeditavere. Nec tamen dubito, quin et multa me fugerint, et quaedam perperàm animo sint concepta. Cui malo quamlibet facile quis opinetur remedium itinerum repetitionem, modicis locorum in hoc regno intervallis, otium tamen haud inveni. Quorum adeo omnium, vel peccatorum, vel omissorum, veniam rogo: maxime si in rerum summâ me errasse, peritorum sententia judicum ostenderit.*

Caeterum quod Notitiam auctorum de architecturâ medii aevi *subjunxi, haud ambitiose, spero, feci; sed quod ad ornandam versionem Belgicam, quam instituit juvenis amicissimus* P. O. VAN DER CHYS, *nostrae academiae alumnus, et Archaeologiae inprimis se tradens, paraveram, idem huic Latinae deesse nolui.*

---

(5) De Cloet, *Voyage Pittoresque dans les Pays-Bas. Bruxelles* (chez Jobard), 1825. *Tom.* I—III; et *Collection historique des principales Vues des Pays-Bas. Tourn.* chez Dewasme, (s. a. sed circa eundem annum) *fol.*

PERILLUSTRES VIRI, ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE CURATORES;

RECTOR MAGNIFICE;

CIVITATIS ET AGRI LUGDUNENSIS JUDICES, VIRI GRAVISSIMI, INTEGERRIMI;

AMPLISSIME CIVITATIS CONSUL, ET RELIQUI MAGISTRATUS, QUIQUE UTRIQUE ORDINI AB ACTIS ESTIS, VIRI SPLENDIDIDISSIMI;

QUARUMVIS DISCIPLINARUM PROFESSORES CELEBERRIMI;

ARTIUM ET LINGUARUM LECTORES DOCTISSIMI;

ORACULORUM DIVINORUM INTERPRETES, PLURIMUM VENERANDI;

ARTIUM ET LINGUARUM DOCTORES PERITISSIMI;

ADOLESCENTES PRAESTANTISSIMI, ADSIDUITATE ET MODESTIA JAM NOBIS COGNITI, NOSTRA CURA;

AUDITORES OMNIS LOCI ET ORDINIS, CIVES, HOSPITES, ORNATISSIMI, NOBILISSIMI, Vicina est patriae nostrae regio, ubi surgunt in altum aedificia splendida; ubi moles ipsae vastae et firmiter stantes, spectatorum animos persuasione stabilitatis securos efficiunt, justa partium suarum proportione delectant. Illic nec fenestrae exiles et praealtae, nec turrium crassa et incondita amplitudo et obscuritas, nec flosculorum in lapide male quaesita elegantia et tenuitas et copia oculos judiciumque aut laedit aut obfuscat. Simplex maximarum molium dispositio, non temerata directarum linearum continuitas, ornamentorum paucorum in columnis, in epistyliis, in fastigiis sobrietas et gravitas, aut venustas delectant, capiunt spectatores et ad quemvis praeclarum decoris sensum animos componunt et extollunt.

Talem conspicimus, talem meminimus, auditores humanissimi, *Galliam:* Talem aut peregrinantes saepius oculis vidimus et mirati sumus, talem esse novimus, quicunque litteris vel artibus studentes externarum regionum nobis e tabulis pictis vel sculptis imaginem animo obformamus. Tam pulchram, tam ad oculorum jucunditatem compositam *Galliam* nostra quidem maxime aetas effecit, sed innixa illa novissimorum saeculorum vestigiis. Revocemus illa saecula: tria enim modo sunt: revertamur in saeculi XV et XVI, principio, conditionem. Quid adparet? Video: jam redit in animos vestros cogitatio ingentium illorum templorum, quae *Gothicâ* manu facta esse vulgo dicuntur, magnificentiae et sublimitatis: nec spernenda dicitis, et merito laudatis opera, quorum audacia mentem percellat, immensitas hominem propiorem coelo efficere videatur. Laudatis: et laudo ipse. Sed an meministis item exteriorem eorum templorum faciem *anteridibus*, hoc est, fulcris lapideis, et apicibus turriculisque innumerabilibus horridam? meministisne ornamenta, monachorum calligraphorum MStis similia, tam rigidi artificii, et nihilominus tam elaborati, ut in indignâ re egregiae patientiae monumenta perdita esse misereamini? Ecquid occurrunt potentium, non civium, sed latronum praetoria, munimenta contra vicinorum incursiones, receptacula post praedationem agrorum adjacentium, tristia, inaccessa, indigesta, angulis exstantibus, intrantibus dedecorata? Ecquid praesto sunt memoriae vestrae domus angustae, sine luce, fenestris praealtis, superioribus tabulatis, quasi Maenianis quibusdam, in plateas procurrentibus, ita ut praetereuntium capitibus immineant, et jamjam vos oppressura videantur? Haec erant vitia domibus, tam regiis quam privatis, haec curiis, haec mercatorum basilicis, et urbium portis et moenibus communia, hic urbium universarum adspectus, ita deformatus, ut omne hilare, omne venustum a saeculo XV et praecedentibus abfuisse videatur. Quae igitur repens mutatio XVI saeculum et sequentia tantopere praestantiora reddidit et ad saniores venustatis leges revocavit? Una est, auditores, causa: artificum Italicorum permultorum, qui domi antiquitatis monumenta admirari, in animo habere, imitari didicerant, invitatio et translatio in Galliam, ab uno rege magnanimo FRANCISCO I, ingenti sumtu, taedioso conamine (1), sed egregio successu facta.

Sunt vestrum, auditores, nonnulli, et praecipue collegarum meorum complures, qui me, biennio abhinc, de initio disciplinae Archaeologicae publicâ lectione quaedam exponentem benigne audiverunt. E quibus dictis vix necesse sit revocare, quod vel memoriae ipsius vestrae officio plenius et dilucidius ad hunc locum occurrat (2): Italicas urbes, post tenebricosa media saecula opibus et libertate auctas, quasi ingenii sui vigore generasse antiquitatis, venusnustatisque quoddam studium: hinc genitos saeculo XIII *Cimabuum*, qui picturam naturae propiorem effinxerit, *Brunelleschium*, qui, saeculo sequenti, ad vetera Romanorum monumenta architecturam primus emendaverit, atque ita deinceps, crescente antiquitatis amore et fervore, eodem fere tempore, saeculi XV fine et XVI initio et praestantissima *Apollinis*, *Laocoontis*, atque alia simulacra esse inventa, et excellentissimos tam architectos, quam pictores, *Michaëlem Angelum* et *Raphaëlem* et multos alios prodiisse. Quae quidem satis indicant, quam sanis, quam robustis radicibus nixa artium Italiae recentiorum castigatio generoso conatu trans Alpes in Galliam transvehi potuerit. Sit hoc *Galliae* et FRANCISCI I exemplum documento, quam laete, etiam extra Italiam, e veterum monumentorum notitiâ et studio efflorescere possit artium patriarum emendatio et perfectio. Sit adeo argumentum nostrae hujus orationis, vestro favore precor, auditores, non indignum, ut a dicentis personâ non alienum videtur, *Archaeologiae cum artibus recentioribus coniunctio.*

---

(1) Nam ex iis, quos in Galliam traducere coepit, artificibus, unus et alter post breve tempus diem obiit, aut patriae desiderio Regem destituit: ANDREAS vero SARTIUS pecuniam, ad emenda artis opera sibi adtributam, in proprios usus convertit.

(2) De renato veterum monumentorum studio legi merentur FIORILLO *Gesch. d. Zeichn. Künste in Italien.* II *B. s.* 47, 789; ROSCOE, in vitâ tam LAURENTII MEDICEI, quam Pontificis LEONIS X; GIO. ANDRES *Origine etc. d'ogni Litteratura* (*Parm.* 1783. *Vol.* III. *p.* 540). Pauca apud HEEREN, *Gesch. der Class. Litteratur.* (II *B.*, *s.* 59.)

Celebratur adeo nobis FRANCISCUS I, Galliae Rex, artium in Galliâ restitutor, cuius praeclarum exemplum si ad patriam nostram velimus componere, et regis res gestae et nostrae regionis conditio plenius percenseantur, oportet.

Architecturae facies, quam descripsimus, tristis, eademque, pariter ac mores illorum temporum, inamabilis picturae et artibus omnino plasticis ante FRANCISCUM aequalis erat. Quarum artium si quis specimina requirat, adeat librorum pergamenorum medii aevi paginas pictas, adeat aedium sacrarum simulacra lapidea, seu januarum, seu columnarum ornamenta, adeat in iisdem aedibus regum principumque sepulcra. Quarum imaginum cum habitum unusquisque paullo peritior memoriâ satis teneat, supervacuum est descripsisse: et monere sufficit, etiamsi proxima ante FRANCISCUM opera justâ corporum symmetriâ et lineamentis minus peccant, rigidam tamen et sine spiritu fuisse artem. Neque tamen omnino id significamus, prorsus ad veterum sanitatem restitutas fuisse a FRANCISCO artes plasticas: pluribus enim conatibus opus fuit per insecuta saecula, ut Gallici pictores et sculptores ad Graecorum sobriam elegantiam proxime adducerentur. Neque etiam illud volumus, nullos antiquiores Gallicae artis progressus, neque ullam ante FRANCISCUM Gallos inter et Italicos artifices consuetudinem fuisse; utrumque enim constat. Verum ajimus, praeparationes has tantum quasdam fuisse culturae a FRANCISCO inductae, et vero artificum illorum multitudinem, qui Galliam ipsius auspiciis Italicis operibus repleverunt, ROSSIUM, PRIMATICCIUM, SERLIUM, VIGNOLAM, BENVENUTUM CELLINIUM et multos alios, tam late, tam vulgo et apud omnes cives, sensum melioris venustatis et decoris disseminasse et propagasse, ut Gothica illa, quae dicitur, rigiditas passim sit exstirpata, bonaeque artes et maxime architectura, ab illo demum tempore renatae, incredibili deinceps vigore ad perfectionem effloruerint (3).

Jam patriae nostrae conditio recens, si artes spectaverimus, varia est in variis artium generibus. Sculptura cum picturâ historicâ fere nulla: alterius generis pictura, nempe topiaria, ruris et animalium et florum imitatrix, quamquam in ignobili argumento, praestans et celebris. Haec sunt nota: et caussae quales sint, quamquam non cuivis perspectum, facile tamen inventu. Architectura vero qualis? Rogatis forsan? — Equidem, auditores humanissimi, nullum proprie aedificium incusabo. Habent omnes nationes, omnia saecula sua vitia, suas virtutes, quorum utraque saepe ab extraneis et remotis causis pendent, et reguntur: et inhumanum sit, singulis objicere, quae sint peccata vel saeculi vel gentis. Sed causas illas extraneas peccatorum, siquidem fieri possit, indicare, meliorem viam modeste ostendere, licuit semper, neque unquam ab humanitate alienum censebitur. Quo quidem in loco cum longius rem repetere necesse sit, cumque et vestrum forsan aliquis, ut ego soleo, architecturae patriae historiam desideret, licebitne item, vobis comitantibus, paullulum in hunc campum, siquidem non omnino invius est, exspatiari?

Jam primum ingratum fecero, sed necessarium, si planius dixero, nullo tempore, adeoque ne ante FRANCISCI quidem aetatem, architecturam apud nostros majores videri eximie floruisse: ignoscite, precor, dicenti; de caussis, an veras indicavero, ipsi judicabitis.

Prima nempe caussa est lapidis nativi penuria;

---

(3) Cf. FIORILLO *Gesch. d. Zeichn. Künste.* III. *B. Frankr. s.* 102. sqq. Caeterum ex his verbis aliquis architecturae Gothicae, seu potius Germanicae amator, me fortasse suspicetur ejusdem esse contemtorem. Ego vero lubens concedo, in aedium sacrarum ornamentis, et in turribus miraculorum instar esse illius artis opera; idem vero in caeteris rebus haud ultra mediocritatem adsurgere medii aevi elegantiam censeo.

Altera bellorum, tam civilium, quam contra Hispanos, diuturnitas; et *Tertia*, conjuncta cum his, sacrorum emendatio.

Ex architecturâ Romanâ, passim in toto orbe vigente, nata est, maxime post sedem imperii Constantinopolin translatam, nova architectura, a loco (4), medio aevo, *Graeca* dicta, sed quae, ne cum antiquiore et meliore aetate confundatur, hodie proprie *Byzantina* nominatur. Ut vero omnis ars aedificandi soliditatem et perpetuitatem inprimis quaerit, sic lapidum usum frequentare, *materiem*, hoc est ligneas trabes et ligneos asseres vitare, bonae est artis. Hinc natum est, cum trabes lapideae non satis longae inveniantur, ut fornicibus et arcubus omnia tecta construerentur: inde porro, ut *columnis* quoque arcus, loco epistyliorum cum suis zophoris et coronis, hoc est, loco trabium planarum, imponerentur: qui arcus, columnis impositi, quando ipsi sunt legitimae formae, nempe semicirculati, indicium sunt, quo agnoscitur architectura *Byzantina*. Et haec quidem, longe lateque diffusa, ut jam de Occidente solo dicamus, viguit in *Italiá*, *Hispaniá*, *Galliá*, *Germaniá Meridionali*, ad *Rhenum*que maxime, et in *Britanniá*. Haec reliquit ad hunc usque diem aedes sacras, easque aut majores, basilicarum veterum figurâ quadratâ, oblongâ, aut minores rotundas, aut etiam in formam crucis excurrentes; haec arces sive castella nobilium; haec (sed rarius) palatia regum: privatorum vero domus vix ad nostra tempora servasse videtur.

Jam vero cum haec architectura fere ad XIII saeculum in usu fuerit, et in aliis quidem regionibus maturius, sed in aliis serius loco suo sit pulsa, ut mox dicetur, — cum omnes vicinae nobis regiones egregia ejus exempla hodieque servent, *Rheni* ripae, verbi caussâ, plurimas aedes sacras integras, *Gallia*, maximeque *Normannia*, sacrarum aedium majorum partes antiquiores, totidem *Britannia*, et insuper sacella rotunda, arcesque nobilium permultas, cum vel regni nostri meridionales regiones, *Mosae* et *Scaldi* fluviis contiguae, specimina haud rara ostendant, sacras aedes, verbi caussâ, complures *Trajecti ad Mosam* (5) et *Leodii* (6), sacellum quod hodie *aedes sacelli* vocacatur, *Bruxellis* (7) et alia (8); — vix unicum ejus generis exemplum in septentrionalibus regni nostri provinciis reperitur. *Daventriae* nempe solum est, quod nobis innotuerit: aedes *D. Nicolai*, *in colle* sita, et hodie a colle nomen habens (9), *Byzantino* generi partim adhuc affinis; caetera, de quibus idem constare videtur, aut funditus eversa sunt, neque adparent, aut humi jacent, neque a quoquam tamquam *Byzantinae* architecturae rudera agnoscuntur. Sunt autem haec: sacella duo *Neomagi*, quae perperam pro Romano et pro ethnico templo venditantur (10), abbatia *Egmundana*, aedes antiquior *Rhenoburgana*, praeterea, inter arces, *Lugdunensis* nostra, et turris quadrata arcis *Dorestatensis* (11). — *Egmundani* et *Rhenoburgensis* aedificii natales probabiliter medio saeculo XII adscribuntur; et illius quidem inscriptio partim Graeca, licet architectus fuerit monachus quidam Gandavensis, *Byzantinae* artis imitationem satis manifesto confirmat (12).

---

(4) Et ab operariis Graecis peregrinantibus; vid. FIORILLO *Gesch. der Zeichn. Künste in Deutschl.* I. *s.* 19; BUNDESHAGEN, *Pallast zu Gelnhausen. s.* 78; STIEGLITZ, *Alt-Deutsche Baukunst. s.* 51, 91.

(5) Aedem *D. Servatii.* Vid. *tabula* 89. *Itiner. Pictorii*, *Bruxellis* ap. *Jobard.*

(6) Aedem tam *D. Jacobi*, quam *D. Bartholomaei.* D'AGINCOURT *Hist. de l'art. T.* IV. *Tab.* 45. n. 22, 23.

Ut igitur abundant ejusmodi monumentis *Rhenanae* regiones et *Britannia*, sic admodum egena nostra est patria, — ut porro ornatissima vel sculpturae vel architecturae blandimentis aedificia *Byzantini* generis in eâdem *Britanniâ Germaniâque*, sic insigniter plana et inculta, quantum e reliquiis, quantum ex ipsa paucitate intelligere possumus, nostra fuisse videntur. Undenam ergo discrimen? E lapidum, ut praedictum est, nativorum egestate. Circumspectate mecum, auditores, et ex aetatis, quae insecuta est, monumentis de praecedentium saeculorum conditione judicium facite. Cum aetas recentior, adeoque ditior et potentior, lapidi idoneo peregre arcessendo impar fuerit, eo minus praecedentia saecula potuisse, intelligetis. Ornamenta scilicet quaevis architecturae sculpi debent in lapide caeso, maxime calcareo. Rarissimi enim est exempli et difficillimi, ut lateres coctiles figuris distinguantur, quod in Marchionatu *Brandeburgensi* subinde factum (13). At vero lapidem, qui sculpi possit, nostra patria non gignit, *Babyloniae* et *Assyriae* instar, argillâ et lateribus contenta. Qui proxime nostris finibus nascitur, lapis tophicus, ad oppidum *Antunnacum*, *Rheno* impositum, Vulcaniae, ut creditur, originis, unus advectu facillimus propter fluminis opportunitatem, sculpturam nullam naturâ suâ recipit. *Benthemensis* contra, vel *Belgicus* quivis lapis, caelaturae patiens, non nisi magnis sumtibus advehitur (14). Jam pleraeque sacrae aedes, etiam paullo recentiores, *Rheno* nostro vel *Vechtae* vicinae, v. c. in oppidis *Neomago*, *Arnhemiâ*, *Doesburgo*, *Doticomiâ* et proximis in pagis (15), tum in urbibus *Rhenâ*, *Trajecto ad Rhenum*, *Dordraco*, *Lugduno Batavorum*, *Harlemo*, *Amstelodamo*, *Alcmariâ* e lapide tophico sunt exstructae, et ut obiter dicam, quidquid in iis aedibus sculptum adparet, factum est e lapide Benthemensi, aliove idoneo. Transite *Rhenum*, et recedite paullo longius ab emporiis: non occurret fere nisi lapis coctilis, magnus equidem, sed tamen non nativus: luculento exemplo est *Frisia*. Contra recedamus in *Brabantiam*, et *Belgium* veterum, imo in *Zelandiam*: vix lapidis tophici nomen aut natura apud vulgus nota sunt, et praecipua aedificia e lapide arenaceo aut calcario, quem gignit *Belgium*, constantia reperiuntur. Sic igitur credibile est, nullas aedes, etiam ante saeculum XIII, multoque minus arces et castella, in nostrâ viciniâ fuisse e lapide calcareo, sed aut e lateribus, aut, summum, e topho constructa. Sic illa probabilis caussa est, cur minus ornata fuerint aedificia artis Byzantinae hic quam alibi; quod nec tophicus lapis, nec later coctilis sculpturam, ne in ornamentis quidem architectonicis recipit. Et vero etiam, inverso argumento, cum tam pauca illius artis exempla aetatem tulerint, conjicere licet, pleraque fuisse lateritia. Coctilis enim murus, aëris et imbrium quidem aeque patiens atque saxeus, multo tamen facilius, quippe levioribus particulis constans, dejicitur (16) et aptius ad privatos usus transfertur; quod in magnâ civium frequentiâ, adeoque soli caritate, vetustissimorum aedificiorum exitium necessario maturavit. Sic igitur, qua aetate *Byzantinum* architecturae genus finem habuit, nulla vulgo et passim superfuisse videntur excellentia pulchritudinis et elegantiae, ut pro illa aetate, exempla, nullusque adeo vetus et insitus harum venustatum amor ad novum architecturae genus, quod jam subolescebat, diligentissime excolendum animos praeparasse videtur.

---

(7) Aedis hujus Chorus pars est antiquior, quam solam intelligo. Cujus sine dubio, ut aliarum aedium huc facientium, effigies in urbium descriptionibus majoribus invenitur.

(8) Sic, puto, *arx vetus* Gandavi. Vid. *Itiner. Pictorii Tab.* 177.

(9) *Bergkerk*. Vid. effigiem praecipue apud DUMBAR *Kerk. en Wereldl. Deventer* I *D. blz.* 451.

(10) Ut monui in diario *Antiquiteiten* II. P. 1. *p.* 122. Imagines, a WIERTZIO, pictore Neomagensi pictas, propediem editurum me spero.

(11) Inter arces credibile est, plura etiam monumenta hujus generis superesse, quae me fugerint, quam inter aedes sacras. Sic de *Merwedensi* prope *Dordracum* idem suspicor ex effigie ap. J. SMITS *aloude Staat van Zuid-Holl. en opkomst van Dordrecht.* (*Dordr.* 1824. 8vo.)

(12) De utraque pluribus id decere conabor, cum imaginem *Egmundanae* arcis et monasterii, in diario adlegato (*T.* II. *P.* 2. *p.* 328.) promissam, in lucem edam, item propediem. — Sacella duo, in pagis *Heilo* et *Velsen* prope *Alcmariam*, quae item arcus ad semicirculum factos ostendunt, consulto praeterii, ut auditorum animadversione minus digna. Quae tamen lectores memoriâ teneant.

---

(13) Vid. BÜSCHING, *Reise durch einige Münster p.* 16, 28. Exempla exstant quidem et apud nos: *Hagae Comitum* in aede *D. Jacobi* (hodie aede Majori); *Lugduni Batavorum* in Nosocomio *D. Jacobi*, quod postea *Saaihal* dictum, nunc aedes est Catholicorum; sed illa non magni sunt momenti. Idem dicendum de aliis exemplis in fenestris aedium privatarum e saeculo XVIo et XVIIi principio, *Dordraci* et *Gorinchemiae*.

(14) Orationis editionem paranti mihi in manum venit *Descriptio Architecturae* in *Descriptione Opificiorum* vernaculâ (*Beschryving van alle Konsten*, *Ambachten enz.* 23*ste stuk.* — *Bouwkunstenaar.* Dordr. 1806. 8vo.) ubi, *p.* 170, legitur, olim Benthemensem lapidem viliorem fuisse, adeo ut integrae turres eo extrinsecus sint aedificatae; eum postea tum cariorem factum, tum per alias caussas in desuetudinem venisse. Ad quem locum illud iterum monere cogor, quod ad hanc orationem sum praefatus, me hodie tantum dare, quae hactenus observaverim, quippe incertâ spe retractationis. Nihilominus, si verba illa spectant ad aetatem architecturae *Gothicae* aut *Byzantinae*, ea, quae de viliori pretio Benthemensis lapidis docentur, conjecturâ niti videntur: ita ut hactenus ipse acquiescam in eâ, quam proposui, operum et locorum distinctione.

(15) V. g. *Zelhem* et *Winterswijk*. De urbibus *Tilâ*, *Bommeliâ*, *Woerdâ* non novi: suspicor tamen.

Novum scilicet genus cum irrepsisse ajimus, intelligitur illud, quod incertâ appellatione, *Gothicum* hodie nominatur; quamquam *Gothicae* artis nomen, vetustioris, quam vulgo creditur originis (17), etiam antecedentem aetatem complecti videtur. Sed nos Batavi *Gothicum* genus hocce adpellare consuevimus, quod e vetustis unice ante oculos habemus et novimus: arcubus acutis constans, loco semicirculatorum, incredibiliter leve et tenue in fornicibus, firmissimum propter arcuum formam, exinde altissimum, et sublime, sed anteridibus, hoc est fulcris externis dedecoratum, nempe ut muri te-

---

(16) Adparet hujus argumenti priorem partem infirmam esse, si de illa agatur aetate, qua lateres coctiles ejusdem magnitudinis in usu erant, atque tophici murorum lapides. Quo autem tempore lateres minores fieri coeperint, investigare deficiente otio non potui: quod architecti fortasse conficient.

(17) Reperitur de aedificio, a CHLOTARIO I, Francorum rege, constructo. Vid. FIORILLO *Gesch. d. Zeichn. Künste* III *B. Frankr. p.* 7. Architectura nempe cum una eademque fuisse videatur in imperio Occidentali atque Orientali, nomen ei inditum est a *Gothis*, Italiam aliquamdiu obtinentibus; sicut et *Romanae* et *Italicae* appellatione eadem ars celebrabatur, quippe quae exerceretur modo a Graecis, modo ab Italicis artificibus. Vid. POWNAL, *on Gothick Archit.* (*Archaeol. Brit.* IX. *p.* 14); FIORILLO *Gesch. der Zeichn. Künste in Deutschl.* I. *p.* 19; STIEGLITZ *Alt-Deutsche Bauk. p.* 61, 94.

tectorum fornicatorum ponderi sustinendo pares esse possint. Novimus hoc genus, auditores, nec exempla, quae quotidie cernimus, adferre necesse est. Hoc est illud, cujus deformitates initio sermonis nostri in mentem vobis revocando, dissimulare tamen laudes nequaquam voluimus; et quaevis saecula suis laudibus censentur; et quae nunc male sedula adfectatio, qui aberrantis phantasiae pravi foetus judicantur, eae tunc erant venustates, ii certe in multis aedificiorum generibus artis progressus, si ad aetatem superiorem conferantur, ea omnino ingenii ad pulcritudinis, quamvis misellae, sed tamen pulcritudinis et elegantiae studium se informantis documenta. Et originem quidem nova architectura *Gothica* in *Germaniâ* habuisse, eademque, quamvis antea jam nota, circa saeculum modo XIII vulgata (18) et ad alias regiones translata fuisse videtur.

Sed ipsa haec aetas architecturae Gothicae, sic rogare videmini, ipsa haec nonne certe pares apud nostros majores architecturae progressus habuit, nonne paria monumenta hic terrarum reliquit atque peregre? Nonne sic idem ante FRANCISCUM I artis praestantissimae vigor apud nos reperitur, qui alibi, qui vigor modo quasi praecisus aut extenuatus sit per saeculi XVI bella Hispanica? Audio: et fateor nobilia multa aedificia esse condita: aedem *D. Martini* episcopalem (19) et alias plures *Trajecti ad Rhenum*, saeculo XIII ineunte; aedem *D. Georgii*, *Amisfurtensem*; paullo post aedem *veterem Amstelodamensem*, *D. Johannis Baptistae* et *Nicolai*; aedem *D. Mariae*, *Dordracenam*, utramque saeculi XIV; aedem *D. Livini*, *Zirizeensem*, quae sive ipsa, sive cuius in locum haec successit, cum esset celebris Cyriace (Κυριακὴ), ipsi urbi nomen dedit (20), saeculo XV (quae quidem aedes vulgo majores sunt, quam peregre in urbibus non primariis esse solent); praeterea aulam regiam *Haganam*, jam saeculo XIII a comite GUILIELMO II, rege Roma-

---

(18) Media est haec quodammodo sententia inter plures diversissimas.

(19) Effigies apud WIEBEKING, *Bürg. Bauk. Tab.* 120; ichnographia ib. *Tab.* 113.

(20) BOXHORN. in *Nehalenniâ* (ad calcem REITZII *Belgae Graecissantis*) *p.* 581. Caeterum aedis hujus et turris talis, qualem perficere propositum fuit (est enim, sicut Coloniensis, imperfecta) effigies excusa est duabus tabulis aeneis majoribus, vulgo minus notis, cum annorum notis singulatim 1619, et 1657.

norum aedificatam (21), ne de plurimis aliis dicamus, quae ubique nobis se obferunt, cujusque generis unusquisque nostrum e patriâ urbe unum vel plura exempla sine dubio recordatur. Sed num idem omnino splendor adparet, qui peregre? Nempe, ut hoc utar, pleraeque aedes episcopales apud exteros, aut etiam aedes aliae ditiores artis Gothicae geminas turres ostendunt: in *Germaniâ: Coloniensis*, *Magdeburgensis*, *Argentoratensis*, *Ratisbonensis;* in *Belgio*, nobiscum conjuncto: *Antverpina*, *Bruxellensis* (22); in *Galliâ: Remensis*, *Suessionensis*, *Parisina*, *Rothomagensis*, *Ambianensis;* in *Britannia* itidem: *Westmonasteriensis*, *Cantuariensis*, *Eboracensis*, et omnino aliae permultae. Unicam turrem vero habet episcopalis aedes *Trajectina*, et paucae illae domus sacrae, quae binis ornatae aut adhuc sunt, aut fuerunt, *Daventriae* (23), *Arnhemiae* (24), *Trajecti ad Rhenum* (25) et prope nos Abbatia *Egmundana*, eae sunt antiquiores, artis *Byzantinae*, adeoque minus grandes, aut etiamsi fortasse e genere *Gothico*, tamen omnino minoris amplitudinis et praestantiae, quam qua alioquin saeculi XIII et sequentium aedificia sunt exstructa. Sed praeterea, si paullo accuratius circumspiciamus, aut diligentius recordemur, num in aliis quoque rebus, tantum curae aedificiis his aut ornandis, aut perficiendis, adhibitum dicamus, quantum peregre? Nullius fere aedis turris, praeter *Trajectum* (26) et proximas aliquot urbes, integra exstat: omnes fere aut truncatae adparent, aut ligneos apices recentioris et horridae fabricae gestant; nulli fere tectum suum fornicatum interius impositum est (27); a tectis exterioribus omnes ornatus, omnes flosculi, quibus *Gothica* architectura rigorem suum temperare alioqui consuevit (28), procul absunt: insignis est intra aedes columnarum et parietum nuditas et simplicitas: quae dotes in *Gothico* genere tantum abest ut laudi sint, ut potius barycephala (*) et tristia et incomta omnia efficiant. In qua reprehensione generali si quaedam meliora exempla, quae nos non fugiunt, omittimus, facile id brevitatis nostro instituto condonabitis.

---

(21) Cf. WAGENAAR, *Vaderl. Hist.* l. VIII. extr. Effigies haud mala in *descriptione hodiernae Hollandiae* (*Tegenw. Staat*) et in *Itiner. Pictorio* ap. JOBARD.

(22) Utriusque imaginem vid. ap. WIEBEKING, prioris *Tab.* 85, 117, 120; posterioris *Tab.* 86. et in fronte *T.* III. Non quod eaedem non et in urbis utriusque descriptionibus, et seorsim in tabulis singularibus inveniantur; sed res ejusmodi difficilius peregre innotescunt.

(23) Aedes *D. Nicolai in colle*, de qua supra.

(24) Aedes *D. Walburgi*, hodie Catholicorum sacris adtributa, et *D. Johannis*, de qua in *Addendis* dicetur.

(25) Aedes *Monasteriensis vetus* et aedes *D. Nicolai*.

(26) Nec *Trajecti* integerrima; sed ruinâ partis superioris.

(27) Velut *Dordraci* et *Harderovici*, si bene memini.

(28) Exceptis paucis aedibus, velut *Amstelodamensi* aede novâ (*D. Mariae*), et *Trajectinâ* aede episcopali.

Si igitur diximus, tres praecipue caussas conspirasse ad architecturae lumen in hisce terris exstinguendum: lapidum penuriam, bellorum civilium Hispanicorumque diuturnitatem, et sacrorum mutationem; — si primam harum caussarum in antiquiorum artis *Byzantinae* monumentorum exitium valuisse jam quodammodo ostendimus; jam eandem hanc quoque in aedificia *Gothicae*, sive *Germanicae* artis similem vim habuisse, fortasse mecum vobis persuadebitur: et reliquas duas adnumerandas esse mox patebit, et alias minoris potentiae caussas quasdam intervenisse credibile fiet. Quod enim de penuriâ lapidum, sculpturam recipientium, diximus, inde facile explicatur nuditas illa murorum, et columnularum tenuissimarum, in unam quasi fasciam collectarum, defectus. Tectorum vero nimia sobrietas in ornamentis, turrium truncatio, aut deformis reparatio, utrum a lapidis idonei egestate pendeat, si quis roget, animadvertat, velim, plumbi et lapidis schisti in illis tectis turribusque abusum, et deinde judicet an fallamur. Vultis alia argumenta? En, curiae municipales illae ornatiores, quales ostendunt Belgicae urbes *Gandavum*, *Bruxellae*, *Lovanium*, in totâ *Hollandiâ*, quod sciam, et reliquâ parte regni septentrionali nusquam exstant. In solius *Zelandiae* oppidis *Medioburgo* (29) et *Verâ* reperiuntur. Nempe *Zelandia*, ut praedictum est, lapide *Belgico*, qui sculpi possit, sola utitur. Idem fecisset *Hollandia*, si habuisset, unde faceret.

Haec igitur prima et naturalis causa nobis esse videtur, cur etiam quae monumenta architecturae *Germanicae* sive *Gothicae* apud nos adparent, ea minoris dignitatis, quam quae in aliis sunt regionibus, videantur. Enimvero ejusmodi defectus naturae neque ingeniorum humanorum solertiâ, neque ardore et studio artis redimuntur: ii omnia hominum incepta a primo limine et introitu arcent atque repellunt: ii nihil generosi, nihil praestans in civium mente nasci et habitare patiuntur. Frustra, ô Babylon, Aegyptiaci templi ae-

---

(*) Vocabulum hoc VITRUVIANUM in SCHELLERIANO Lexici versione Belgicâ minus bene redditum esse videtur. Opponitur *eleganti proceritati*.

(29) Hujus est, quanquam parva, tamen satis bona effigies in *Tegenw. Staat van Zeeland.*

aeternitatem, Attici simulacri veritatem adsecuturam te speraveris. Illam praestat granites, lapis Niloticus, hanc Penthelicae fodinae Pariaeve; non tua argilla, et gypsum, et bitumen (30).

Caeterum accesserunt fortasse et aliae caussae minoris momenti. Omnes enim provinciae, quae nunc septentrionales vocantur, unico tantum episcopo erant subjectae. Non quod monasteria et monachorum ordines non totidem, ac plures fortasse apud nos, quam alibi fuerint (31); sed magnam aemulationem inter inferiores quoque parit aemulatio principum. Nisi episcoporum novorum institutio saec. XVI a Pontifice tentata per sacrorum publicam mutationem irrita, et omnino publica Europae, et vero artium conditio mutata fuisset, longe magnificentiores fortasse aedes sacrae vulgo, tam episcopales, quam monachorum conspectae fuissent, certantibus inter se principibus. Nunc, ut aedes sacrae manserunt imperfectae, sic monasteria fuerunt pleraque lateritia et inornata, quod hodieque cernimus, cum eorum pars maxima piis usibus, verbi caussa, nosocomiis, scholis aut etiam usibus Academicis, quale hoc est aedificium, sint adtributa.

Cum vero cogito, in *Britanniâ*, in *Galliâ*, in *Germaniâ*, non tantum monachos fuisse ipsos architectos aedium suarum, sed et fabros et operas, cum cogito, id muneris praecipue in Benedictinos incubuisse, et vero Egmundanos monachos ex hoc ordine fuisse; cum cogito, in iisdem illis regionibus collegia fuisse quaedam arcana, hodie virorum doctorum Britannorum Germanorumque opera ad publicam notitiam celebrata (32), *fabrorum liberorum*, penes quos initio, certe a saec. X servata, exculta, et occulta ars ar-

---

(30) *Gypsum* Babyloniae adtribui, auctore RAIMONDIO, qui sic corrigit RICHII narrationem de *calce*. (RICHE, *Voyage aux ruines de Babyl.*, *trad. par* RAIMOND, *Paris* 1818. 8vo. *p.* 62, 153, 162.) Omnino magna est Babyloniae et Bataviae similitudo, tam in penuriâ lapidis, usuque laterum coctilium, quam in operibus aquariis.

(31) Cf. PARS, *Katw. Oudh.* p. 328. De *Belgio* vid. FIOR. *Gesch. d. Zeichn. Künste in Deutschl.* III. p. LIX sq.

(32) POWNAL *Origine and Progress of Gothic Archit.* (*Archaeol. Brit. IX. p.* 110. praec. *p.* 118.) In primis KRAUSE, *die drei älteste Urkunden der Freymaurer-Brüderschaft.* 1810. 8vo. 2 Bd. et HELDMANN, *die drei älteste geschichtlichen Denkmäler der Deutschen Freymaurer Brüderschaft* (uterque mihi tantum alienâ auctoritate notus); STIEGLITZ, *Alt-Deutsche Baukunst.* p. 126, 177—192, et in *Appendd.*; LINDNER, *Mac-Benac of het stellige der Vrijmetselarij*, vert.: *Leyden* 1820, princ.; WIEBEKING, praecip. *T.* III. *praef.*

architecturae, non nisi postea aliis mysteriis loco cesserit; subit saepe rogare, utrum inter monachos nostrates defuerint architecti, et collegia illa *liberorum architectorum* hic loci olim ignota manserint, et utrum haec tacita caussa reliquis accesserit, cur turres absolvi, cur fornicata tecta aedibus sacris imponi non potuerint? Quam dubitationem cum publice hic proferendam censeo, cum fateor defuisse mihi et otium et facultatem in eam rem, quae in tantâ vetustate jam minime arcana esse debet, inquirendi; nequaquam, quasi ipse mihi in reliquis sufficiens, hoc in defectu veniam datum iri confido: et probe scio, reverentiam, audientium coronae debitam, non melius ostendi, quam diligentissimâ oratoris praeparatione. Verum quandoquidem ejusmodi investigatio a meâ provinciâ est aliena, id profiteor me exoptare, ut, quibus contingunt et opportunitas et otium, hi ad manus operi admovendas, litterarum caussâ, etiam atque etiam accendantur.

Habetis jam partem caussarum, propter quas dixi, ne architecturam quidem *Gothicam* in nostris provinciis septentrionalibus praeclara suae dignitatis monumenta reliquisse. Reliquas causas vix opus esse censeo in mentem auditorum revocare. An vero quis ignoret, in mutatione sacrorum, quae seculo XVI accidit, omnibus in urbibus non tantum simulacra sanctorum per iconoclastas furiose confracta, sed et ingens quibusvis ornamentis damnum esse illatum? Ecquis non intelligit, illam violentiam, si quid adhuc in aedibus sacris pulcri aut culti supererat, minora simulacra cum basibus et parvulis fastigiis, a columnis, a januarum postibus, aliisque aedium partibus, ultimo conatu abstulisse et eripuisse: ita ut quae aedificia neque olim valde praestantia fuissent, hodie tanquam nuda et rasa, sed dealbata ossa gigantis adpareant? Ecquem praeteriit recordatio bellorum civilium, quae inde a medio saeculo XIV usque ad finem XV gesta inter *Heekeranos* et *Bronckhorstios*, inter *Cabelliavios* et *Hoeksianos*, magnae parti arcium et praetoriorum nobilium ultimum exitium paraverunt (33), ita ut hae arces, vel propter mutatam bellorum rationem, invento magisque frequentato pulvere pyrio (34), vel propter insecutas turbas bellaque Hispanica, vel propter multorum nobilium Hispanissantium exilium, propterque nobi-

---

33) Cf. PARS *Katw. Oudh.* p. 122 sqq.; 359; 453.

(34) Non ante medium sec. XIV. ut videtur. Cf. BECK, *Weltgesch.* IV. *p.* 848.

litatis liberâ republicâ imminutum splendorem et divitias; instaurari aut nunquam, aut non nisi recentiori tempore et plane diversâ formâ potuerint?

Haec igitur, auditores, erat architecturae patriae conditio saeculo XVI; quo potens rex FRANCISCUS I in florente regno *Galliae* arti praestanti splendorem novum et incognitum conciliare potuit. Sic cum Italici artifices, in *Galliam* translati, in regem incidissent, artium et elegantiae et magnificentiae miro amore captum, in potentes per feodalem successionis rationem vasallos, hoc est principes et primores regni, eosque naturâ suâ regii exempli imitatores, in sacra illa Romano-catholica aut inconcussa, aut certe permanentia, quae grandes aedes, multiplicia monasteria, ornamentorum profusionem requirebant; cum adeo publicum artium amorem, et earum exercendarum locum materiemque invenirent, quibus artibus tantummodo novum campum monstrare, in quem sponte excurrerent, opus erat; in nostris terris septentrionalibus eorumdem artificum schola, cum, ut fit, huc se propagaret, invenit animos, nullo praecipue architecturae amore captos; exempla, quae superessent, antiqui generis, speciosiora paucissima, privatos exhaustos, principes civitatis divitiis immensis nullos, nova sacra, quae in simplicissimo adparatu arcem et praesidium suum posita esse opinarentur; rempublicam nascentem, vix confirmatam, nec nisi in parcimoniâ et frugalitate vires suas collocantem. Quae, Di boni, artis emendatio, ita comparatis rebus externis, cogitari poterat? Sopitae sunt hodie, auditores, in hoc artium genere nostratum ingeniorum vires et facultates; non exstinctae. Et memini tempus, me puero, quo frequentissima in societatibus litterariis quaestio proponi solebat: *quae caussae fuerint, cur vigente picturâ, patria nostra neque architecturam neque sculpturam habeat?* Ad quam quaestionem utrum responsio sit data, neque recordamur, neque id nunc agimus; id tenemus, vulgo homines, architecturam nullam esse, confiteri (35).

---

(35) Probat hoc etiam recens D'ESCURY, v. nob., academiae nostrae curatoris, liber ***Hollands Roem in Kunsten en Wetenschappen***, qui dum, domestica laudando, patriam cariorem efficere laudabiliter studet, nihilominus nullam ab architecturâ civili nostratibus commendationem petere aggressus est (*T.* I. *p.* 28). Quam porro ad artem proferendam cum ab aliquo inde tempore *Societas* Amstelodami constituta sit *Architecturae Promotrix*, haec propositâ quaestione *de compendii Architecturae in usum fabrorum optimâ formâ*, dissertationem architecti DE PUYDT Caroloregiensis praemio ornavit, quae (p. 38. vers. Gall.) haec verba memorabilia habet: « L'architecture n'est malheureusement que « trop

Et revera, cum expulsa sit ars illa *Gothica*, quae ad saeculum usque XVI aut floruerat aut perstiterat, nulla tamen in hujus locum successit, cum nulla fere aedificia publica alicujus momenti sint facta: quod quidem ornamentorum hic illic locum invenit, *Italici* quidem generis, post FRANCISCUM I in Europam inducti, imitatio est, sed exilis et misella. Et adeo quidem laudem grandibus inceptis quaerere, adeo animum ad generosiores admirationis et voluptatis purioris affectus expandere et explicare dedidicimus, ut vulgo *pulcrum* aliquid vocare, sermone Batavo quotidiano, quasi erubescamus, et scholastice nos loqui putaverimus, nisi, pro *pulcro*, vel *modice*, vel *amoene*, vel *nitide* factum frigide dixerimus.

Quam igitur vellem, quam beatum me putarem, si possem id efficere, quod a regis optimi consiliis non alienissimum esse, persuadere mihi soleo, ut Archaeologicae scholae juventutis animos teneriori quodam artium et antiquarum venustatum amore imbuerent, ut juventus illa nostra, quae non modo eas antiquitatis partes acceptura est, quibus artifices erudiri soleant, sed quae simul ex ipsis fontibus disciplinas litterarum severiores haurire perget, quaeque, decurso spatio Academico, vel rempublicam tractatura vel omnino rebus agendis praefutura est, Graecorum Romanorumque exemplorum pulcritudine jam a primis initiis caperetur! Non est augustior inter artes humaniores, quam architectura, quae hominem circumquaque cingens, seque supra extollens, et reconditam quandam in eo imbecillitatis suae conscientiam excitat, et animum percellit; nulla est, quae magis universe humanitatis culturam pro-

---

« trop negligée dans quelques unes de nos provinces; il y a trop peu d'hommes qui puissent exer« cer cette profession, et parmi ceux qui passent pour architectes, il en est encore bien peu qui le « soient reëllement. Il suit dela, que les constructions se font en général sans projets fixes et « sans estimation préalable; l'exécution est confiée aveuglement à des hommes sans théorie et sans « expérience, ou à des ouvriers ignorants et entêtés. Les propriétaires eux-mèmes, accoutumés à ne « voir, à n'entendre que des prétendus artistes sans connaissances vouloir concevoir et diriger des « travaux, finissent par se croire plus architectes qu'eux, et font enfin construire sous leurs yeux « et d'après leurs propres lumières. Aucune solidité ni commodité dans les maisons particulières, « point d'élégance ni de style, aucun caractère dans les édifices publics, les convenances les plus « essentielles blessées ou omises, sans qu'on semble s'appercevoir des consequences facheuses qui « en resultent." — Vid. *Verhandelingen uitgegeven door de Maatschappy tot aanmoediging der Bouwkunde.* 1ste *Stuk*, (*Amst.* 1822. 8vo.) Quo loco regni nostri provinciae Meridionales spectari haud videntur.

promoveat, quippe ipsa nullis museis concluditur et ab oculis removetur; nulla est, quae certius agat, quippe quae praetereuntes, quovis tempore, quavis horâ, quavis animi vel remissione vel intensione, advertit et afficit. — At quantos sumtus, quam prodigam venturam aetatem nobis hoc votum portendit! quam cito laborantes jam publici reditus, funditus exhausti, alteram in posteros nostros aerarii ruinam impingent! Sic video, sic scio, vestrum seniores et prudentiores, etiam qui caetera benigne acceperint, tacite arguere. At cum objectionem praeviderim, cum gentis nostrae indolem, et vitia et virtutes perpendere fortasse non neglexerim, vos, quaeso, et bonâ cum veniâ, credite, me non omnino incogitanter locum, paucis tactum, adtingere ausum, et non sine aliquo consilio architecturae patriae historiam enucleare conatum; quae ars potius naturâ soli, et fortuitis eventibus jacuerit et languerit, quam gentis Batavae primaevâ indole et ingenio. Non est patrium, non est Batavorum, auditores, in sordibus lutescere; non est nostrum, sed Turcarum est, quidquid subtiliores animi motus excitat, tanquam ineptias nugantis populi adspernari. Patria illa frugalitas et parcimonia tenacior, omnium sumtuum, unde nihil foenoris speraretur, vitatrix, non in antiquâ Hollandorum, Trajectinorum aut Gelrorum indole sita est, sed e bellorum Hispanicorum necessitate emersit (36); neque naturâ suâ et necessario architecturae meliori omnes aditus praeclusit, sed casu tantum ita directa est, ut architectura excluderetur. Neque enim ista frugalitas semper aeque necessaria fuit, neque semper servata; sed ingentes divitiae, a privatis collectae, sopito architecturae amore, alios exitus, alios luxuriae et vitae amoenitatibus canales quaesiverunt et invenerunt. An vero cui ignotae sunt villarum, quas mercatores nostri pecuniosi aedificarunt, impensae, quae, tantum abest, ut frugalitatis sint documenta, ut potius pleraeque villae haud exiguam redituum partem absorbeant? An cui e memoriâ excidit, quo tempore Batavi navali lucro immenso ditari coeperant, paucis annis post finitas *Inducias duodecennales*, insania luxuriantis pecuniae, in floribus, maximeque tulipis emendis (37)? Mirari solent peregrini homines, cum nostras terras adeunt, pretium cancellorum, vel aeneorum, qui in basilicis chorum ab ae-

de

(36) VAN WYN *Historische Avondstonden* II. *blz.* 71.

(37) Circa annum 1637: WAGENAAR l. XLIII. §. 9.

de separant, vel ferreorum, qui in villis nostratibus portarum officio funguntur; mirari solent marmora pretiosa ex archipelago Graeco, quae vestibulorum, quae scalarum, quae etiam culinarum nostrarum parietes tegunt (38). Scilicet haec omnia post Hispanica bella, florente republicâ inducta, ostendunt vel profusionem; sed quae, deficiente aliâ sumtuum ad vitae ornamentum faciendorum viâ, hosce ignobiliores exitus invenit. Et revera excitatae quoque sunt apud quosdam cives ingenii facultates, aliquamdiu latentes, et villarum quarumdam architectura aut inculpata est, aut etiam valde laudabilis. Sed quid rei est? Publica monumenta, quae multo potius, quam privata, populi plebisque animos decoris sensu imbuunt, — cum respublica inter multos dominos divisa esset, nulla facta sunt. Scilicet aliter apud majores nostros comparatum erat, aliter apud Romanos:

> COMMUNIS *illis census erat brevis;*
> PRIVATUS *ingens* (39).

Et si qui summi magistratus publicis reditibus largioribus praefecti essent, hos quoque generosius sensisse, et felicius perfecisse abunde ostendunt celebrata illa curia Amstelodamensis et curia Groningana, Roterodami vero tam Basilica mercatoria, quam porta Delphena. — Et vero etiam architectura castigatior non adeo exsuperat impensas aedificiorum male structorum; forma pulcritudinem facit, non moles; lapidis ad sculpturam idonei defectui hodie facile medemur; conjunctum cum Batavis Belgium, egregiorum exemplorum ferax, aemulationem sine dubio excitabit; et tandem, si quid fortasse paullulum sumtuum, ultra quam solebat, impendi debeat, aut in solum, aut in ornatum, aut in architecti periti mercedem, id omne facile compensabunt humanitatis progressus, populique ad ingenuas artes, ad facultates ingenii explicandas, ad vitam illam cultiorem, quae artes et opificia alit et sustentat, praeparati et emolliti animi; id compensabit procerum rei publicae gloria, et regni, et aetatis, qua vivimus, celebritas.

---

(38) Ne dicam de selecto politoque lapide coctili a Vechtâ fluvio, frontibus aedium inserviente, ne de vitro speculari fenestrarum, caet.

(39) Horat. Od. II. 15. v. 13. PRIVATUS *illis census erat brevis,*
COMMUNE *magnum.*

Archaeologiae cum artibus recentioribus conjunctionem me tractaturum professus sum, et vos, auditores, a me, ut de sculpturâ quoque, de picturâ, de caelaturâ dicerem, merito exspectastis. Ego autem *architecturae*, quasi reliquarum incuriosus, omne tempus, omnes laterum vires impendi, et videor sic *magni promissor hiatûs*. At tueor me summorum imperatorum nostrae aetatis exemplo, qui velitationibus et castellorum secundariorum oppugnationibus neglectis, ipsam arcem et caput regni, ipsam metropolin rectâ petiverunt. Multo enim facilius, si quid ad reliquas artes lucri ex Archaeologiae disciplinâ sperari possit, id aut instituti alicujus veteris emendatione, aut novo, si opus sit, commento aliquo conficietur, quam elegantiori alicui aedificio struendo solum praeparabitur. Pictura historica et sculptura, quae, a mutatis inde a saec. XVI sacrorum ritibus, alimentum in aedibus sacris ornandis non amplius inveniebant, quaeque exinde elanguerant et emortuae erant (40), regis magnanimi auxiliis jam reviviscunt, et quod in basilicis amiserant, in exornandis principum palatiis auxilium inveniunt. Quid requiritur, ut eaedem iterum in privatorum musea, in publica aedificia, quasi postliminio, recipiantur, sive ad rerum egregie gestarum memoriam, sive ad virorum magnorum honores celebrandos, nisi tempus et usus? Quod si nostra disciplina futurorum emtorum, haud secus atque artificum juniorum, animos elegantiâ et harmoniâ lineamentorum, quae in statuis antiquis cernuntur, rectâ rituum, vestitûs, supellectilis veteris cognitione praeparare et instituere cupiat; quam proclive est, confidere tempori et augescenti in dies studiorum amori! quam non ineptum est credere, vocem illam meam, ut Academia Picturae privata, olim a republicâ sustentata, nunc derelicta, aliquando arctius cum museo antiquario conjungatur, utque eadem plasticen una cum picturâ tradere velit, non perpetuo surdis auribus jactatum iri! Quod si quid artes et publicus venustatis sensus damni ceperunt, tunc cum monetae publicae novae invenusta regni insignia, aut litterula singularis insculpta sunt, id sarcivit et reparavit novissimum regis decretum, ut singuli quotannis numi, in memoriam rei alicujus praeclarae, publice cuderentur.

Si quid igitur lucri ejusmodi ex Archaeologiae frequentiore disciplinâ, ad ar-

---

(40) FIORILLO *Zeichn. Künste in Deutschl. II. p.* 277; *III.* p. XCI et 115; ROSCOE *in vita* LEON. X. T. IV. p. 103. (ed. Belg.)

architecturam, picturam, sculpturam sperare et indicare ausi simus; exemplo nitimur *Italiae Galliae*que. Et vestrûm fortasse alicui, auditores, in mentem veniat, nunquam fere eandem rem bis eodem modo et eodem cum effectu peragi posse, et saepissime, contra, eosdem effectus e diversissimis conatibus esse editos. Et nos meminimus vetus illud:

> *— peragit tranquilla potestas*
> *Quod violenta nequit*;

et nos, cum animadvertimus exempla et opera vicinorum Belgarum, quibuscum in unum regnum coaluimus, — cum gratâ mente recordamur, quot quamque egregiis nova haec docendi provincia ab octo inde annis doctrinae instrumentis a rege liberalissimo sit ornata, speramus, auditores, confidimus, tenues et lentos hosce conatus, et publice, quod precamur, perpetuo sustentatos, non omnino sine successu fore. Ita regis voluntate, qui me arctiori cum academiâ vinculo connectere non dedignatus est, — ita vestro, curatores illustrissimi, favore, quibus non prorsus displicuisse meum, quidquid fuit, opellulae, jam a pluribus inde annis grato animo animadverti, ita, collegae conjunctissimi, vestrâ amicitiâ et auxilio, ita vestrâ, juvenes ornatissimi, modestiâ eveniat. Ita velit D. O. M., ita faxit!

ADDENDA.

P. 5. not. 5). Aedes *Mosa-Trajectina*, *D. Servatii*, exhibetur item in *Verheerl. Nederl. II. n. 125 sqq.*

P. 6 et 10). *Byzantini* generis aedibus sacris, (adhuc exstantibus, an destructis, non dixerim) iisque geminis turribus ornatis, adnumeranda omnino est *D. Johannis*, *Arnhemensis*, cui postea chorus generis *Gothici* additus fuit.

Effigies, quae sero mihi innotuit, conspicitur in sylloge laud. *I. n. 83, 85.*

P. 10. Aedes *D. Walburgi: ibid. n. 87, 88.*

NOTITIA LIBRORUM TABULARUMQUE, ARCHITECTURAM MEDII AEVI ILLUSTRANTIUM (1).

Qui medii aevi architecturam prae aliis scripto illustraverunt, Britanni adhuc sunt et Germani.

— Et *Brittanniam* quidem si spectes, architecturae illius cognitio hauritur vel e majoribus collectionibus, vel e modicis libellis, plerumque dissidia doctorum continentibus, vel e descriptionibus singularibus aedium tam sacrarum, quam nobilitatis feudalis.

Primo loco recensendus est:

* Bentham, *History of Ely Cathedral* (2), qui, quamquam e tertio genere, primus tamen deditâ operâ (3) argumentum nostrum critice illustrare instituit.

Sequuntur collectiones:

* Grose, *Antiquities of England and Wales* (4).
* King, *Munimenta Antiqua* (5).
* Britton, *Architectural Antiquities of England* (6).
* Ejusdem, *Cathedral Antiquities of England* (7).
Plures dissertationes in *Archaeologiâ Britannicâ* (8).

---

(1) Asteriscus, quibusdam titulis praefixus, significat me libro non usum esse, neque adeo fortasse ejusdem inscriptionem accuratissime enotasse. Caeterum urbium nomina hodierni usus servare satius duxi, quam Latine reddere.

(2) *Cambridge* 1771. *4to.*

(3) *Deditâ*, inquam, *operâ:* nam alioqui temporis ordine praecedit nota Wartoni ad Spenser's *Fairy Queen.* — vid. infra *Essays on Gothic Architecture.*

(4) *Lond.* 1773. *III vol. forma 4ta.* sive *XII vol., forma 8va.*

(5) *Lond.* 1799—1805. *IV vol. folio.*

(6) *Lond.* 1807. *IV vol. 4to. — vol. V.* modo prodiisse nunciatur.

(7) Prodierunt jam aedes episcopales urbium *Exeter*, *Peterborough*, *Wells*, *Canterbury*, *Oxford*, *Lichfield*, *York*, *Winchester*, *Norwich* et *Salisbury*. *4to.*

(8) *Lond.* 1770 *seqq. XX aut plur. vol.* quorum partem tantum novi.

Plures item in libro qui inscribitur: * *Vetusta Monumenta: published by the Society of Antiquaries* (9).

Aliae vero collectiones, v. c.:

* Dugdale, *Monasticon Anglicanum* (10), et
* *Bibliotheca Topographica Britannica* (11), architecturam, quod sciam, non praecipue adtingunt.

Minus etiam mihi nota sunt:

* Lyson, *Magna Britannia* (12).
* Lyson, *Ecclesiastical Topography* (13).
* Gough, *British Topography* (14).

Disputationes breviores et compendia fere sunt haec:

Essays on Gothic Architecture: utilis sylloge locorum e libris WARTONI, BENTHAMI, GROSII et MILNERI congestorum. 1808. (15).
Whittington, *Ecclesiastical Architecture of France*, 1811.
Milner, *Ecclesiastical Architecture of England*, 1811.
Haggitt, *Two letters on Gothic Architecture*, 1813 (16).
Hawkins, *History of Gothic Architecture*, 1813.
Hall, *Origin of Gothic Architecture*, 1813 (17).
Rickman, *Attempt to discriminate the styles of English Architecture*, 1819.
Gunn, *Inquiry into Gothic Architecture*, 1819 (18).

Denique peculiares aedificiorum descriptiones editae sunt
a* MILNERO (*Winchester*).
a* Brittono (*Bath*, et *Bristol*) (19).

---

(9) *Lond.* 1747—1816. *IV vol. folio.*
(10) Novissima editio facta a CALEY, caet. *Lond.* (LACKINGTON).
(11) *Lond.* 1790. *VIII vol.* 4*to.* (12) *Lond.* 1806. *plur. volumin.* 4*to.*
(13) *Lond.* 1811. 4*to.* (14) *Lond.* 1780. *II vol.* 4*to.*
(15) Plerique horum libellorum prodierunt *Londini* apud TAYLOR, in bibliopolio architectonico: utilissimo instituto, cui plurimi libri in architecturâ principes debentur.
(16) Typis vulgatum *Cantabrigiae.* (17) *Londini* 4*to.*
(18) Caeterum ejusdem fere argumenti videtur esse libellus hic: * J. DALLAWAY *Observations on English architecture.*
(19) *Lond.* 8*vo.*

a *Societate Antiquariâ* (*Society of Antiquaries*) (*St. Stephen-Westminster*; *Exeter*, *Bath*, *Durham*, *Gloucester*):

a Millero (*Ely*) (20).

— In *Germaniâ* architectura medii aevi recentius, quam in Britanniâ, aliquod praecipuum studium invenit. Praeiverat quidem suis jam anno 1773 göthius (21), sed ita ut per insecuta bellorum tempora paucos, qui sequerentur, haberet (22); Pacis demum universae opportunitas ardorem in hoc studium excitavit.

Inter scriptores generaliores fiorillo est, *Geschichte der Zeichnenden Künste*, qui per plures tomos, cum occurrit, de architecturâ agit, cuique multae magni pretii notitiae litterariae debentur (23);

et wiebeking, *Bürgerliche Baukunde* (24): qui liber locupletissimum adhuc thesaurum continere videtur omnis aetatis et regionis aedificiorum.

Sequuntur: stieglitz, *Alt-Deutsche Bauart* (25).

Möller, *Monumens de l'Architecture Allemande* (26).

Büsching, *Einleitung in die Geschichte der Alt-Deutschen Bauart* (27).

Dom. quaglio, *Sammlung denkwürdiger Gebäude des Mittelalters in Deutschland;* alio titulo: *Merkwürdige Gebäude des Teutschen Mittelalters* (28).

Büsching, *Reisen durch einige Münster* (29);

---

(20) *Lond.* 1808. *8vo.*

(21) Cujus de aede Argentoratensi scriptio iterata est in ejusdem *Kunst und Alterthum* (*T. IV. P.* 3. *p.* 12). Sed memorabilis est exempli, et omnino comparanda göthii ipsius nova de eodem argumento dissertatiuncula, *quinquaginta* post annis composita. (ibid *P. II. p.* 139.)

(22) Cf. sulzer, *Theorie der Schönen Künste* in v. *Bauart. T. I. p.* 307.

(23) *Gött.* 1798—1808. V *vol. Italien*, *Frankreich*, *Spanien*, *Gross-Britannien.* Seorsim prodiit ejusdem *Geschichte der Zeichn. Künste in Deutschland und den Niederlanden. Hannov.* 1815—1820. IV *Vol.* 8vo.

(24) *München* 1821. IV *Vol.* *4to.* cum tabulis in plano et in *fol.* Ejusdem *Mémoire sur l'état de l'architecture civile dans le moyen age* (*Munich* 1824. *4to.*) et *Cathédrales de Reims et de York* (*Munich* 1825. *fol.*) excerpta sunt e majoris operis *Tom. III.*

(25) *Leipz.* 1820. *4to.* cum tab. *fol.*

(26) Item Germanice. — *Darmst.* 1819. *fol. Vol. I.* cum *Vol. III.* pluribus fasciculis.

(27) *Breslau* 1821. *8vo.*

(28) Primum *München* (apud zeller); postea *Carlsruhe* (apud velten) *II Vol. fol. maj.* (I. V. s. a. sed circa a. 1821; *II V.* 1823.)

(29) *Leipz.* 1819. *8vo.*

Denkmale Deutscher Baukunst am Ober-Rhein (30).

Mittheilungen aus dem Gebiet Histor-Antiquar. Forschungen, herausgegeben vom Thüringisch-Sächsischen Verein (31).

* *Die Bergvesten und Ritterschlösser der Oesterreichischen Monarchie* (32).

Costenoble, *Ueber Alt-Deutsche Architectur* (33), quamquam titulo generaliori, refertur, puto, praecipue ad aedem episcopalem *Magdeburgensem.*

Alia de peculiaribus aedificiis opera sunt haec:

Möller, *Ueber die Original-Zeichnung des Doms zu Kölln* (34).
* Boisserée, *Der Dom von Kölln* (35).
Hundeshagen, *die Gothische Kapelle zu Frankenberg* (36).
Schwechten, *der Dom zu Meissen* (37).
F. H. Müller, *die St. Katharinen Kirche zu Oppenheim* (38).
H. Schreiber, *das Münster zu Freiburg im Breisgau* (39).
Hundeshagen, *der Pallast zu Gelnhausen* (40).
Büsching, *das Schloss zu Marienburg* (41).

— *Gallicos* libros complures nobiliores vixdum mihi quodammodo innotuisse doleo, ita ut, quantum inde subsidii ad studium architecturae medii aevi peti possit, dicere non habeam. Quem defectum caeterum quivis doctior facile supplebit. Sunt autem:

* Montfaucon, *Monumens de la Monarchie Française.*
* Millin, *Antiquités Nationales* (42).
* Willemin, *Monumens Français inédits* (43).
* De la Borde, *Monumens de la France, classés chronologiquement* (44).

---

(30) *Freiburg* 1825. *fol.* cum descriptione *forma* 8*va.*
(31) *Naumburg* 1822. 4*to.* Fasc. 1—4.
(32) *VII voluminibus.*
(33) *Halle* 1812. *fol.*
(34) *Darmst.* 1818. 4*to.* cum tab. *fol.*
(35) *Stutg.* et *Paris* 1821. *fol. maj.*
(36) *Francf. a. M.* 1808. *fol.*
(37) *Berlin* 1823. *folio.*
(38) *Darmst.* 1823. *fol.*
(39) *Freiburg im Breisg.* 1820. 8*vo.*
(40) *Mainz* 1819. *fol.* ed. 2; sed prostat apud auctorem.
(41) *Berlin* 1823. 4to. cum tab. *folio.*
(42) *Paris* 1790. *V Vol.* 4*to.*
(43) *Paris* 1806. *II Vol. fol.*
(44) *Paris* 1815. *V Vol. folio.*

* Le Noir, *Musée des Monumens Français* (45).

Chapui, *Cathédrales Françaises* (46).

* Prout, *Picturesque buildings of Normandy* (47).

* Cotman, *Architectural antiquities of Normandy* (48).

* Pugin *and* Le Keux, *Architectural antiquities of Normandy* (49).

* Dawson Turner, *Tour in Normandy* (50).

* De Golbéry *et* Schweighaeuser, *Antiquités de l'Alsace* (51).

* Nodier, Taylor et de Cailleux, *Voyage Pittoresque dans l'ancienne France* (52).

Singularia aedificia paucos adhuc descriptores artis peritos invenerunt. Sunt tamen:

Sauvan *et* Schmit, *Palais de Justice, conciergerie et sainte Chapelle de Paris* (53).

Gilbert, *Basilique Métropolitaine de Paris* (54).

Gilbert, *Eglise Métropolitaine de N. D. de Rouen* (55).

Plures tamen minoris momenti syllogae, tam ex aere quam e lapide (56) descriptae prodierunt; nomine fere *Itinerariorum Pictoriorum.*

— *Italiae* aedificia, quae *Gothica* dicuntur, in omnibus descriptionibus majoribus, tabulis ornatis, reperies; inprimis in: *Stedeboek van Italie*, et in Graevii, Burmannique *Thesauro Italico.* Sed magis deditâ operâ in:

Seroux d'Agincourt, *Histoire de l'Art par les monumens* (57), qui pleraque exempla sua ex Italiâ desumsit, ubi degebat.

Addatur:

Gutensohn *und* Knapp, *Denkmale der Christlichen Religion oder Basiliken Roms* (58).

Ruhl,

(45) *Paris* 1801. *VI Vol.* 8*vo.*

(46) *Paris* 1823—1826. *fol. Fasc.* 1—6.

(47) *Lond.* 1821.

(48) *Lond.* (fere circa eundem annum) 4. *part.*

(49) *Lond.* 1826. 3. *part.*

(50) *Lond.* 1820. *II Vol.* 8*vo.*

(51) *Paris* 1825—26. 20 *livrais. fol.*

(52) *Paris* 1820. *folio.*

(53) *Paris*, (*s. a.*) 1826. *Fasc.* 1, 2. *fol.*

(54) *Paris* 1821. 8*vo.*

(55) *Rouen* 1816. 8*vo.*

(56) Praecipue apud Delpech.

(57) *Paris* 1823. *VI Vol. fol.*

(58) *Rom* 1822. *fol. Fasc.* 1—3.

RUHL, *Kirchen, Palaeste und Kloster in Italien, oder Denkmale der Baukunst in Italien* (59).

Et, de peculiaribus quibusdam aedificiis:

La metropolitana Fiorentina illustrata (60).
DEL ROSSO, *Tempio di S. Giovanni di Firenze* (61).
FRANCHETTI, *Storia e descrizione del Duomo di Milano* (62).
Nuova descrizione del Duomo di Milano (63).

— Simile architecturae genus, quod in *Hispaniâ*, maxime per Arabes, viguit, cognoscitur ex his libris:

* *Antiguedades Arabes de España* (*de Granada y Cordoba*), (editis ab Academiâ Architecturae Matritensi) (64).
* MURPHY, *Arabian Antiquities of Spain* (65).
DE LA BORDE, *Voyage Pittoresque de l'Espagne* (66).

— De *Lusitaniâ* nihil ad meam pervenit notitiam, nisi:

* MURPHY, *Monastery of Batalha* (67).

— Tandem extra Europam quae sunt medii aevi aedificia, sive quis peculiare Arabicum architecturae genus distinguat, sive minus, inveniuntur in Itinerariis majoribus, minoribusque et *Itinerariis Pictoriis.* Sic *Aegyptus* quaeratur in *Description de l'Egypte* (*Etat Moderne*); *Syria* et *Asia Minor* in MEYER, *Views in the Ottoman Dominions;* reliquae Turcici imperii regiones in RACSZYNSKI, *Malerische Reise;* eaedem, et *Persia*, apud DE BRUYN et CHARDIN; regnum *Maroccanum* et *Arabia* (item *Syria* et *Palaestina*) in ALI BEY EL ABASSI, *Travels; India*, in DANIELL, *Oriental Scenery.*

---

(59) *Darmstadt* (s. a. sed circa a. 1822.) *Fasc.* 1—5.
(60) *Firenze* 1820. *4to.*
(61) *Firenze* 1820. *8vo.*
(62) *Milano* 1821. *4to.*
(63) *Milano* 1820. *8vo.*
(64) (*Matriti*) 1804. *fol. maj.*
(65) *Lond.* 1816. *fol.*
(66) *Paris* 1807. *IV Vol. fol.*
(67) *Lond.* 1795. *fol.*

ERRORES TYPOGRAPHICI.

P.	20	v. 8	f dalis	*leg.*	feodalis
—	22	not. (21)	scriptio	—	scriptio anni 1773
—	—	— (26)	*Vol. III.*	—	*Vol. IV.*
—	23	— (44)	*V Vol.*	—	*III Vol.*
—	24	— (53)	(s. a.) 1826.	—	1825.

PETRI JOANNIS UYLENBROEK

ORATIO

DE

HODIERNI PHYSICES ASTRONOMIAEQUE
STUDII PRAESTANTIA,

HABITA A. D. XXX SEPTEMBRIS ANNI MDCCCXXVI,

QUUM EXTRAORDINARIAM PHYSICES ET ASTRONOMIAE PROFESSIONEM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA SUSCIPERET.

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE CURATORES, VIRI PERILLUSTRES!

RECTOR MAGNIFICE!

CIVITATIS ET AGRI LUGDUNENSIS JUDICES, VIRI GRAVISSIMI, INTEGERRIMI!

AMPLISSIME CIVITATIS CONSUL ET RELIQUI MAGISTRATUS, QUIQUE UTRIQUE ORDINI AB ACTIS ESTIS, VIRI SPLENDIDISSIMI!

QUARUMVIS DISCIPLINARUM PROFESSORES CLARISSIMI!

ARTIUM ET LINGUARUM LECTORES DOCTISSIMI!

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES PLURIMUM VENERANDI!

ARTIUM ET DISCIPLINARUM DOCTORES PERITISSIMI!

LECTISSIMA JUVENTUS, SPES PARENTUM, PATRIAE, HUMANITATIS!

QUOTQUOT DENIQUE ADESTIS, CIVES, HOSPITES, CUJUSCUNQUE ORDINIS, LOCI, DIGNITATIS, AUDITORES NOBILISSIMI, EXOPTATISSIMI!

Quum anno superioris seculi octogesimo septimo Petrus Nieuwlandus in Academia Ultrajectina Astronomiae Professor esset renunciatus, muneris sui auspicandi gratia orationem scripsit, in qua Astronomiae tum temporis conditionem tamquam felicissimam delineavit, futuramque feliciorem adhuc vaticinatus est. Hanc autem orationem, quae, teste Swindeno, et elegantissima erat et ingenii doctrinaeque documentis plena, quominus pronuntiaret impedivit temporum istorum iniquitas. Republica enim continuis turbis quassata, et conversione in urbe Trajectina facta, Magistratus, qui tum praevalebat, Nieuwlandum, pridie antequam orationem esset habiturus, per litteras reddidit certiorem, ejus vocationem esse injustam, adeoque haberi nullam. Hunc inopinatum fortunae casum aequo tulit animo Nieuwlandus, nos autem jure dolemus, quippe qui virum praestantissimum per duos annos ab erudienda juventute prohibuit, et nos ejus oratione privavit, quae dignum certe inter reliqua ejus scripta locum occupasset.

Quae vero causae Nieuwlandum impulerunt ut Astronomiae suo tempore studium laudibus efferret, eaedem nobis hodieque supersunt, AA.; eaedem nos cogunt alias quoque disciplinas naturales, Physicam imprimis, felices praedicare. Qui enim Astronomiam vel Physicam vel utramque disciplinam colant, ubivis adsunt numero probabili. Nulla fere est orbis terrarum regio, non omnis humanitatis expers, quae non subinde observationes et experimenta instituta videat. Ita non Europae tantum partes cultissimae sed et Asia, et Africa meridionalis, septentrionalis America,

quin

quin et Australia, quaeque suos, habent astronomos, physicos, et quae his usui veniunt adminicula. Imprimis vero haec nostra Europa astronomis subsidiisque, quibus indigent, dives est; abundat physicis, qui vel seorsim vel conjuncta opera disciplinam, quam diligunt, novis inventis ornare et amplificare student. Cujus veritatis alia testimonia afferre non opus est, quam doctarum societatum scripta, aliasque privatorum hominum cura editas ephemerides, quarum numerus quamvis ingens, nihilominus quotidie crescit, et quae tot observationibus, experimentis et theoriis sunt refertae, quibus omnibus rite aestimandis, repetendis, examinandis vix tempus sufficiat.

Ita quidem dictas disciplinas hodieque maxime florere diceremus, si vel ex eorum numero qui iis incumbunt, vel e rerum inventarum ubertate esset judicandum. At, quae diximus, ea externam tantum disciplinarum conditionem spectant, quae si numquam non verax esset internae simulacrum, nullum profecto in nostra patria tempus Physicae promovendae magis favisse dicendum foret, quam quod ab exeunte superiori seculo initium duxit, et per paucos annos hujus, quod vivimus, aevi perduravit. Ecquis enim tum erat, liberaliori institutione educatus, qui non sacro quodam naturam investigandi et explicandi ardore flagrare videretur? Quae civitas, in qua non societates ortae, non musea condita et instrumentis instructa sint? Quae societas, in qua non sedulo orationes habitae, experimenta instituta, observationes relatae sint, ut sic junctis viribus naturae arcana detegerentur? Quot vero et quales fuere hujus, caeci fere dixerim, amoris fructus? Nec multi, AA. nec dulces; atque de pristina 's Gravezandii et Musschenbroekii in physicis disciplinis excolendis laude, quam tueri isti sibi videbantur, procul dubio fuisset actum, nisi eam virorum quorundam egregius labor in hunc usque diem intactam vindicasset. Tanti igitur interest ne specie nos decipi sinamus!

At, o felicem nostram aetatem, quae inter plurimos naturae cultores multos numerat, qui regiam viam secuti, coelorum tellurisque nostrae subtilissima phaenomena assidue observant et sana usi ratione explicant. O felicem nostram aetatem! quae ex accurata naturae contemplatione hominum commodis prospicere et humanitati consulere imprimis conatur.

Hanc disciplinarum, quae nobis curae cordique sunt, sortem non immerito laudari, pace vestra AA. OO. paucis velim ostendere documentis. Dicere enim constitui *de hodierni Physices Astronomiaeque studii praestantia.* — In hac autem materia explicanda, si quod Nieuwlandus quondam agitabat consilium, ego hoc tempore exsequi velle vobis videor, AA., nolite tamen a me orationem vel exigere vel exspectare aut ipsa re aut tanto viro dignam; sed quam dudum experientia cognovistis, in animum revocetis meam in dicendo mediocritatem. Ego certe quamvis onus susceperim viribus meis impar (et quodnam aliud mihi non gravius incumberet?) vestra tamen mihi probata indulgentia fretus, illamque denuo implorans, viam, quam nimis forte audax ingredior, pro virili percurrere conabor.

Ea naturam investigandi ratio, quae dulcis utilisque laboris uberrimos promittit fructus, duobus insignis est characteribus, quorum alter est peculiaris quaedam in observando cura et diligentia; alter, arctissimum vinculum theorias inter et universam virium doctrinam. Duobus autem his criteriis hodiernum Physices Astronomiaeque studium imprimis excellit.

Observandi curam et assiduitatem praecipuas voco naturae interpretis dotes, quibus qui careat, is, quamvis ingenti naturae amore perculsus, ab ea interroganda rectius abstinebit. Potest autem observandi ars bifariam spectari; vel enim animi quandam constantiam corporisque dexteritatem et aptitudinem requirit, ut observationum subtilissimarum longam nobis comparemus seriem; vel ingenii vim postulat, quae in observationibus experimentisve instituendis delectum faciat idoneum. Illam studio et labore unus fere quisque sibi propriam reddere potest; haec, quippe quae divinitus conceditur, ullo exercitio, ne maxime quidem intenso, comparari nequit. Quantum vero utriusque in promovendos scientiarum naturalium fines sit momentum, quantopere hae disciplinae vigeant floreantque necesse sit, si arcto vinculo altera alteri sit juncta, paucis videtur esse exponendum.

Omnis de naturae phaenomenis eorumque causis disquisitio ab observatione ordiatur. Naturam si intelligere volumus, ipsa nobis est interroganda, ejusque responsa sedulo sunt colligenda et perpendenda. Sunt enim haec fundamenta, quibus omne quod de naturae viribus judicium feramus, nitatur. Fundamentis autem vacillantibus, quis firmi solidique aedificii spem va-

vanam esse neget? Haud vero multas fecisse observationes opus est, ut intelligamus omnes, nisi singulari in his instituendis utamur cura, nullam ab iis salutem esse exspectandam. Ad varia enim phaenomena provocanda plurimae conspirant causae, quarum omnium ac singularum ratio est habenda, quarum unicuique suum est constituendum pretium. Atque in eo quidem praecipuum positum est artis momentum et simul praecipua difficultas; quia tantum abest, ut omnes, quae deteguntur, causae vim exserant eandem et facile definiendam, ut major earum pars, quippe levissimi ponderis, non nisi temporis diuturnitate aliquem praestare effectum inveniatur. Quod cum ignorarent Veteres, mirum non est antiquitus disciplinas naturales progressus fecisse adeo lentos, ac recentiori tempore, cum hujus tarditatis causa innotuisset, mox disciplinarum conditionem fuisse mutatam et multo evasisse feliciorem. Scilicet cum jam de eo constet, minime sufficere varias enumerare naturae vires, quae phaenomenorum ortum et progressum determinant, sedulo curandum est, ut singulae istae vires earumque agendi rationes seorsim explorentur; ut certo modo quid cuique tribuendum sit, possit definiri. Subsidia igitur creentur, alia, quibus sensuum fallacia vitetur et acies corroboretur; alia, quae apta sint ad minimas in natura obvias mutationes veluti mensuris ponderibusque inter se comparandas; alia denique, quae observationum nexum concinne, perspicue, fideliterque animo repraesentent. Quae omnia, quamvis ad observationes summa cura instituendas faciant multum, cum nondum faciant satis, tandem salutaris iis adhibeatur multiplicandi methodus, qua illud lucramur, ut quam proxime ad veritatem accedere possimus.

Hic observandi modus, qui subtilissima quaeque persequitur, si vobis, AA. HH. valere in scientiarum augmentum videtur, quanto magis eum aestimandum esse censebitis, si physicus aut astronomus ingenii vi ductus eodem in illis rebus examinandis utatur, quibus vel novae naturae leges, vel mirae corporum proprietates deteguntur, vel variae diciplinarum partes arctiori vinculo inter se conjunguntur. Alii quidem in aliis experimentis vel observationibus omnem collocant operam, (nec eorum diligentia reprehensione, quin imo laude digna est) non vero omnibus conceditur studii sui eos, quos dixi, dulces colligere fructus. Quot non, ut unum tantum afferam exemplum, a duobus inde seculis in meteora factae sunt inquisitiones? quan-

to

te non ardore istae his quoque diebus continuo repetuntur? neque tamen ab hac parte multum profecimus. Veniet autem tempus, quo, si pergamus uti coeptum est, haec aliaque, quae nunc nos latent, clarissima luce collustrata conspicientur. Ita sane augurari licet, si, quem ratio postulat agendi modum, eum comprobet experientia. Retro igitur vertamus oculos AA. in annos nuperrime actos, et paucis videamus quae tum fuerit naturam explorandi ratio, quae eam insecuta sit disciplinarum naturalium conditio.

Quam vobis, AA. OO. describere conatus sum optimam observandi methodum, ea huic aetati maxime est propria; siquidem jam in eo omnes omnium naturae cultorum conatus conveniunt ut industria et assiduitate singularibusque adhibitis cautelis omnes phaenomenorum causas indagent, et quid quaeque in variis casibus valeat explorent. Hinc aliae disciplinarum partes majori, quam antea factum erat, studio elaboratae; aliae veluti recens creatae; in omnibus denique nova ratio praestantissimorum instrumentorum auxilio instituta. Nec sane quos inde Physica fecerit progressus sollicite est circumspiciendum. Nullum enim hujus disciplinae caput est, quin a majori in observando cura insignia ceperit incrementa. Mirum videbitur, et vix fidem inveniam, si dixero hac demum aetate methodum inventam esse omni dubio liberam, qua corporis pondus definiatur; hac demum aetate thermometrum, barometrumque, instrumenta, quibus per duo secula continua usi sunt physici, chymici, astronomi, itineratores, talia construi, in quibus nullus amplius metuendus sit error; hac demum aetate calorici, electricitatis, magnetismi, et luminis proprietates esse repertas, quae cum ad usum sunt fructuosissimae, tum amplum, in quo progrediamur, campum aperiunt. Ita tamen est, AA. Quum, superiori seculo versus finem vergente, immutabilis mensura ab ipsa petebatur natura, satis quidem noti erant siderum cursus, sed quae esset via sequenda ut cujusvis corporis pondus examinaretur, plane erat ignotum. Noverant physici calorici vim quae omnia corpora expandit; dilatationis vero quantitatem et legem primi determinarunt Lavoisierius et Laplacius. Noverant calorici proprietatem, quae solida in liquida, haec vero in elastica fluida convertit, sed, qua ratione istae mutationes procedant, et quanti sint in re domestica usus, his inprimis diebus docuit Gallorum Anglorumque conjuncta opera. Noverant physici et a multis inde annis noverant, electricitatis et magnetismi primarium phaenomenon, attractionis et repulsionis nomine appellatum, sed cui illud legi obtemperet, nunc demum subtilissimo instructus apparatu inquisivit Coulombus, ostenditque eandem in eo vigere legem, qua planetae perpetuo solem versus agitantur. Noverant physici variis modis electricitatem protrahi, variisque de causis eam rursus dissipari; magnetismi non in omnibus magnetis punctis quantitatem esse eandem; sed qua ratione haec fluida (si fluida ea vocare licet) in corporum superficiebus se collocent, quam imminutionis legem sequatur electricitas, ejusdem instrumenti auxilio Coulombus egregie demonstravit. Suspicati jam dudum erant physici esse quandam inter fluida ita dicta imponderabilia, analogiam; hanc autem suspicionem probabilem reddidere novissima Oerstedi Matronaeque de Sommerville experimenta, quorum alia quidem magnetismum electricitatis ope, alia vero eundem luminis auxilio gignunt. Quid vero de phaenomenis thermo-electricis, de necessitudine inter caloricum et lumen, quid de ipsius luminis miris proprietatibus certatim a Gallis, Anglis, Germanisque nuperrime detectis, dicam? Profecto si singula quae hic commemoranda sunt, digno vellem exponere modo, finem non inveniret oratio. Praecipua igitur tamquam digito commonstrasse suffecerit, ut de eo constet quod dixi, felicissimam esse nostro tempore Physicam, eamque studio inprimis et labore illud quo pervenit, attigisse fastigium.

De Astronomia autem haud aliter velim censeatis AA. Ab antiquissimo inde tempore homines, vel necessitate coacti, vel voluptate ducti, ad siderum cursus notandos, mox senserunt quantum ipsis in solertiori observatione foret praesidii. Hinc instrumentorum origo, quae subsequentibus seculis magis magisque proposito fini consequendo accommodata, hac nostra aetate perfectionis fere limites invenisse videntur. Haec vero subsidia tam egregia, quibus indigemus ut oculorum imbecillitati succurramus, non, ut ante fieri solebat, in altis turribus numquam non tremulis et vacillantibus collocantur, sed in ipso solo in saxis maxime rupibusve immota figuntur; quo quantopere observationibus rite faciundis consulatur, omnes, vel me non monente, intelligitis AA. Addite tandem indefessam astronomorum diligentiam in instrumentis suis cognoscendis, quae, quamvis absolutissime elaborata, non ab omni tamen vitio semper manent immunia; mirabilem plane constantiam, e veritatis studio profectam, qua observationes suas sexcenties repetunt; singularem denique industriam, qua ipsi (testes sunt Herschelius, Schroeterus, Fraunhoferus) Opticam excolunt, nec mihi fidem denegabitis AA. affirmanti astronomos hac aetate nequaquam physicis in observando curae et assiduitatis palmam cedere. — Tantumne vero laborem irritum fuisse et infructuosum censeremus AA? minime vero: et rerum inventarum numero crevit Astronomia, et maxime fundamentorum firmitate. Planetarium nostrum systema quatuor hoc aevo lucratum est planetas, quorum orbitae, revolutionum tempora, magnitudines, aliaque huc pertinentia brevi quam proxime sunt definita. Eadem de reliquis planetis tam primariis quam secundariis nisi omnibus at plerisque tamen majori certitudine innotuere. Nullum fere cometam hodie repertum indicant astronomi (et quot non subinde observantur?) quin simul viam quam sequetur, praenuntient. Quae omnia minus prospere cederent, nisi artis suae fundamentis stabiliendis, stellarum scilicet fixarum positionibus bene cognoscendis tantopere incumberent astronomi. Haec autem haud minima hujus aetatis laus est, quod totum coelum perlustrandi laborem alacriter suscipiant, et ita quidem ut minutissima simul phaenomena in duplicium stellarum motibus, ab illustri Herschelio primum animadversis, conspicua, ingenti cura prosequantur. Utique si alteri Herschelio, patre digno filio, si Southio, Besselio, Struvio, laborem, quem incoeperunt continuare concedatur, multosque invenire exempli sui imitatores, dubium nullum est, quin nova oriatur Astronomiae aetas, quae inventorum celebritate reliquis omnibus longe antecellat.

Vidimus AA. HH. observandi diligentiam in disciplinis physicis uberrimum esse utilissimarum rerum fontem. Altero jam loco videamus quo pretio habenda sit phaenomenorum explicatio in virium doctrina fundata.

Astronomiam et Physicam vulgo ajunt explicare naturae miracula. Recte quidem; sed quid est illud explicare? Est, dicunt, phaenomenorum causas probabiles indicare. Igitur, si de lunae solisque defectibus agatur, dicemusne cum Anaximandro lunam et solem tamquam per fistulae foramina lucere, quibus forte obturatis, eclipses oriantur? an Thaleti assentiemur, hos defectus e solis, lunae, tellurisque diverso positu explicanti? Lignum sibi permissum cadere, fumum vero vaporesque sursum ferri videmus; dicemusne igitur cum Aristotele lignum esse grave, fumum et vapores esse leves? an inde causam petemus, quod, eodem posito ligni, aëris et vaporis volumine, in ligno plures, in vapore pauciores adsunt materiae particulae, quam in aëre? Aqua in antlia vulgari non ad majorem triginta duorum pedum altitudinem adscendit; num hujus rei causam quaeremus cum scholasticis in mirabili quodam naturae horrore, qui nullum spatium, si modo triginta duobus pedibus non majus sit, vacuum esse sinat? an cum Torricellio causam statuemus in aequilibrio inter aquae aërisque illam prementis columnas? Profecto quas altero loco dictorum phaenomenorum proposuimus explicationes admittemus AA., sed quo nixi fundamento? eo, inquietis fortasse, fundamento, quod priores illae sophistarum nugae sunt, ne flocci quidem pendendae. Sit ita; sed quis affirmet, quas nos praetulimus causas, eas non aliquando posteritatem inter hujus temporis nugas esse relaturam? Sentimus igitur aliquid esse debere, quod in phaenomenorum causis indagandis nos ducat, ne semper haereamus dubii incertique. Quod vero et quale id sit cum declarandum est, facili potius utamur exemplo, quam subtili argumentatione.

Exemplum nobis sit quaestio de telluris nostrae in hoc universo vel motu annuo vel quiete. Solne igitur moveatur an terra quaeritur. Facilis videtur responsio, a prima inde infantia a parentibus magistrisque nobis inculcata: sol corpus est adeo ingens, millenis aliquot vicibus terram magnitudine superans: circa solem vertuntur (id enim ex observationibus constat) alii planetae, ad minimum duo; mirabilis quidam cernitur ordo si cum reliquis terram suo in loco moveri statuamus; haec igitur, aliaque similia docent certo non solem esse qui moveatur. Fallimur AA., haec argumenta id non certo docent; probabilem quidem eam sententiam efficiunt, quae soli quietem tribuat, nihil vero habent, quo rem ita esse nobis persuadeant. Quidni enim sol, quamvis toties tellure major, circa hanc cursum suum absolvere posset? Cur, si phaenomena, quamvis paulo difficilius, explicentur, telluri quietem suam invideamus? Ordinem denique quod attinet, an eum in reliquis systematis nostri planetarii talem invenimus, qualem nos homunciones desideraremus? Repeto itaque allata argumenta quaestionem non penitus solvere. Quid igitur? Alia quaerenda sunt subsidia, quibus expediatur haec difficultas. Observatur autem in stellis fixis phaenomenon aliquod mirum, periodicum, seculo fere abhinc fortuito detectum, quod primum quidem cum quaestione de qua agimus nullam, ne remotam quidem, necessitudinem habere videtur, sed quod tamen bene perspectum eam quam quaerimus demonstrationem nobis offert. Phaenomenon quod volo vocant stellarum aberrationem, ita dictam, quia revera omnia corpora coelestia, imprimis vero stellae fixae a locis, quae occupare deberent, aliquantum deviare videntur. Hujus quidem aberrationis, pro diversis anni tempestatibus diversae, quovis tamen vertente anno eadem summa reperitur, quo sponte inducimur ut aliquem inter hoc phaenomenon et annuum solis tellurisve motum nexum suspicemur. Et sane haec aberratio intra anni spatium ejusmodi patitur variationes, quae aliunde explicari non possunt, nisi ex annuo, non solis sed telluris nostrae motu, cum luminis, a stellis fixis emissi et coelorum vastum spatium tempore quodam percurrentis, motu conjuncto. Tale praeterea motuum, secundum leges Mechanicae, connubium omnia aberrationis phaenomena non tantum e voto explicat, sed eadem illa quoque accurate praenuntiat; adeo ut maxime sit mirandum, quod cum luminis motus a Römero esset demonstratus, tellurem vero moveri inter verisimillima censeretur, nemo aberrationem probabiliter existere praeviderit, nec de ea indaganda cogitaverit. Quod si obtinuisset, telluris nostrae motus annuus semi seculo fere ante inter veritates demonstratione ornatas relata fuisset.

Propositum exemplum satis, nisi omnia me fallant, ostendit tum demum disciplinas physicas florere, si, quas hae continent quaestiones, eae ita solvantur, ut in posterum nullus amplius de iis sit disputandi locus; id autem fieri non posse, nisi phaenomenorum causas probabiliter ex observationum indicationibus assumtas ratione mechanica et mathematica componamus, et quae inde sequuntur corollaria cum ipsis phaenomenis rursus comparemus. Scilicet quaecunque corpora existunt, a summo naturae Opifice variis instructa viribus, his ipsis in se invicem agunt, et omnia, quae observantur, phaenomena veluti regunt et gubernant. Istae vero vires, quamvis in aliis corporibus aliae, in eo tamen conveniunt, quod aequilibrii motusque legibus generalibus omnes obtemperant; quae leges ratione nostra ex ipsis, quas Deus nobis de viribus indidit, notionibus haustae, ita sunt immutabiles, ut non nisi cum hoc ipso, quod sustentant, universo cadere possint. In explicandis ergo naturae phaenomenis illud inprimis agendum est, ut tales corporibus tribuamus vires, quae istis phaenomenis, quocunque se habeant modo, producendis aptae sint et in Statices Dynamicesque regulis fundatae. Hac ratione si procedamus, fieri nequit, quin brevi ad interiorem rerum cognitionem simus perventuri, eamque non a futuris seculis profligandam, sed magis magisque confirmandam. Ita quas Galileus, Hugenius, Newtonus multorum phaenomenorum dedere explicationes e Mechanica petitas, iis in hunc usque diem honos laudesque suae manserunt et in posterum procul dubio manebunt.

Aetatis quam consideramus AA. alter character est ea ipsa, de qua disputavimus, disciplinas naturales inter et Mechanicam arctior necessitudo. Haec in Astronomiae studio viget, nec minus in illis Physices partibus, quae tandem aliquando majori solertia tractari coeptae sunt. Affirmare equidem nolo nunc demum a Mechanica lucem petiisse et impetrasse Astronomiam et Physicam; quis enim ignorat a nascente inde saniore naturae studio, in theoriis concinnandis subinde Mechanices rationem fuisse habitam? sed illud volo, hoc tempore Mechanicam universe haberi pro instrumento, quo theoriae jamjam probatae poliantur et perficiantur, vel pro lapide lydio, quo novae caute admodum explorentur. Novistis AA. quantam Newtonus, d'Alembertus, Eulerus, Lagrangius, alii, operam adhibuerint ut systematis nostri planetarii phaenomena ex attractionis vi generali exponerent; novistis egregium hunc praeclarorum virorum laborem non caruisse successu; novistis multa ab iis e theoria fuisse indicata quae cum observationibus convenirent, nonnulla quoque fuisse praevisa, quae deinceps experientia comprobavit; novistis tandem, multum etsi ab iis factum esset, multum tamen eos faciendum reliquisse. Quod autem isti ulterius limandum posteritati commendaverant opus, id nostra aetate absolutum consideramus AA. et laeti admiramur. Quidni enim miremur laborem ingentem, innumerisque difficultatibus implicatum tam feliciter tam brevi tempore ad finem perductum. Cogitetis AA. viginti octo systematis nostri planetarii corpora, variis massis, molibusque constantia, variis formis insignia, varia ratione disposita, omnia vero una eademque vi circa solem acta et in se invicem agentia motusque suos perturbantia: cogitetis vero simul theoriam e Mechanica haustam, et observationibus singulari cura institutis fultam, id effecisse, ut, si hodie tubus opticus versus aliquam coeli plagam dirigatur, multis annis ante non dies tantum et hora et minutum primum sed etiam secundum praenuntiari possit, quo corporum horum quodlibet, in tubi centro sit appariturum; haec si cogitetis, inquam, De Lambrio mecum suffragari haud dubitabitis, Astronomiam hoc quidem nomine disciplinam perfectam absolutamque esse affirmanti.

Hodierna Physices conditio etsi testimonio tam splendido nondum possit exornari, multis tamen exemplis dives est, e quibus appareat et salutarem esse hujus disciplinae cum Mechanica conjunctionem, et eam naturae interpretes incredibili obsequio et veneratione complecti; quod uno alterove documento multorum instar confirmare juvat. Vidimus supra, cum de Physices incrementis, ex accuratissima observandi methodo hoc tempore captis, sermo esset, Coulombum observatorem indefessum et ingeniosum, varias invenisse electricitatis proprietates, quae inprimis singularem ejus in corporibus distributionem spectant. Jam vero horum phaenomenorum causa quaeritur: observatio enim docet quid fiat; theoria rationem reddat necesse est, cur phaenomena talia sint, qualia observantur, nec alia esse possint. Quaestio cum intima corporum quae consideramus natura eorumque viribus cohaeret. Corporum naturam proprietatesque ignoramus; sed ea ipsa quae observamus et explicare tentamus phaenomena, nos veluti cogunt aliquam de iis facere conjecturam. Itaque ex hypothesi assumta, Mechanices lucem secuti et numquam non intuentes, ratiocinamur et varia quae in diversis casibus observari possunt phaenomena, mero calculo definimus. Quod si accidat ut theoria nostra cum observationibus non conveniat, in hypothesi fingenda nos lapsos esse sequetur, aliamque tentandam esse viam. Si vero illa his plane respondeat, nonne vobis AA. videretur hypothesis maxime fieri probabilis; certa enim tum demum diceretur, si ex eadem illa omnia omnino quae observantur phaenomena facili et concinna ratione possent evolvi. — In explicandis igitur, ut ad positam quaestionem revertar, electricitatis quibusdam phaenominis, eam quam monstravi viam ingressus est illustris Poissonus, Mechanicae analyticae admodum peritus, qui in his perquisitionibus successu usus est adeo felici ut omnes Coulombii observationes e theoria protraxerit, aliasque praedixerit dein experientia confirmatas, hoc unico principio nixus: electricitatem duobus constare elementis fluidis, quorum particulae admodum mobibiles ejusdem elementi sese repellant, alterius autem attrahant viribus distantiarum quadratis inverse proportionalibus.

Eandem agendi normam his ipsis annis secutus est Fresnelus et ingenii sagacitate et observandi industria excellens, ut miranda luminis phaenomena ex hujus indole explicaret. Ab omni aevo physici de luminis natura in varias abiere sententias. Alii enim (ut antiquissimos nihil sani dicentes taceam) Hugenio nostrati adstipulantes, ut sonus ex aëris, ita lumen ex medii cujusdam aetherei vibrationibus oriri statuunt. Alii cum Newtono faciunt, lumenque ipsum materiam esse volunt, quae a corporibus lucidis emittatur. Afferunt utrique phaenomena quibus vel suam defendant opinionem vel adversarios oppugnent. At phaenomena seorsim posita haud magnam habere vim videntur; sed omnium complexus ex alterutra hypothesi rationibus mechanicis ita explicandus est ut inde simul manifestum sit alteram subsistere non posse. Illud itaque tentavit Fresnelus, Youngii inprimis exemplo experimentisque commotus, et cum Poissono eandem rem explorante amice disputans. Hugenii hypothesin, quod ad summum attinet, suam fecit; posuit esse quoddam medium aethereum, valde elasticum, finxit vibrationes in eo excitari, atque jam legum Mechanices adjumento, quaesivit quae et qualia phaenomena ex ejusmodi vibrationibus oriri debeant. Eventus spem fere superavit; sed cum nondum eo perventum sit ut omnia luminis phaenomena eadem ratione mechanica explicentur, assensum cohibere nos decet, votaque facere ardentissima ut quam in disciplinarum physicarum augmentum viam aperuerunt hodierni naturae interpretes, difficilem quidem illam, at securam, et fallere nesciam, eandem alacriter currant, brevique metam attingant.

Plura quamvis iis quae retuli, addi possent AA.; malo tamen hic subsistere quam vestra abuti patientia. Satis quoque dixisse mihi videor ut vobis manifestum sit, haud temere me statuisse tum felicissimam esse hac aetate disciplinarum naturalium conditionem, tum felicitatem eam maxime esse explicandam e ratione qua istis disciplinis incumbunt hodierni physici et astronomi. Mirumne autem vobis videatur si naturae studium tam accuratum tamque solidum, fructus tulerit, alios, quibus non docti tantum, sed indocti etiam utantur homines; alios vero ab iis tantum percipiendos, qui ad haec studia animum suum applicant? Non facile credam AA. nec vos, si vere conjicio, falli affirmo. Quocunque enim oculos vertamus, ubivis in vita sociali naturae studii magis exculti salutares animadvertimus effectus. Quot quantaque commoda attulit diligentior in calorici proprietates inquisitio, quae tantum ad vapores formandos conferunt! Haec dum commemoro, sponte subit cogitatio machinarum vaporum impulsu motarum, quae, quamvis superiori seculo inventae, his tamen postremis annis ita sunt perfectae et in plurimos usus conversae, ut ad hanc potius aetatem pertinere videantur. Quantopere navigationem artes physicae juverunt! Subtilior magnetismi theoria a Coulombo condita id effecit, ut acui magneticae tum forma melior tum vis efficacior et stabilior tribuatur. Nihilominus illa acus index est numquam non fallax, quippe actioni exposita massarum ferrearum in navi existentium. Hanc autem actionem oppugnavit feliciterque vicit Barlovius; neque id consecutus est rudioribus institutis experimentis, sed minutis illis et subtilibus, a theoria indicatis. Quod Barlovii inventum quanto sit habendum pretio, illi optime norunt qui regiones polis vicinas visitarunt. His si addimus, Astronomiae theoriam magis esse perfectam, et in motu aequabili horologiis conciliando ingentem impendi operam, nec mirabimur dimidio temporis spatio, quo antea opus erat, itinera maritima hodie absolvi; nec poterimus negare insignia esse commoda, quae ex hodierno naturae studio in genus humanum universum redundarunt. Mitto jam explorare fructus quos aliae disciplinae e Physica magis aucta et amplificata collegerint; quos e calorico v. g. electricitate et magnetismo Chymia et Physiologia; quos ex Optica Mineralogia et ex hac illa perceperit. Ita quo magis in bonis artibus excolendis progredimur, eo magis omnia, vel remotissima quaeque arcto inter se vinculo nexa esse et conjuncta videmus; at magis etiam intelligimus, multa etsi cognoscamus, plura tamen esse quae nos lateant; et quamquam naturae vires in usus nostros et commoda convertere possimus, superesse tamen, quas nondum possimus, quasque posteritas poterit. Illud autem summopere agendum est ut propter quam causam hodiernum Physices Astronomiaeque studium felix praedicamus, eandem aliasque habeat aetas huic nostrae successura. Id nos inprimis decet, qui patriam incolimus, cujus utramque florere disciplinam tantopere interest; ita nos decet, qui, quo tempore alii Astronomiam et Physicam summa cura prosecuti sunt, eas sordere et languescere sivimus; ita nos decet, qui Hugenium, 's Gravesandium, Musschenbroekium, Lulofsium, Nieuwlandum, Swindenum nostrates esse gloriamur. Aliorum vero rebus gestis efferendis nobis non gloriam comparamus, sed strenue manus operi admovendo animique vires exercendo. Hoc igitur nostrum sit consilium, Juvenes egregii, Academiae nostrae cives, qui ejusdem, quo ego feror, studii amore ducti, in natura perscrutanda vitae tabernacula ponere decrevistis. Nostrum sit consilium, junctis manibus eam ingredi viam, quam praestantissimi quique in hoc studiorum genere viri numquam non secuti sunt, quamque, vestra inprimis causa, hac oratione exposui et commendavi. Arduus est labor, quem vobis propono, sed nil volentibus arduum esse, ipsi novistis experientia edocti. Vos autem velle ego spondeo, qui dudum vestram diligentiam, vestrumque discendi ardorem habeo perspectum. Pergite igitur, ut coepistis, Juvenes optimi! disciplinis incumbite mathematicis, viam ad Mechanicam sternentibus, ut in hanc quoque doctrinam aliquando addiscendam omnes possitis intendere nervos. Astronomiam interea et Physicam colite et in his dulcem quaerite a severiori studio requiem. Frequentate, quae vobis patent, museum physicum, speculam astronomicam, non contemplandis instrumentis, sed utendi causa, utque in observandi arte vos exerceatis. Ego vobis me adjungam, et si quam, paucis annis, nactus sim experientiam, eam in vestras utilitates convertam omnem.

Quod consilium ineundum esse putavi cum disciplinarum naturalium studiosis, hoc, quippe in illorum salutem, in Academiae nostrae honorem et scientiarum augmentum captum, nec omni, nisi fallor, fundamento destitutum, Vobis, Curatores, Viri Perillustres, probatum iri spero et confido. Utinam vero nobis concedatur propositum nostrum consequi! Qua in re sentio quid et quo jure a persona, quam jam sustineo, exspectetur; vereor autem ut exspectationi isti mediocritas mea satisfacere possit. Nolo tamen quod in me conferre voluistis, Viri Illustrissimi! munus, licet gravissimum, detractare; immo quantum potero sustinebo, studioque et labore talem fieri conabor, qualem me esse vultis, qualemque me nunc esse decet, dignum, qui magistrorum meorum, summa semper veneratione prosequendorum, alteri succedam, alteri in communem laboris societatem adjungar; dignum, cui inter alios digniores, Juventus nostra erudienda, scientiarum ambitus proferendus, Academiae denique Lugduno Batavae antiqua gloria sustentanda committatur.

Vos dum alloquor, Professores Clarissimi, ita facio ut vobis significem quantopere mihi laetandum existimem, quod non novus homo ad vos accedam. Dudum me cognitum habetis; novistis adeo quot et quantae mihi desint ad munus meum rite obeundum virtutes; ego vero vestram novi et doctrinam et sapientiam et insignem erga me benignitatem. Quidni igitur spes mihi arrideat e vestra abundantia eruditionis subinde aliquid, quo meam penuriam sublevem, redundaturum. Quod ut mihi concedatis, vos inprimis rogatos velim, Viri Clarissimi, quos magistros quondam habere mihi contigit egregios, (quorum utinam nullum hic desiderarem!); vos quoque, quibuscum studiorum similitudine arctior jam mihi intercedit necessitudo; vos denique, qui vel aetate majores, vel mihi aequales, singularis amicitiae documentis me ornare voluistis. Ita, qualis propriis viribus vix evadere possem, talis vobis adjuvantibus fieri potero, tum vestro ordine dignus, tum patriae utilis juventuti.

Vobis quoque me datum esse gaudeo, Ornatissimi Juvenes, qui vel Theologiae vel Arti salutiferae, vel Litteris vel aliis denique artibus disciplinisve incumbitis. Scio equidem haud facillimam esse muneris mei partem, ea e nostris disciplinis depromere, quae singuli expetenda maximopere censetis; quaeque in hac scientiarum conditione aliquanto intellectu difficiliora sunt, haec ita exponere, vestrae ut litterae aliquid inde utilitatis hauriant. Ego quidem quidquid virium mihi concessum est lubens eo conferam; in vestris autem animi ingeniique dotibus maximum praesidium positum arbitror; de quibus ita sentio, ut de consociatis nostris studiis optima quaevis sperare nullus dubitem.

❋

[illegible]

JACOBI CORNELII BROERS

ORATIO

DE

CHIRURGIAE STUDIO, CUM CULTU ET HUMANITATE CONJUNGENDO.

HABITA A. D. II DECEMBRIS ANNI MDCCCXXVI,

QUUM ORDINARIAM MEDICINAE PROFESSIONEM
IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA SOLENNITER AUSPICARETUR.

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE CURATORES! VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI!

QUI HIS AB ACTIS ET SECRETIS ES, VIR CONSULTISSIME!

RECTOR MAGNIFICE!

QUI JURI DICUNDO PRAEESTIS, VIRI GRAVISSIMI, INTEGERRIMI!

CIVITATIS CONSUL ET SENATORES, QUIQUE HIS AB ACTIS ESTIS, VIRI AMPLISSIMI, SPECTATISSIMI!

QUARUMVIS DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

ARTIUM ET LINGUARUM LECTORES ERUDITISSIMI!

SACRARUM LITERARUM INTERPRETES, ERUDITISSIMI, PLURIMUM VENERANDI!

ARTIUM ET SCIENTIARUM DOCTORES CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, ACUTISSIMI!

LECTISSIMA JUVENUM CORONA, SPES PARENTUM, PATRIAE, HUMANITATIS, HUJUS ACADEMIAE ORNAMENTUM, COMMILITONES SUAVISSIMI!

QUOTQUOT DENIQUE ADESTIS, CIVES, HOSPITES CUJUSCUMQUE LOCI ORDINIS AC DIGNITATIS, AUDITORES HUMANISSIMI EXOPTATISSIMI!

*

In artibus et disciplinis, quae plurimum habent commendationis, insignem obtinent locum Medicina et Chirurgia. Nam si res spectantur in quibus versantur, totae valent ad morbos curandos, quo sane proposito nullum esse majus, nullum utilius potest. Si artem commendat antiquitas, has artes primas invenit necessitas. Si quid auctoritatis addat honos, non aliae tam passim ac tam diu divinos honores meruerunt. Ambae autem hae artes ut arcto inter se vinculo conjunctae sunt, ita Chirurgia in multis curandis gravissimisque morbis prorsus necessaria est, ubi victus et medicamina ad plenam curationem non sufficiunt. Tum vero patet hujus vis et necessitas ad vitam et sanitatem conservandam, in bello, praeliis urbiumque obsidionibus, ubi quam plurimis saepe pro patriâ pugnantibus pereundum, aut misere moriendum esset, nisi praestantissimae hujus artis auxiliis ab imminenti periculo liberarentur, imo ex hiantibus mortis faucibus feliciter eriperentur.

Quamvis autem magna sit utriusque artis praestantia, tamen; quod doctrinis omnibus accidit, ut suos quaevis ab aevo nactae sint variae indolis oblocutores, id arti medicae inprimis evenit, utpote cujus momentum atque utilitas a philosophis quoque agitata multisque modis in controversiam vocata fuerit. Hoc enim cum omnibus doctrinis, quae applicatae dicuntur, commune habet Medicina, ut, cum certissima invenire non semper possimus, secundum maximam probabilitatem agere debeamus. Objiciunt autem artis obtrectatores eam incertam esse et conjecturis plenissimam. Qua in re haud animadvertere videntur, distinguendum revera esse inter observata et conclusiones ex his deductas. Natura enim humana semper sibi constat. HIPPOCRATIS et BOERHAVII tempore eaedem fuere sanguinis per corpus diffluentis leges, eadem in morbis observata sunt phaenomena. Quocirca quae veteres observarunt, hodie vera adhuc deprehenduntur. At quia non omnes aegroti convalescunt, monente Cicerone, idcirco artem nullam esse medicinam censendum, cum extra potestatem artis sit, aut non, aut male adeo agentibus viribus medicatricibus, vincenteque artem naturâ, servare aegrotum? Neque minus ex eo, quod medici non omnes aeque periti sint naturae ministri, nullam esse medicinam vel nullius pretii, imo vero Reipublicae nocivam esse, quis contenderit? Omnes autem hae vanae disputationes debentur subtiliori cuidam philosophiae perverse ad medicinam applicatae, ex quo item fonte inutiles manarunt his temporibus disputationes, e quibus nihil profecit Medicina. Interim vero Medicinam revera esse et efficacem illam, saeculorum experientia, non cavillantium disputationes, evincunt.

Reputanti autem hanc Medicinae et inprimis Chirurgiae praestantiam et dignitatem, visum est mihi, nec a persona mea, nec ab hoc tempore et loco alienum futurum, si de Chirurgiâ verba fecero, ejusque rite exercendae ratione. *Dicam* igitur *de Chirurgiae studio cum cultu et humanitate conjungendo.*

Vos autem me, A. A., quippe dicendi imperitum et meae probe conscium tenuitatis, ut favore sustentetis vestro et benivolentia, enixe rogo.

Uti commune est quoddam Medicinae et Chirurgiae vinculum, et hae quasi cognatione quadam inter se continentur, ut statim cuique apertissimum fiat, eas propriâ naturâ inter se connecti; ita reperiemus, haud alienos fuisse a Chirurgiae studio optimos antiquitatis medicos. Hippocratis, Galeni, Celsi aliorumque opera sunt quoque Chirurgici argumenti, et Medicinae divisio in Herophili atque Erasistrati tempora incidit. Ita enim separata fuit Medicina, ut una esset, quae victu, altera, quae medicamentis, ac tertia, quae manu mederetur. Singulae illae Medicinae partes, quae ad illa usque tempora, ab uno fuerant homine tractatae, nunc a pluribus fuerunt administratae, et medici, qui dicebantur diaetetici, reliquis longe fuerunt nobiliores. Caeterum hujus Medicinae partitionis meminit Cicero » Non in hac re ait, sed in aliis etiam compluribus distributione partium ac separatione magnitudines sunt artium diminutae. An tu existimas, cum esset Hippocrates ille Cous fuisse tum alios medicos, qui morbis, alios, qui vulneribus, alios, qui oculis mederentur? ut nemo genus universum complecteretur, atque ut alius etiam sibi partem, in qua elaboraret, seponeret?".

Etsi vero laudanda est illorum industria, qui medicinam, quam dicunt, externam, datâ operâ, adeo illustrarunt atque auxerunt, ut dignitate Medicinâ internâ inferior habenda esse nequaquam videretur, quis tamen inanem non dixerit ambitionem, multisque modis nocivam, qua illam veram Medicinae partem, ab hac male divulsam cupiunt, cum valetudo diversis casibus modisque laborans pro re nata adjuvanda variaque ratione reparanda sit? Neque vero haec aliunde separatio exstitit, quam ex ipsa hominum imbecillitate, cum apposite utraque adjutrices sibi mutuo manus porrigat.

Si finem utriusque disciplinae medicae et chirurgicae attendimus, eundem illum esse videbimus vitam nimirum et sanitatem. Quae quidem in illis rebus censendae sunt, quae nobis sunt carissimae, quaeque reliqua omnia longissimo post se relinquunt intervallo.

Est enim haec et fuit ab omni aevo una et consentiens intelligentium vox, nullum esse studium antiquius, naturaeque magis conveniens, quam se conservandi et quae conservantia sunt ejus status diligendi. Insito nimirum instinctu ducitur homo ad sui conservationem suique tutelam: sanctum ergo est vivendi praeceptum » vitam quam diutissime serva". Quanto enim feratur homo vivendi studio, non tantum videmus in infante, vel puero, sed et in ipso sene senectutem deprecante, de quo scite Seneca » vide, quam cupiunt diu vivere decrepiti senes; paucorum annorum ac» cessionem votis mendicant, minores natu se ipsos esse fingunt, mendacio „ sibi blandiuntur, et tam libenter fallunt, quam si fata una decipiant". Rationis inprimis et virtutis caussa ingens merito censendum est vitae pretium, ingens quoque ipsius dulcedo, ut alienetur homo ab iis rebus, quae interitum videantur adferre; praesertim si vitam consideramus tanquam fontem summae felicitatis moralis, qua animus boni, honesti pulcrique studio munitur, ut homo felicitatis studiosus tacito ad se ipsum respiciat, in se redeat, se ipse noscat, destinationem perspiciat, divinitus constitutam, ut se denique suasque facultates rationales et morales perficiat, eâque polleat sensus et rationis animique harmoniâ, qua veritas et virtus, sapientia et felicitas continetur: omnium vero maxime si hanc consideramus vitam, ut ad alteram transitum, purioris perfectionis, stabiliorisque felicitatis feracem, qua stimulamur et incendimur omnes ad recta imitanda, prava fugienda.

Hominum igitur humanaeque naturae praestantiam si respicimus, errare illos intelligemus, qui multis sibi modis vitam destruunt, quod vitae humanae contemplatio quovis comprobat die, e quibus innumerabilis manat affectionum multitudo et varietas; de quibus magnus est campus dicendi, major etiam quam pro nostro instituto.

Eadem fere Chirurgiae, quae omnis Medicinae fuit origo, iidem progressus, eadem fata, ut illud, de quo proxime egimus, vinculum abunde docet. Chirurgia nimirum inter omnes Medicinae partes fuit vetustissima, humanoque generi prope aequalis.

Primi nimirum homines victu simplici contenti, nec lautas mensas, neque opipara convivia cognoscentes, praeter vulnera, ab injuria externa allata alios patiebantur morbos, ita ut prima Medicina mere tantum diaetetica et chirurgica fuerit. Quis enim a vulneribus, aliisque injuriis salvos semper illos atque incolumes praestare potuit? Plerique etiam, qui primis temporibus artem medicam exercuerunt, uti Chiron centaurus, Machaon, Podalirius, alii, ob chirurgicam operam, quam in sanandis vulneribus, praestiterunt, summas laudes meriti sunt. Audiamus Celsum A. A. dicentem »Haec autem pars cum sit vetustissima magis tamen ab illo parente omnis »Medicinae Hippocrate, quam a prioribus exculta est". Contenta nimirum erat antiquitas, si modo remedium posset haberi sanguinem a vulnere manantem sistens idque sanans, et hinc testante Seneca »Medicina quondam »paucarum fuit scientia herbarum, quibus sisteretur fluens sanguis, vulne»ra coïrent paulatim. Nec est mirum tunc illam minus negotii habuisse, »firmis adhuc solidisque corporibus et facili cibo, nec per artem volupta»temque corrupto".

Vivit autem homo non suis tantum aut naturae legibus adstrictus, vivit in societate; in quam ut vim habet et efficaciam, ita ab ipsa pariter informatur; hinc rebus externis aliter afficitur; alia prorsus ratione in stimulorum extrinsecus agentium potentiam reagit; ab animi affectibus in societate adeo multiplicibus et noxiis diversimode afficitur, ab alimentorum indole et utendi modo afficitur aliter et mutatur; ex luxu in civitate et introducto et proficuo aeque ac nocivo ita formatur homo, ut deleatur, qui aderat naturalis habitus, et cum eo habitu oriatur nova ad novos morbos dispositio, hinc pereunte naturali quoque ad superandos morbos facilitate, succumberet eorum certe vehementiae, nisi succurreretur ipsi ab homine prudenti in societate vivente: Et sic omnino artem hanc magis necessariam fecerunt homines ipsi, vitae quippe suae, ut ita dicam, non naturalis sed artificialis auctores.

At munus nostrum Chirurgicum propter antiquitatem honorificum, praestantissimum propter finem, gravissimum est, nec nisi diligenti studio perficiendum. Quae enim ad rite illud explendum requiruntur et numero sunt multa et genere varia.

Nolim autem hic singula enumerare, quibus neglectis nemo quisquam Chirurgiae rite operam navare potest: in quibus sunt maxime Anatome corporis humani et Physiologia. At vero jungendae hisce sunt Physica, Chemia, Historia naturalis: imo praecedere his omnibus debet disciplinarum omnium mater, Mathesis, de quibus ne singulatim dicam, vetat praesentis aetatis ratio, ut audiendus non videatur quicunque a naturalis philosophiae doctrinis sejungendam putet Medicinam et Chirurgiam.

Et sane quicunque olim principes floruerunt et Medici et Chirurgi, haec studia pariter universa voluerunt, ut nullum negligerent. E quibus unum sufficiat memorasse BOERHAVIUM.

His igitur praesidiis necessariis munitus chirurgus, quum animum suum illis excoluit atque locupletavit doctrinis, novisse illum omnino oportet, quae sit illa conditio corporis humani vivi praeter naturam, quam morbi nomine appellare consueverunt medici, et tenuisse optime illa instrumenta, quorum ope mutatio morbi in sanitatem perficitur: in quibus primum est et praecipuum quod Pathologia docet. Ita Therapiae universalis opera mutationes tales perficiuntur universales, quae intimam conditionem, qua praesente dicitur homo aegrotare, mutando, relationes etiam ejus ad res externas mutant, id quidem, facta applicatione earum extrinsecus agentium virium, quarum est maxima vis ad expeditam mutationem illam, quam significamus, producendam.

Res autem illae, quarum vi exoptata illa perficitur mutatio, dicuntur remedia, insrumenta medica; horum naturam, vim, utendi denique modum aliaque huc pertinentia explicat materiae ita dictae medicae doctrina. Neque tamen corporea omnino et semper est natura instrumentorum illorum universalium, quorum ope agit artifex, sed mentis etiam regimine medico medicus habet opus ad exspectatas mutationes producendas, siquidem philosophi medici nominis honorem expetit. Ad has vero mutationes prudenti facultatum sensuumque animi humani directione erit opus, quibus feliciter adhibere scienti medico eveniunt aliquando constituunturque sanationes, quarum ne ullo quidem modo praesagiri potuissent ante hac eventus successusque, ut irritis omnibus aliis conaminibus, sola illa mentis medicina inopinatos at humanae tamen intelligentiae honorificos valde eventus habuerit.

In tam difficili, quale est sanationis negotium, multum quoque interest scire, illa remedia non agere in brutam hominis machinam, sed in viventem omnino, id est, in talem, quae ad stimulos et percipiendos et a perceptis stimulis reagendi potestate praedita suam quoque ad curationem morborum conferre symbolam.

Ab ipsa illa corporis humani vivi conditione, activae medicinae ratio apparet et abusus. Nam et novisse quando et quomodo sit agendum, siquidem summa scientia censeri debeat, haud minori quoque tamen scientia prudentiaque opus est, novisse, quando ab agendo abstinere conveniat.

Videtis A. A. quid requiratur, ut Germanus quis Chirurgus dici possit. Qui enim omnium horum habet scientiam, omni quoque modo dexteritatem in operationibus instituendis acquirere conabitur. Per anatomen practicam in cadaveribus sedulo institutam manus jam exercuit, et hac ratione jam quodammodo ad munus suum est praeparatus. Non tamen in hac dexteritate subsistet, sed quotidie frequenter ipse se in cadavere exercebit, omnes in eo variasque efficiet operationes, optimas quascunque methodos seliget, selectasque prae aliis exercebit, probe conscius hac unica via optimos in corpore humano vivo instituendarum operationum redundare successus.

Videtis itaque A. A. artis nostrae latissimum esse campum, neque illum semper germani chirurgi nomine dignum existimari posse, qui in gravissimis instituendis operationibus felicissime versatur, qui manibus tantum oculisque uti possit, sed qui in corpore sano sanam sibi mentem exoptare studuerit, qui bene observando, acute judicando, inter bonum et melius dirimendo, ex iis, quae viderit, audiverit, aut legerit, optimos quosque fructus carpendo, et cruentas operationes quantum potest evitando, artem suam amplificare, quidquid antiqui de chirurgicâ disciplinâ non recte excogitaverint, si fieri possit, corrigere, novisque auxiliis miseris mortalibus succurrere queat.

Caeterum ex his evidentissime patet, non adeo levem aut facilem sed gravem potius atque arduam inprimis artem esse chirurgicam; quo vero plures futurae sunt viae difficultates, majores mox erunt itineris suavitates, quum nihil est, quod ex veteri proverbio, labor improbus vincere nequeat ac superare.

Qui tali ratione eruditus omnibus hisce disciplinis animum suum ditavit chirurgus, quantum humano generi utilitatis attulit! quot quantosque honores meritus est!

Quaeritis exempla? possim adferre plurima. Satis est nominasse PETRUM CAMPERUM, Anatomicum summum, Chirurgum et Obstetricatorem dexterrimum, qui per universam fere Europam summa laude celebratus maximum eruditionis et dignitatis fastigium attigit, omni disciplinarum artiumque genere praeclarus, in variis itineribus, magna summos viros, praesertim Medicos, Chirurgos, Obstetricatores, peritissimosque artifices amicitia et familiaritate complexus est, et hac quoque sibi ratione ingentem doctrinae copiam comparavit.

Ne quis autem magnopere miretur, nullam medicinae partem certam magis esse atque evidentem Chirurgia. »Est enim, ut Celsus ait, effectus ejusdem inter omnes medicinae partes evidentissimus, siquidem in morbis quum multum fortuna conferat, eademque saepe salutaria saepe vana sint; potest dubitari secunda valetudo Medicinae an corporis beneficio contigerit. At in ea parte, quae manu curat, evidens est, omnem profectum hinc plurimum trahere".

Non autem negamus, ea quae manu saepe in hac arte praestemus, quaeque non semper in gravissimis ponenda sunt, evidentiora saepe esse medicamentorum in C. H. actione. At rerum periti facile mihi assentientur, quam difficilis saepe sit in morbis externis diagnosis quantaque in hac rite instituenda saepe requiratur prudentia et judicii subtilitas, qua morbi specie sibi similes at causis et effectibus valde diversi a se invicem rite distinguantur; quam, inquam, difficile saepe sit, morbos articulorum, oculorum, ossium aliosque rite cognoscere. Imo quem fugit? in casibus rarioribus vel minus consuetis, quibus manu solum curatur, aquam saepissime haerere. Apparet itaque ex omnibus his erroribus, accuratissimam quoque horum morborum cognitionem, utut minus difficilem, summam tamen prudentiam requirere.

Novam Chirurgo hic oriri videmus difficultatem, ubi ex improviso in gravissimis caussis judicium ferre debeat.

Eos nimirum casus hic significo, quos peritissimus quisque et experientia maxime confirmatus nullo modo praevidere potuerit. Ita fieri potest, ut morbi intercipienda sit sive interrumpenda therapia, ut ex officio quidem diligens artifex, propositam quasi viam relinquere cogatur, quum ex improviso tali ratione morbus indolem suam mutet, ut, nisi promtissime alia auxilia adhibeat, pereat aegrotus. Sunt etenim multae operationes, in quibus gravissima ac inexspectata quidem illa symptomata offendere chirurgus potest.

Neque solum in operando et in iis, quae sanari possunt, at in morbis per se insanabilibus maxima Germani chirurgi elucescit praestantia, ut nimirum symptomaticam curam bene instituere valeat, egregii aliquando usus in protrahenda nonnunquam aegrotantis vita, etiam minimis sub molestiis, quas caeterum morbus adfert. Liquet illud inprimis in istius morbi tractatione ad externos quidem relati, sed internis tamen, quod causam attinet, adscribendi; carcinomatis volo insanabilis et diri illius vitii, in quo tempestive adhibita medela symptomatica imo medicatione fere nulla tantum proficitur, ut non irritato, sed sopito, qui intus haerebat, hoste, per sat longum tempus imo per totam saepe vitam lateat, neque erumpat morbus, et aegrotanti vix ullas creare molestias soleat.

Sed

Sed, ne his ulterius persequendis latius excurram, quam tempus hoc et locus sinere videntur, monuisse haec sufficiat de studio Chirurgiae. Cultum jam porro attendamus et humanitatem, quibus non minus se commendare Chirurgum decet, quam artis cum scientia tum peritia.

Et primum quidem cultior quaedam requiritur institutio, ut cum honestissimo quoque hominum genere facillime vivat. Haud enim patitur artis hujus dignitas et praestantia, laudari chirurgum propter curandi dexteritatem, abhorreri vero propter rusticitatem morum. Cultus et humanitas vim habet maximam ad curandos aegrotos. Est enim, quod memoravimus, quodque immortalis ille GAUBIUS, hujus quondam Academiae decus et ornamentum tam diserte vereque exposuit — est, inquam, regimen quoddam mentis, quod medicorum est. Mentem autem hominum regere, quis tandem sive medicus sive chirurgus potest, qui asper est moribus ac molestus, magisque reformidatur ab aegrotis, quam diligitur? Is autem hoc potest unice, qui in hominum se animos apte solet insinuare, eorum benivolentiam ac fiduciam facile sibi conciliat, aegrotos eodem tempore et duris operationibus torquet et suavissimis sermonibus delinit ac consolatur. Qua humanitate non simulatam illam intelligimus voluntatem, quam ostentare rudes etiam agrestesque solent homines, quo magis vulgo laudentur ac celebrentur, sermone illi et vultu blandientes, intus vero, rupis instar, duri et asperi. Illam significamus humanitatem, quae ex optima oritur animi indole atque institutione hominumque cultissimorum usu rite est temperata: qua, ut Tullius ait, »vir bonus benefaciendi studio sincero atque amore »non fucato complectitur homines omnes etiam rudes, imo alienissimos at»que inimicissimos tanquam communi quodam vinculo quasi conjunctos". Saepe enim vitam et salutem ultro credunt miseri illi chirurgo, qui prae se fert urbanitatem et officiosam quandam comitatem ab omni austeritate alienam, qui litterarum inprimis studio artiumque ingenuarum rite, ut decet, educatus omnes amicitia et humanitate prosequitur. Non enim vivimus illa tempora, quibus chirurgum ut opificem aut operarium quemdam salutamus, at hominem non solum suae ipsius artis peritia insignem, sed adjutricibus quoque permultis ex omni disciplinarum genere artibus politum, quibus ad verum cultum ad veram humanitatem via sternitur.

Sed chirurgo haud desit etiam oportet animi firmitas, audacia quaedam, audentes enim fortuna juvat, at rationi consentanea, cujus comites sint sapientia, prudentia atque rerum peritia. Haec enim audacia vere nobilis, praestantissimum est apti exercitatique chirurgi ornamentum, quae studiis, exercitatione et cultu acquiritur; ne in temeritatem degeneret, unde ars nihil lucratur, cui plurimi saepe homines amissam debent sanitatem vitamque. Haec est illa audacia, quam Philosophia acquirimus. Et solus medicus philosophus hac pollet audacia, qua medias inter hominum miserias animos aegrotantium afflictos recreare et erigere studet, quaque a tramite sibi cum ratione proposito nullo modo abduci se patiatur. Talis apud Gallo-Francos conditionis erat Ambrosius Paréus, tali pollebat vi ad persuadendum, talis ei erat vera audacia, cum summa prudentia, sapientia, artisque peritia conjuncta, ut medias inter strages versaretur humanitate et officio ductus, et felices se praedicarent tali medico milites, animosque erigerent ac summo cum ardore ad pugnam incitari se paterentur, si modo Paréus adesset.

Quod autem literas attinet, quarum haud ignarum esse decet Germanum chirurgum, linguas arte et antiquas et recentiores teneat necesse est, ut optimos quosque de arte sua scriptores recte intelligat, ex eorumque inventis et observationibus proficiat. E versionibus enim sapere is nolet, qui non videri cultus eruditusque, sed esse cupit. Veruntamen sunt alii praeterea fructus ex optimorum scriptorum lectione percipiendi. Plena sunt Poëtarum, Oratorum, Philosophorum opera prudentiae ac sapientiae, illius maxime, quae ad vitam recte instituendam, ad animum confirmandum et quasi corroborandum unice valet. Nec medicos quis facile antiquos legerit, inprimis medicorum Ciceronem, Celsum, quin fateatur, ex hac se lectione prodiisse non tantum solertiorem medicum, sed virum etiam meliorem et humaniorem.

Sic igitur excultus quis et ad veram humanitatem conformatus ornamentum esse et humanae societatis et vero chirurgiae poterit: efficietque, ut gravissimae huic utilissimaeque arti sua magis magisque habeatur et dignitas et existimatio.

Quo magis celebranda est nobis gratoque animo colenda Regis nostri serenissimi in artem hancce munificentia, cujus ex decreto qui summi semper medicis tribui solebant honores, iidem jam Chirurgis tribuuntur. Sic agere decebat Principem, qui quicquid est bonum, utile, patriaeque conducit, id favendo honorandoque mirabiliter provehit et amplificat.

Perorata causa est, sicque finem facere possem, nisi et alia a me peragi exigeret hujus diei solemnitas et officii mei ratio.

Et vos quidem primum compello, viri gravissimi hujus Academiae Curatores Amplissimi! Haud parum sane me commoveri fateor, muneris, quod hac jam aetate mihi impositum video, consideratione. Est illud ut perquam honorificum mihique gratissimum, ita difficultatis, si quod aliud, plenissimum.

Sancte autem promitto, id maxime omni studio, industria et voluntate me acturum esse, ne aut Regem munificentissimum aut vos honoris, quo me ornastis, poenitere possit, nec hujus Academiae celebritas per me quid detrimenti capiat.

Faxit Deus, ut sic vestris auspiciis Illustrissimi Viri! magis magisque floreat Academia Lugduno-Batava, inque vestra, Patriae et Academiae commoda diu vos servemini sospites et incolumes.

Quodsi autem in me aliquid est facultatis, quo gravissimo meo muneri non plane sim defuturus, id omne, publice fateor, me debere eximiis optimisque in Academia Rheno-Trajectina Praeceptoribus, qui non solum institutione sua me informarunt, sed praeceptis, monitis, consiliis mihi semper adfuerunt. Quibus quot quantaque debeam beneficia gratissimo semper animo rependere conabor.

Vos autem cum intueor Viri Clarissimi, vehementer vestra me movet praesentia; movet me imo perturbat cogitatio, in tantorum virorum ordinem me esse receptum. Benigno autem animo excipiatis me quaeso, vobis fere omnibus ignotum, et eruditione longe inferiorem. Ne recusetis rogo prudenti vestro consilio me in obeundo gravi munere regere et sublevare. Quod quidem a vobis inprimis peto Clarissimi Medicinae Professores, a Te autem omnium maxime celeberrime DU PUI, quocum arctissime me communis disciplinae jungit vinculum. Utinam liceat te quoque saepe adire tuaque amicitia uti. Equidem te semper juvenis senem venerabor: tu autem me, tua experientia doctiorem factum, habebis tui observantissimum. Quidquid deest aetati meae sive eruditionis, sive experientiae, hoc Vos, Viri eruditissimi monendo, communicando, docendo suppleatis. Ita omnes vivamus concordes, unanimes, ut medicae disciplinae dignitatem pro viribus et sustineamus et augeamus.

Vos denique ornatissimi suavissimique Juvenes et Commilitones, non gravi quadam oratione alloquar, futurae nostrae familiaritati minime consentanea: audivistis, quam arctissimo inter se vinculo cohaereat Medicinae et Chirurgiae studium, quam ad cognitionem Chirurgicam fructuosa sit utriusque conjunctio. Audivistis, quam amplus sit campus, qui vobis percurrendus est, ut ad intima Chirurgiae penetralia perveniatis. Audivistis, quamnam illi viam ingressi sint, qui in praeclara nostra arte chirurgica excelluerint, quamque praeclara inde reportarint praemia. Vestrorum studiorum cursum ita dirigite, ut veris tandem fruamini illis voluptatibus, quae ex hoc fonte promanant. Via saepe aspera est multisque impedimentis obsessa: ne autem deterreamini. Qualescunque sint viae difficultates, magnae erunt itineris suavitates. Asperae hujus viae me accipiatis ducem, comitem, amicum sincerum, aliquanto diutius in his studiis versatum.

Fidem vobis do, optimi Commilitones! nullum esse tantum laborem, quem non vestrae utilitatis, Academiae gloriae et humani generis salutis causa, lubenter suscipiam.

Sic ex hac illustrissima Musarum sede germani prodeant Chirurgi, veri artis vindices, Faxit Deus optimus Maximus!!

DIXI.

ANTONII HENRICI VAN DER BOON MESCH

ORATIO

DE

CHYMIAE MATERIA, RATIONE ET USU,

HABITA DIE XVI. DECEMBRIS ANNI MDCCCXXVI,

CUM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA LECTORIS
CHYMIAE ARTIBUS CONJUNCTAE MUNUS SOLENNITER AUSPICARETUR.

PERILLUSTRES ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE CURATORES, VIRI GRAVISSIMI, AMPLISSIMI!

MAGNIFICE RECTOR!

NOBILISSIMI CIVITATIS CONSULES ET JUDICES, QUIQUE IIS A CONSILIIS ESTIS VEL AB ACTIS, VIRI SPECTATISSIMI!

QUARUMVIS DOCTRINARUM PROFESSORES CLARISSIMI!

ARTIUM ET LINGUARUM LECTORES PERITISSIMI!

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES FACUNDISSIMI, VIRI QUAM PLURIMUM VENERANDI!

ARTIUM ET SCIENTIARUM DOCTORES, VIRI CONSULTISSIMI!

HUJUS ACADEMIAE CIVES NOBILISSIMI, COMMILITONES OPTIMI!

CIVES, HOSPITES, CUJUSCUMQUE ORDINIS, LOCI AC DIGNITATIS, HONESTISSIMI, AUDITORES HUMANISSIMI!

Cum ab omni aevo res maxime ardua existimata sit in principum doctrina virorum conventu verba facere, atque ab omnibus iis, qui in hunc editum et amplissimum locum dicendi caussa procedunt, oratio exspectetur ea, cui neque rerum gravitas neque verborum suavitas desit, non est cur dissimulem, magna sollicitudine mentem meam affici suspensamque teneri. Si porro cogito me auspicii caussa dicere et auspicari amplissimi et vero recens instituti studii professionem, quantopere animo conturber, magis equidem sentio, quam aut alii existimare possint, aut ipse oratione demonstrare queam. Quare A. A. H. H. in vestra benivolentia atque humanitate omnem meam spem positam esse arbitror, omneque meum praesidium quaerendum; et vos maxime rogatos esse velim, ut non tam ingenii mei mediocritatem, quam voluntatem spectetis et ardorem, quo incensus sum earum, quas profiteor, disciplinarum.

Nolite tamen putare A. A. H. H. me ejusmodi immodesto ac vano amore mearum rerum duci, ut illas omnibus ceteris scientiis atque artibus et suavitate et utilitate praestare putem; hoc enim si contenderem, plerisque vestrum alia studia amplectentibus injuriam facerem. Et revera, ut non nisi de utilitate dicam, quam vagum et saepe indefinitum non est hoc ipsum utilitatis nomen? quam incertum saepius omne judicium, quo singulis disciplinis et justus locus et justum pretium statuatur? quam denique difficilis res de cujusque disciplinae prae ceteris praestantia suffragium ferre? Ad ejusmodi enim suffragium aeque ferendum omnes omnino artes penitus cognoscendae sunt, earumque peculiares laudes intelligendae et dijudicandae; et jam satis habet, nisi fallor,

et

et laudis et difficultatis in uno quodam ac certo doctrinae genere vel mediocriter versari. Exemplum itaque potius veterum et aequorum judicum nostrae aetatis sequendum puto, qui alteram disciplinam alterius auxilio indigere existiment, omnibus suum pretium, suum honorem, suam dignitatem esse statuentes.

Quo magis igitur, A. A. H. H. mihi cavendum esse putavi, ne dicendo de iis scientiis, quarum docendarum munus Gravissimorum virorum auctoritate auspicor, de aliarum propriis meritisque honoribus detrahere vel eas deprimere viderer; eo magis etiam mihi abstinendum esse duxi ab illis extollendis ac supra rem veritatemque et praeter modum laudandis et commendandis. Ac profecto hoc loco non caussa agenda est earum disciplinarum, quae Philosophiae Naturalis nomine comprehenduntur; nam illarum studium et utile et jucundum, et vero viri docti persona dignum esse, apud vos A. A. H. H. qui de omnibus artibus aeque judicatis et censetis, nulla probatione indiget. Verum perpendenti quam potissimum ob caussam in hanc tantam clarorum virorum lucem prodeam, nihil mihi aptius meaeque infantiae magis consentaneum visum est, quam quae sit nostrae scientiae materia et ratio paucis declarare. Dicam igitur *de Chymiae materia, ratione et usu*. Quod orationis argumentum simpliciter exponam, et exemplis non illis ex interiori disciplina quaesitis, sed de medio petitis, illustrabo; quod orationis formae et fini, certe meae tenuitati magis congruum est. Sin vero minus apte et bene dixero, quam hujus loci amplitudo et vestra praesentia postulant, id quaeso A. A. H. H. meae dicendi insolentiae condonetis et pudori, alieno fortasse ab hoc loco, non immodico tamen et intempestivo.

Naturae contemplandae ac cognoscendae studium ab antiquissimis temporibus esse repetendum, non facile quis negabit. Nam homines cum ad aliquem cultum et humanitatem progressi erant, ad rerum naturalium speciem, ubertatem ac varietatem adtendebant; videbant naturae phaenomena, quibus vel delectabantur, vel terrebantur; atque natura ducti multarum rerum, quas admirabantur, caussas scire cupiebant adeoque in eas inquirebant; quod opus cum inchoassent, naturae contemplatio facta est sapientum animorum naturale quasi pabulum, atque occultissimarum rerum indagatio maxima voluptas. Unde paullatim exoriebantur rerum naturalium notiones quaedam et ideae, quas singulas deinceps explicare, illustrare omnesque ratione conjungere coepeperunt. Quae prima fuisse naturae scientiae et Physices incunabula constat. Verum illud naturae studium postea neque apud omnes populos eodem modo cultum est, neque eosdem fecit progressus; cujus rei caussas si quaerimus, has inveniemus in diversa terrarum, quas incolebant, natura, vel in rerum publicarum variis conditionibus, vel denique in varia gentium indole, quarum aliae in disciplinis, quae sola ingenii solertia perficiuntur, maxime excelluerunt, aliae in artibus, quae naturae penetralibus pervestigandis addiscuntur. Atque in harum numero primi nobis nominandi sunt Aegyptii; apud quos jam inde ab antiquissimis temporibus naturae studium cum amoris quodam ardore cultum fuisse, historia testis est. Nam in Aegypto, ubi natura magna sua opera ostentabat, atque his adjiciebat miracula, quae cum hominum salute vitaeque commodis proxime conjuncta erant; ubi reges et principes in civitate viri illorum spectaculorum considerationem et intelligentiam adjuvabant et promovebant, non poterat, quin rerum naturalium studium apud populum excitaretur et cresceret. Altiorem vero occultarum absconditarumque rerum scientiam, a qua vulgus tamquam profanum longe remotum tenebatur, veluti sanctissimam dotem possidebant atque integram servabant sacerdotes, qui hanc ipsam sacro sermone suo Chymiam dicebant. Itaque Chymia, quamquam a primis ejus initiis omnem naturae operum scientiam comprehendebat, maxime tamen cognitio fuit rerum naturalium ab ipsa natura aliquomodo involutarum.

Bellis vero aliisque caussis, quas enumerare longum sit, factum est, ut Chymia transferretur ex Aegypto in Arabiam, atque cum postea ad Graecos ac Romanos pervenisset, tandem post multos annos et casus ad reliquam pervagata sit Europam.

Versabatur autem Chymia antiquis illis temporibus maxime in arte metalla effodiendi, excoquendi, temperandi; caelandi aurum et argentum, atque ex his et aere, et ferro, adde ex plumbo et stanno, quae omnium utilissima solers antiquitas novit, fundendi arma et nummos, quaeque ad victum et vitam necessaria, aut ad commoditatem et ornatum habentur optima instrumenta. Et erat haec ars, in Aegypto acerrime exercitata, non modo abditarum rerum scientia, cum res fossiles lateant in terrae visceribus; verum etiam, cum rerum naturalium pars magna metallis describatur, amplissima et utilissima. Nam metallis expletae venae inveniendae erant, experiundae, effodiendae;

quod sine multis et artificiosissimis machinis fieri non poterat; deinde urendae, tundendae, lavandae, excoquendae; quod omne magnum manuum adjumentorum usum desiderat, ne dicam de artificiis discernendi aurum ab argento, argentum ab aere, plumbum ab auro et argento, quotque salium vel humorum natura aut ignium vis penitus cognoscenda esset. Cujus artis utilitas quo latius pateret inque totum populum ex ea plus lucri redundaret, eo diligentius studuerunt forte eam aliis celare, neque dividere propria bona cum multis. Atque utinam antiquitatis exemplo tam prudenter arte semper usa fuisset posteritas! Sed sive fortuna artifex vim auri in rebus fossilibus invenerit, in quibus id latere ignoraret, atque creduli et boni homines spe lucri ducti ex carbonibus nobile metallum fieri posse sibi persuaserint, sive nescio quo fato hominum mentem auri sacra fames occupare coeperit, Chymiam constat diu postea artem significasse, qua ex metallis quibuscumque aurum conflaretur, hanc multum exercitasse Arabes, atque Alchymiam dixisse, et post seculum septimum, quamquam longe antea usurpata fuit, de hac arte multos, etiam Graece, scripsisse. Sed sicuti hae cupiditates inhonestae erant atque insana ars et ridicula, ita ex hac tamquam e fonte enatus latissime proserpsit hic gravis error, ut quo thesauros congerere volebant, eodem instrumento morbos tollere, sanitatem redintegrare perpetuoque salvam aetatem ac veluti floridam servare inepte studerent.

Ne putetis tamen, A.A. H.H. sola Chymia abusos fuisse istis temporibus et doctos et indoctos, vel hujus contemtûs caussas in ipsam artem cadere. Nam ipsi, qui eam profitebantur, hanc ei adsperserunt labem, qui cum in ea tractandâ perversam sequerentur rationem, factum est, ut hominum errores ad ipsam disciplinam traducti sint. Et licet Chymia istis temporibus, quibus omne doctrinarum lumen exstingui videbatur, communem habuerit cum ceteris scientiis sortem, tamen ex ipsis illis tenebris ejus praestantiam elucescentem videmus. Nam cum Physicae disciplinae maxime faciendis experimentis promoveantur, etsi frustra lapidem philosophorum quaerebant, suo explorandi negotio ad notitiam multarum rerum pervenerunt Chymici, ad quam sine experiundo nunquam pervenissent, quamque et nos ignoraremus, si illud laborum taedium devorare recusaremus. Et vero iis ipsis temporibus et operis remediorum inventio debetur, quibus graves et pervicaces morbi et tum feliciter depellebantur et semper depelli poterunt, si tempestive administrentur. Nec profecto singuli tunc temporis Chymici contemnendi sunt; sed contra, utor testimonio aequi harum rerum judicis, alchemistae laudandi, quippe qui corporum naturam tam profunde eruerint, quam diserte descripserint.

Sed cum antea homines, sive necessitate aut natura ducti, sive rei utilitatem perspicientes, rerum indolem inquisivissent, ferme inde a seculo decimo septimo Chymia tamquam disciplina coli coepta, atque veri indagatrix et inventrix dicta et habita est. Multi fuerunt, qui dispari tempore et modo tantam laudem arti compararent; quorum nomina cum silentio praeteream, non possum tamen quin instar omnium laudem unum et principem virum HERMANNUM BOERHAAVIUM. Nam cum hactenus per casus fortuitos potius discerent, quam ex lege disciplinarum agerent; sine proposito consilio facta ac sine ordine dispersa primus collegit experimenta, compluribus suis illustravit inque formam scientiae redegit; neque, considerate A. A. H. H. viri magnitudinem, Chymicam disciplinam agnovit nisi innixam universalibus notionibus, quae ipsae prius seligendae erant ex communibus, multis et firmis observationibus Chymicis, semper et ubivis eodem modo factis. BOERHAAVIUS igitur qua erat ingenii magnitudine, totam disciplinam edoctus, non modo ejus fines protulit, sed et cum omnium consensu in ea regnaret, sua auctoritate, qua maxime valebat, ab humiliori artis existimatione alios, aliosque ab inepta exercitatione, utrosque ad rectum studium compulit.

Interim adhuc admittebatur Aristotelis doctrina de elementis, solaque, reliquarum sectarum opinionibus paullatim oblivioni traditis, universe vigebat, quam tandem triginta ultimis proxime lapsi seculi annis labefactavit in Anglia duorum nobilium Physicorum industria, PRIESTLEI nimirum et CAVENDISCHII; illo aëris, hoc aquae compositam naturam ad oculos monstrante.

Eodem tempore autem in Francia, sempiterna Brittannicae gloriae aemula, exstitit LAVOISIERIUS, vir perspicacis ingenii, veri amore ductus, nec magis versatus in subtiliter experiundo, quam in diserte scribendo. Hic igitur sua opera firmatis aliorum quoad aërum genera inventis, et vero his multis propriis de aëre et aqua, de igne, de acidis et terris similibusque additis, novam eamque pulcherrimam disciplinae formam conciliavit. Huic Chymia debet, quod nunc sit; et vero hujus incomparabilis viri res gestas nulla umquam aetas satis admirari, nemo mortalium laudando aequare potest; atque uti indignatio de ejus crudeli morte iisdem, quibus ipsa humanitas, finibus terminabitur, sic ejus laudes, immortalibus ingenii monumentis proditae, florescent et seculis innumerabilibus et regionibus disjunctissimis.

Hujus autem doctrinae praestantiam et excellentiam, cum alii eam cavillationibus peterent, mature perspexit patria, et cum ea, brevi composita controversia, Europa omnis illam amplexa est, promovit et propagavit. Cujus junctis viribus praestita opera et labores tempus non permittit A. A. H. H. ut vel leviter attingam. Certe nulla pars disciplinae est, quin continuo clarius illustrata atque magis amplificata sit; atque Chymicorum ardore, felici ingenio et assiduitate in observando et experiundo factum est, ut Chymia non tam novis inventis ditata sit, quam nova fere condita. Nam ut praetermittam experimenta, quibus natura ignis, lucis, electricitatis et magnetismi melius ostensa est et definita, ut tantum dicam de iis inventis, quibus ipsius scientiae facies mutata est; alcalia et terrae, quae antea simplicibus adnumerabantur corporibus, in varias partes dissolutae sunt; et leges et modi, quibus corporum copulationes fiunt, sunt detecti; denique Chymia cum universa disciplina Physica hodie arctius juncta est, felici et apto doctrinae, quam proportionum vocant, usu firmiori fundamento nititur et fere mathematicam assecuta est evidentiam; elementorum numerus insigniter adauctus est; atque omnium omnino corporum explorationes meliores et accuratiores sunt factae. — Si igitur Chymia ea qua oportet ratione colitur, omnium omnino corporum proprietates et vires non solum docet, sed eorum partes, quae certa lege mistae et rursus saepe e diversissimis elementis conflatae sunt, detegit et omnes ostendit. Solvit enim Chymicus intima, quibus corpora juncta continentur, vincula; dissolvit, quae aëris, aquarum et tempestatum vires per magnam seculorum seriem dissolvere non potuerunt; docet quomodo omnia gignantur, quomodo intereant; et naturam secutus et imitatus e solutis materiis alia ratione jungendis ac conglutinandis, novas res creat ad usum communem aptiores.

Intelligitis jam A. A. H. H. quam late pateat Chymiae campus, cum ejus finis sit ostendere materiem, e qua efficiuntur, tam quae e terrae visceribus effodiuntur, quam quae aura vitali animata gignuntur e terra, seu plantae, et quae his adhuc sunt perfectiora, seu animalia. Atque ut primum de rebus fossilibus dicamus, quam infinita est vis saxorum, lapidum, gemmarum, metallorum et sulphurum! Horum singulorum formae non tantum metiendae et describendae sunt, verum eorum natura, id est, principiorum mistio et copulatio totaque eorum compositio sunt indagandae et inveniendae. Nam veluti nullius corporis natura bene tenetur, nisi cognoscatur materies, e qua efficitur, sic etiam res fossiles non bene definiri neque in bene constitutos ordines referri et disponi possunt, nisi eorum compositionis habeatur ratio; et licet Mineralogia merito pars Historiae Naturalis habeatur et dicatur, tamen non eodem, ac reliquae illius disciplinae partes, nititur fundamento; id est, res fossiles non aeque ac plantae et animalia ex forma et structura solâ apte dividi et discerni possunt. Atque ut sic judicemus, suadent principum virorum CRONSTEDTII, HAUYI et BERZELII opera, qui Chymiae rationem in mineralogicis secuti res fossiles distinxerúnt ab aliis conjunctas et confusas, alias conjunxerunt, quas alii distinxerant et separaverant. Chymiae in mineralogicis usum suadent porro recens facta experimenta, quibus ostensum est, corpora indole diversissima in similes crystalli formas concrescere; suadet denique ipsa doctrinae de rebus fossilibus historia, cum nullus fuerit Mineralogus pariter Chymicus, quin dispertiendi corpora e Chymicis notis rationem adhibuerit; quare a rerum fossilium studio ne sejungatur Chymia cavendum est, et omni ope enitendum, ut altera alteram adjuvet.

Verum explorationes Chymicae non tantum pertinent ad singulos lapides, quod jam satis magnum et arduum opus uti ipsi disciplinae necessarium est, sic in communem redundat utilitatem; sed eaedem pertinent item ad saxa, quae e diversis lapidibus facta terrarum rupes et montes construunt; atque Chymicus, cum singulorum saxorum et lapidum multitudinem, varietatem, naturam, materiem et ortum doceat, tradit simul fundamenta telluris scientiae.

Cum autem Naturae exploratori pateat universus terrarum orbis, ex officinae suae umbra egressus eum pervagatur et in eo peregrinatur, atque suae artis amplificandae summo ardore flagrans et confragosas rupes et inaccessa adscendit montium cacumina. Testor BUCHIUM, BEUDANTIUM, HUMBOLDTIUM et alios peregrinatores ejusdem laudis socios. Testor meum praeceptorem REINWARDTUM, qui Indiam Orientalem adiit, qui quaevis incommoda et pericula alto animo contemnens ea loca non reliquit, nisi omnibus lustratis et cognitis, qui denique rerum naturalium ad nos apportavit thesauros pretiosissimos.

Ne existimetis tamen A. A. H. H. Chymiam in solis saxis lapidibusque indagandis versari; longe latius patet, pertinetque ad varia plantarum et animantium genera, quorum naturam exquirat. Et si illorum numerus magnus et prorsus infinitus sit, atque adhuc in hoc disciplinae flore quovis die ferme novis repertis adaugeatur, tamen neque horum numerus neque varietas cum iis et plantarum et animalium, in quibus Naturae vis et magnitudo maxime cernitur, vel comparari potest. Plantarum autem formae et species sicuti diversissimae sunt, sic etiam humores et materies, e quibus sunt factae, vario modo mistae et confectae deprehenduntur; quarum vero indoles non tam multiplex atque recondita latere possit, quin eam Chymicus sua arte perscrutetur ac cognoscat. In quo subtili opere dici vix potest, quam feliciter nunc progrediatur. Nam cum antea tenera plantarum textura ferme solis ignibus ureretur, quasque intus alerent partim corruptae res prodirent, partim ex iis novae prorsus enatae, fine praecedentis seculi, et vero maxime hoc quod vivimus seculo, perscrutandi artes et rationes excogitatae sunt longe praestantiores, eae quibus ad intimas rerum copulas solvendas pervenitur, in solvendo vero pleraeque res integrae incorruptaeque prodeunt, salva quali delitescerent in plantis singularum natura. — His demum laboribus, nam praestat rem exemplo illustrare, repertum et ostensum est, quamquam multae herbae et arbores acore distinguantur, in multis aliis non modo acorem temperari, at vero cum acoris principio aliud singulare commistum teneri et hinc novum salium genus fieri. Cujus principii non modo rursus varietas est, sed et vis et efficacitas magna. Cogitate modo A. A. H. H. illum in cortice Peruviano recens inventum pulverem, qui a China vel Cinchona nomen habet, cujusque paucis granis exitiales febrium intermittentium motus subito comprimuntur. Atque hoc unum esse ex optimis et tutis morborum remediis, quae nostris temporibus Chymiae medicina unice debet, cum jam per Europam omnem constaret, clare quoque apparuit in curandis morbis, qui in florentissimas carae patriae urbes et pagos hac aestate et autumno inciderunt.

Sed illae accuratiores explorationes non tantum diversarum plantarum diversam naturam ostenderunt, et scientiam earum rerum patefecerunt, quibus divinae sapientiae cura salubritatem et medicinam ingeneravit, sed effecerunt quoque ut plantarum vivendi genus ac modus crescendi rectius intelligerentur. Nam quod attinet agrorum fertilitatem, ejus caussam principem docuit Chymia, reperiundo in iis pabulum, quo sicuti aëris aura aquarumque liquore tamquam magis confecto nutrimento plantae aluntur. Quod pabulum ecquod aliud est quam humus, quae ipsa ex emortuis et putredine dissolutis herbis et animalculis orta cum recipiatur a radicibus, ac per fistulas, succi nutritii ministras, attollatur, in utriculis cocta toti plantae nutrimentum fit et incrementi primum adjumentum. Atque humi praestantiam haud scio an hoc exemplo clarius monstrare queam, quod desumam e montibus Granitae. Nimirum hi ipsi duri sunt, aridi totique nudi; sed aquae, quarum vis tam late patet, quam frequens et magnus proventus est, diffusae sorbentur commissuris et rimis, rupiumque venulis conceptae dum frigore congelantur atque explicantur, primum disrumpunt saxa; quae jam junctis aquarum aërisque viribus exedi incipiunt ac dissolvi. Fiunt apta quae ferant humile plantarum genus, lichenes; quo opere semel incepto tamquam sparsis seminibus e saxo gignuntur plantae; emollitur saxum, serpit lichen continuo ulterius; hic emortuus relinquit, quo alatur alia itidem humilis plantula, cui accedit alia; asperum saxum humo obtegi coepit, quam quaerunt herbae, postque annorum intervallum et stirpes alit et arbores, inque his palmas; atque horrida et inaccessa loca evadunt fertiles campi, in quos pastores greges pastu conducant.

Haec vero ita fieri non miratur Chymicus; nam novit materies, e quibus hi montes facti sunt; novit eas avidas esse commercii et copulae cum aliis corporibus, et cum videat materierum mutationes plerasque fieri paullatim, ut aliae inde exorirentur, perspicit caussas, quare, etiamsi plantae et animalia lege naturae intereant, tamen perpetuus telluris sit ornatus et semper sint et animantium et plantarum genera. Denique cum et in sua officina et in ipsa natura didicerit, ex uno ac tenui principio res quam maximas et diversas fieri, e ligno et fomitem facit et fucum et acetum acidissimum; quod optimae notae acidum jam in communi usu est; et ostendit omnia plantarum venena ex iisdem elementis, sed alia ratione junctis, esse facta, ac suavissimos fructus, qui et olfactui et gustui placent.

Simili modo emendata rerum animantium indagandi ratione, illarum indoles melius intellecta est. Nec tantum naturam humorum omnium, partiumque solidarum tum animantium tum corporis humani docet Chymia, sed illustrat quoque illorum usum, harum actiones, maxime quae spiritu in pulmones anima ducatur, quae reddatur respirando, et quomodo calescat corpus calorque per omne corpus fiat. Neque reticendam esse arbitror quantum praesidii in hac arte hominum vitae sit. Nam ad cavendum nos instruit, ne incauti suspectis dapibus vescamur, et in diros immo lethales morbos incidamus. Chymia effecit ne nautae, dum longa itinera mari patriae caussa continuant, putredine corrupta carne utantur, et tabe consumantur, aut in mediis aquis siti pereant, impuram et foetentem aquam sordibus aut salsam sale purgare nescientes. Eadem e domibus et urbibus pellit pestiferas nubes, quae ad quem adspirent, inficiunt et late diffusae urbes et agros urunt. Adhuc in memoria est, quantum hominum stragem fecerit allatum toti Germaniae a fugato post Berisinensem Napoleontis cladem Francorum exercitu pestilentiae contagium. Quae calamitas cum gloriosi pro libertate belli et curis et magnitudine longius saevierit, eo magis praedicanda est divinitus edita post pulcherrimam in Waterloënsi pugna de Napoleonte reportatam victoriam BRUGMANSII opera, qui caesis multis millibus hominum, pluribusque vulneratis, in media aestate suae artis usu a patria et Europa pestem avertit. Eadem armat medicum validis contra morborum agmen armis. Nam etsi verissimum est, quod medicinae pater Hippocrates dixit, naturam esse morborum medicatricem, qua deficiente irrita artis molimina sint, negari non potest, saepius torpidae naturae stimulo opus esse, et concitatae freno, et aberranti ut in viam reducatur; atque hoc medendi propositum prudenter administratis remediis attingi, quorum notitia magnam partem e Chymica arte petenda est.

Itaque cum Chymia in eo versetur, ut, quicquid rerum fossilium in imis terrae visceribus excoquatur, aut quicquid plantarum e foecundo sinu suo gignat et proferat tellus, aut quicquid denique animantium foveat et alat natura, ut horum omnium intimam et absconditam indolem, misturam, partiumque mutuas actiones, earumque caussas exploret et doceat; nemini vestrum A. A. H. H. mirum videbitur si dicam, hanc disciplinam adeo vastam et amplam esse, ut vitae humanae spatium ad omnes hujus disciplinae partes rite tractandas et observationibus experimentisque amplificandas vix sufficere videatur. Et haec quidem hujus disciplinae amplitudo insigniter augetur vinculo, quo tenentur omnes scientiae, quae Philosophiae Naturalis nomine comprehenduntur, et in quibus Chymia non ultimum certe locum obtinet. Nam licet omnes hae partes, ut historia animalium, plantarum et rerum fossilium, optimo jure a Chymia distinguantur, atque seorsum exponi et tradi soleant, tamen et haec illarum auxilio carere non potest, et illas Chymiae luce illustrari oportet. Et quis praeterea Chymiam a Physica esse segregandam existimet, quae ambae in observando et experiundo consistunt? Quis neget, pulvere docto indigere Chymiam, cum mathesi tamquam instrumento utantur reliquae disciplinae, et ea sit illius indoles, ut suis opibus polleat, atque e simplicissimis et in aperto positis principiis abstrusa quaeque et difficillima deinceps deducat? Ne sejungantur igitur disciplinae, quae ad studium naturae pertinent, vel potius id faciunt, sed sibi adjungantur, ut altera alteri lucem afferat et alteram adjuvet; qua in re tamen ob amplitudinem et Chymiae et ceterarum disciplinarum physicarum, prudenter rationem habendam esse illius disciplinae, in qua aliquid proficere, habitare et excellere volumus, vel me tacente, facile intelligitur.

Ecquis jam A. A. H. H. qui hoc modo Chymiam consideraverit, caussam longe petendam censeat, cur hujus disciplinae usus magnus sit, et cur ea cum hominum salute vitaeque commodis proxime conjuncta existimetur? Atque ut primum de gravissima arte salutari dicam; quam pulchre medicinam, vitae illam conservatricem, adjuvat et exornat ars Chymia? Adjuvat illam non solum, quod remediorum indolem et virtutes docet, ea praeparandi et miscendi optimam viam monstrat, et quod cavet ne contraria contrariis misceantur; verum etiam et vel praecipue, quod cum ipsius fundamentum in observatione positum sit, ipsum medicum mature ad observandi artem informat, quae a veteribus exculta et a BACONE VERULAMIO tam egregie descripta et commendata fuit. Et revera, quam egregie et feliciter utraque studia conjungi possint, probarunt magni Medici, BOERHAAVIUS, GAUBIUS, HAHNIUS et VOLTELENUS, qui singuli non tantum Chymiae rudes non fuerunt, sed eam summa cum laude et utriusque artis emolumento in hac Academia professi sunt.

Sed Chymia, cum et longius quam ipsa natura procedat, et novas res arte procreet, specie et utilitate insignes, pertinet ad artes omnes, quarum fructus in societatis humanae salutem redundant. Aut an quisquam jure negare possit, illam disciplinam, quae et interpretatur et imitatur naturam, atque hu-

hujus vires moderatur, inque suos usus convertit, lucem affundere omnibus artibus, quae ad vitam communem pertineant? Et revera a Chymia in plurium artium cultum multum boni ac lucri et redundasse olim et etiam nunc redundare, nonne illud testatur ipsarum artium et vero ipsius humanitatis historia? Unum instar omnium exemplum proferamus Franciam. Assidua fuit inde a multis annis Chymiae cultrix, et quae terra alia artium cultu et flore et perfectione excellentior est? Certat cum ea Anglia, haud una arte jam felicior; at et Anglia suis nunc superba est Chymicis, DAVYO, WOLLASTONO, MURRAYO. DAVYO, inquam, qui sua arte effecit, ut veterum scripta, in Herculaneo et Pompejis inventa, sed eodem cinere obducta, quo, flagrante Vesuvio, ipsae urbes sepultae fuerunt, ab iis sordibus purgari et literae tamen servari possent; qui adeo nobis servavit antiquitatis monumenta, quae perdita credebamus; idem ille DAVYUS observationum in officina sua factarum memor, facillimam invenit rationem, qua aes, quo carinae navium obtegi solent, integrum servari possit, cum antea aquis salsis corrosum solvebatur, adeoque brevi post facta mari itinera non sine magnis sumptibus debebat refici.

Sed quid diutius hic moror? nam nonne Chymiae usus ita in aperto est, A.A.H.H. ut ego, si de eo longius dicam, argumenta in re minime dubia quaerere vobis videar? Illud tamen addere liceat, caussas, quare multae artes in aliis regionibus floreant, in aliis ad interitum progredi videantur, non semper quaerendas esse in mutatis rerum publicarum vel privatarum conditionibus, sed saepenumero in perversa ratione, qua multi ducuntur, qui artes et opificia tractant, qui inconsideratius res agunt, atque immemores sunt Poëtae, recte felicem laudantis, qui rerum caussas cognoscere potuit. Nam licet in artibus inprimis consuetudini et majorum praceptis et experientiae, qua fere sola nituntur, multum tribuendum sit, neque omnes observationes, in officina Chymica factae, temere et pueriliter ad artes referendae sint, qua in re sunt, qui sibi mire sapere videantur, tamen scientia et inventio minime negligenda est. Has autem negligendas non esse, nullo luculentiori exemplo quam ex ipsa patria deducto probare possum, in qua si aliae minus floreant, aliae tamen artes, ut conficiendi cerussam, acetum et salem, purgandi boracem et caphuram et ars tingendi ita florent, ut earum tractandi ratio aliis populis jam dudum exemplo fuerit. Neque profecto illi graves in artibus errores, quorum fons est aut neglectus aut male adhibitus usus scientiarum physicarum, semper repetendi sunt ab ipsorum opificum ignavia et torpore, sed item ab eo, quod saepissime ipsi destituti sunt ab audiendis et legendis iis, quae ad ipsorum artem pertineant, et a tractatione illarum disciplinarum, e quibus caussae suarum artium et intelligi et explicari queant. Et revera quanto ardore, quantum in emolumentum artium in Francia et Anglia plus sexcentum hominum omnis ordinis et professionis frequentant scholas de artibus publicas, quibus favent viri, generis splendore et doctrinae varietate illustres. Denique quantum industria valeat, ad quorumvis hominum ingenium acuendum, suo exemplo probavit FRANCLINUS, qui geometriae et mechanices in artibus usum cum operarius addidicisset, deinceps suae patriae defensor et magnus Physicus factus est; probavit item WATTIUS, qui ex eodem ordine quam FRANCLINUS natus, mechanicen ita coluit ejusque fines tam feliciter protulit, ut Rex Angliae illi statuam posuerit prope eas Regum et excellentium virorum. Quae omnia cum reputamus. A. A. H.H. cujus boni civis animus non gaudio, voluptate et gratia perfunditur, nostrae beatae patriae Beatum et Celsissimum Regem, cujus sub auspiciis et literae omnes ac disciplinae florent, statuisse et simul pro sua Regia munificentia largam praebuisse occasionem, ut artium cultores et opifices omnes eas disciplinas addiscere possint, quibus in sua arte illis utendum sit, et quibus suam et communem civium adeoque patriae salutem adaugere queant. Cui benevolo et salutifero instituto egregios speratosque fructus non defuturos esse certo confidere possumus, si ei secundum Regis consilium et voluntatem, id est, prudenter et ratione habita cum disciplinarum, tum ipsarum artium, satisfiat; quo denique instituto et Physicis disciplinis suum constabit decus, et patriae commodis prospicietur.

Nunc autem transeamus ad ea, quae officium et diei solemnitas postulant.— Hunc mihi diem, vitae meae laetissimum, illuxisse, Vobis, Perillustres hujus Academiae Curatores, debetur. Vestro enim et Regis Optimi favore atque honorifica erga me voluntate hoc honore me ornatum video. Hoc Vestrum vero, Viri Amplissimi, beneficium, cujus magnitudinem sentio me nec oratione aequare nec gratiis compensare posse, benignissimo potius Vestro de me meisque studiis judicio, quam tenuibus ingenii mei facultatibus tribuo. Illud enim neque reticere neque dissimulare possum, meam mentem toties sollicitudine affici, quoties muneris gravitatem cum mea confero circumscripta doctrina et juvenili aetate; nec habeo, quo animum confirmem, nisi Vestram singularem in judicando lenitatem, et spem certamque voluntatem, observantiae, diligentiae gratique animi Vobis probandi; et dum in posterum Vestrum, Viri Amplissimi, favorem enixe peto, nunc preces effundo perpetuoque effundam pro Vestra salute, id est, pro Academiae et Patriae bono.

Singulari pudore afficior, cum me ad Vos converto, quarumvis disciplinarum Professores, Viri Clarissimi! Ea mihi est felicitas, ut omnes Vestri ordinis, quorum scholas cum de literis humanioribus et philosophia, tum de medicina, frequentare mihi licuit, et superesse et prolixa erga me benevolentia hic adesse videam. Utinam et eruditissimus et integerrimus Vir, Cl. EKAMA adesset; sed hunc meorum studiorum fautorem, cujus humanitatem et officia semper palam pia mente agnoscam, in Vestro concessu tristis desidero. Quem cum nomino, sponte redeo in memoriam amici ejus, consanguinei mei carissimi, Cl. GEORGII JOANNIS VAN DER BOON MESCH; quem doctorem egregium, cum Patris doctissimi exemplo in medicina, et BRUGMANSII praeceptis suaque industria in philosophia naturali clarum obtinuerat locum ac nomen, et qui ne a gravissimis quidem molestiis in discendo et docendo sese impediri sinebat, huic Academiae ereptum esse, omnes boni lugent. Sed me reprimam .... Vos, praeceptores dilectissimi, detis mihi hanc veniam, ut publice profitear, Vobis Vestraeque interiori institutioni me omnia, si quid profecerim, unice debere; pergatis gratia ac favore me complecti, ego Vos semper amore et reverentia prosequar. Atque Vobis omnibus, Viri Clarissimi, debita reverentiae et obsequii officia praestabo, eaque observantia erga Vos utar, quam debeo viris aetate et doctrina me longe superioribus. Quem ante sex menses Doctorem dimisistis, eumdem Vestro favore nunc prosequi ne dedignemini, atque ut me Vestris juvare velitis consiliis, enixe rogo.

Te vero, Cl. REINWARDTE, ut nomine compellem, jubet sanctissimum pietatis officium et studiorum ratio. Mea studia, consiliis fratris mei optimi inchoata, adjuvisti et promovisti; et quam comiter et humaniter me, cum fratrem, meum meorumque condiscipulorum fautorem, praesentem non haberem, Tuae domi, scientiis et humanitati consecratae, excepisti, dici non potest. Quicquid laudis mihi et honoris contingat, id magnam partem et Tuum est. Itaque accipe, Vir Clarissime, sereno vultu, quem Tibi devoveo, animum intimo gratitudinis, venerationis, amoris sensu perfusum; at novisti animi mei sensus et motus; scis Tibi me totum devinctum esse.

Nos autem, hujus Academiae Cives ornatissimi, Commilitones optimi, jungit literarum et scientiarum amor et studium et amicitiae vinculum. Vobis si quid in me est virium et officii, id omne dico. Vestri amorem meum vos non desideraturos esse, vobis sancte spondeo et promitto. Ineamus igitur denuo amicitiae foedus, atque junctis viribus Academiae Lugduno-Batavae celebritatem, quantum possimus, nostris etiam laboribus tueamur.

DIXI.

CORNELII PRUYS VAN DER HOEVEN,

ORATIO

DE

PERFECTA MEDICI SPECIE,

HABITA DIE XXVII IANUARII ANNI MDCCCXXVII,

QUUM ORDINARIAM MEDICINAE PROFESSIONEM IN ACADEMIA
LUGDUNO-BATAVA SUSCIPERET.

PERILLUSTRES ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE CURATORES!

MAGNIFICE RECTOR!

QUI IURI DICUNDO PRAEESTIS, VIRI GRAVISSIMI, INTEGERRIMI!

HUIUS CIVITATIS CONSUL ET SENATORES QUIQUE HISCE AB ACTIS ESTIS, VIRI AMPLISSIMI, SPECTATISSIMI!

QUARUMCUNQUE DOCTRINARUM PROFESSORES CELEBERRIMI!

ARTIUM ET LINGUARUM LECTORES PERITISSIMI, ERUDITISSIMI!

ORACULORUM DIVINORUM INTERPRETES, PLURIMUM VENERANDI!

ARTIUM ET DISCIPLINARUM DOCTORES, VIRI CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI!

ORNATISSIMI ADOLESCENTES, SPES ACADEMIAE, PATRIAE, HUMANITATIS!

VOS DENIQUE, QUOTQUOT ADESTIS, CIVES, HOSPITES, CUIUSCUNQUE LOCI, ORDINIS, DIGNITATIS, AUDITORES HONORATISSIMI!

⁂

Illud in hâc terrâ versantibus nobis a Deo tributum est munus, ut cum in rebus humanis omnia manca esse imperfectaque videamus, animum a terrestribus istis avocare et perfecta quaedam rerum summaque exemplaria mente possimus et cogitatione complecti. Quo quidem munere an ullum aut maius aut melius miseris mortalibus datum sit, equidem dubitaverim. Hoc enim, dum spe melioris vitae sustentatur animus, humana contemnimus, caelestia spectamus, erigimur, a pravis abducimur, ad optima quaevis concitamur.

Neque tantum praeclara haec rerum perfectissimarum contemplatio optimam docet vitae recte beneque degendae rationem, verum etiam haec ipsa artium scientiarumque studia, quibus adeo delectamur, quo sint pacto ab homine immortali colenda, una indicat. Nam cum alii corpori servientes, ex iis quaestum sibi quaerere sordidum cupiunt atque lucri tantum causâ scientias diligunt, alii inanem quandam nominis celebritatem sibi expetunt, quae et obruitur hominum interitu et oblivione posteritatis exstinguitur, is cui perfecta obversatur scientiae species, non corporis, sed animi causâ ipsam diligit, nec mortalem sibi quaerit nominis famam, sed veram, neque hâc parvâ terrâ, neque hoc exiguo temporis spatio circumscriptam immortalitatem.

Quae quoties reputo A. A! toties magnopere commoveri me sentio. Itaque hoc primum, hoc ultimum in hisce studiis spectandum est, ut verae tandem fiamus immortalitatis participes. O praeclaram hominum sortem, quâ, quam omnibus fere rebus anteponimus scientiam, eâ aliquando potiamur perfectâ atque ut aëre, ita hâc verâ sapientiâ, tanquam animorum immortalium vescamur pabulo!

Ad tantam autem felicitatem conquirendam ut et memet ipse, et Vos Commilitones Optimi! incitem, videamus, quale in hâc nostrâ arte sit illud, cui nihil addi possit quodque summum et perfectissimum dicamus. Quod quidem aggredior non tam perficiendi spe, quam experiundi voluntate. In quo si male vobis famae meae consuluisse videar A. A! sic teneatis velim, me non illud spectasse, ut vobis ingenium probem, quod exiguum esse sentio, aut doctrinam, quam scio esse tenuem, sed, ut quot quantaque mihi desint reputans, ne sinam studia mea languescere.

Dicam igitur: *de perfectâ medici specie*, et dicam ut potero. Vos autem me praeclara cupientem vestrâ sustentetis benevolentiâ atque humanitate, rogo, obsecro.

Ea est communis maxime medicorum fortuna, ut eorum praestantia non ex rei veritate, sed ex vulgi diiudicetur opinionibus. Quae quidem fortuna multis forsitan, vulgare illud: *vox populi vox Dei* probantibus, praedicanda magis, quam deploranda videbitur. A quibus, quamvis non ita dissentio, ut populi vocem esse vocem diaboli censeam, quae quidem iniqui esset et parum considerate loquentis oratio; dissentio tamen. Mihi enim populi ista auctoritas ab auctoritate divinâ tantopere distare videtur, quantopere sapientia vulgi a Summi Numinis sapientiâ distat.

Est autem quaedam opinio, vulgi auctoritate sancita, quâ medicus solo usu fieri et exercitatione creditur. In quâ quidem opinione sanciendâ vereor, ne quid erroris admiserit summum illud vulgi numen. Nam si in medico nihil praeter usum quaeritur, anicularum extollenda est et praedicanda medendi scientia, quae vulgo etiam maior, quam summorum medicorum haberi solet. Quae quidem usum laudantium quorsum tendat oratio videte A. A! Nempe operarium quemdam isti nobis medicum faciunt et quoddam sibi fingunt formularum medicinalium opificium, quorum si vera esset opinio, medicinam non ut artem salutiferam suscipiendam, sed ut pestem e civitate pellendam esse arbitraremur. Haec enim ars nostra si usu tantummodo addiscitur, quem soli seniores medici sibi iure quodam suo vindicare poterunt, quis senex usu doctus compensabit tandem, quae iuvenis sine usu perpetraverit homicidia.

Multa immo plurima experientiae tribui, me iudice, debent, nec tamen aut omnia aut summa, utque imperator ad bellum, orator ad forum non imparatus accedat oportet, sic nec medicus ad artem, nisi optimâ praeditus naturâ multiplicique doctrinarum genere instructus.

Sic autem sentio, naturam primum atque ingenium ad hanc medendi artem vim afferre maximam. Illam mentis celeritatem, iudicandi subtilitatem, sollertiam, ingenii felicitatem, quae in optimo quoque eminent maximae, si quis putet arte accipi posse, aut inseri usu, errat graviter. Haec enim sunt dona naturae, quae arte quidem limari, accendi, commoveri possunt, inseri vero et donari non possunt.

Sunt vero quidam, ita hisce naturae instructi muneribus, ut non nati, sed ab aliquo Deo ficti esse videantur. Talis exstitit quondam SYDENHAMUS, in quo tam incredibilis fuit ingenii vis et magnitudo, ut doctrinam non magnopere desideraret indoctusque fere cum esset, iure tamen alter dictus sit Hippocrates.

Quo quidem tanti viri exemplo quorumdam firmari videtur sententia, id quod de poëta dicitur, eum videlicit non fieri sed nasci, idem quoque de medico esse dicendum. Quâ sententiâ, si id significetur, medicum iis oportere a naturâ donatum esse muneribus, quibus ad artem aptus natusque haberi possit, iis vehementer assentior. Sin vero illa dona naturae nullâ putent doctrinâ, studio, arte excolenda esse; turpe labuntur. Neque enim omnes esse possunt Sydenhami, ut morborum Epidemicorum vicissitudines multasque formas et mores dispares propriâ observatione discant; ipseque Sydenhamus meo iudicio maior fuisset, si hanc quoque doctrinam sibi studuisset comparare. Aut quid causae esse censeatis, cur ipsum audiamus querentem de febrium popularium indole tam variâ tamque mutabili deque curatione illarum ancipiti adeo, ut non nisi quorumdam periculo haec indoles cognosci, et inveniri posset curandi methodus, quid, inquam, huius reï causam esse censeatis, nisi ipsam hanc doctrinae inopiam; quo magis nos debemus illam nobis optare doctrinam, quâ nequidem magnum illud atque immortale Sydenhami ingenium impune caruisse videtur.

Quapropter illud contendo, cum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud, nescio quid, praeclarum ac singulare solere existere. Ex hoc esse hunc numero, quem maiores nostri viderunt, divinum hominem BOERHAAVIUM; qui scientiam me-

memoriamque omnium temporum unus dicitur collegisse. Ex hoc GEORGIUM BAGLIVIUM, veteris doctrinae custodem et vindicem, quem in ipso aetatis flore exstinctum, si non annorum numero, sed scientiae pondere iudicetur senectus, non iuvenem sed senem exstinctum esse arbitramur.

Est itaque medico scientia comprehendenda rerum plurimarum, sine quâ ille, quem laudent usus callidum quendam artificem nobis fortasse efficere poterit, magnum vero, quem animo metimur, medicum non poterit. Aut quid dicam de Mathesi, communi illâ disciplinarum parente, quid de Physicâ, quid de Chemiâ, Botanice, Historiâ naturali, quarum aliae ad artem pertinent, aliae ipsam adiuvant, excitando artificis ingenium. Nempe ista quoque Naturae contemplatio, quamvis non faciat medicum, aptiorem tamen medicinae reddit.

Verum ut hasce scientias comites esse atque ministras medici volo, sic litterarum etiam humaniorum studium cum studio medicinae cupio coniunctum. Ad quod eo magis adhortandi sunt nostri homines, quo magis abhorrere videtur a nostrorum temporum ratione, quibus, ut maiori studio scientiarum disciplina agitari coepit, ita a medicis negligi prorsus et contemni coeperunt litterae Graecae Latinaeque.

Quodsi mathematicis illis disciplinis veri quoddam organon in homine suscitari creditur, litteris hisce suscitatur organon pulcri, quod qui excultum habuerit, is in arte omnique vitâ quid deceat, quantaque vis sit et loci et temporis omnium optime videbit, eumque adhibebit actionum ordinem, ut omnia sint apta inter se et convenientia. Quare illud decorum omni curâ est medico servandum, quod, quemadmodum bene viderunt Veteres, sic exstat de hoc officio liber singularis inter ea, quae Hippocratis nomine feruntur, scripta.

Haec qui attigerit sensuque gustaverit litterarum studia, quam eum offendet quam vix ferenda videbitur ista scriptorum medicorum barbaria, quae non tantum ab omni sermonis elegantiâ ac venustate abhorret prorsus, verum etiam ipsi perspicuitati tantopere obest, ut quisnam oraculis istis tribuendus sit sensus, nisi hisce barbariis initiatus intelligat nemo. Qui quidem scriptores, si veterum libros studiosius legerent, sentirent, ut Antonius ille, orationem suam illorum tactu quasi colorari. Nunc autem eorum par est barbariae adrogantia, ita ut antiquos illos, quos ne norunt quidem, tanquam barbaros spernant, et suas semper suorumque temporum laudes celebrantes, cum irrisione legentium militem imitentur gloriosum.

Sed ea potissimum summaque harum litterarum praedicanda laus est, quod ad integros illos et purissimos ducant scientiae medicinalis fontes, quos non videre et rivulos consectari tardi profecto est ingenii. Quod veterum studium nemini parvo habebitur pretio, qui cogitaverit, quanta in ipsis fuerit animi vis et magnitudo, quam ingeniosa naturae observatio imitatio; qui suas nobis imagines non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum in scriptis expressas reliquerunt, quas qui sibi in arte faciendâ proponat, animum et mentem suam ipsâ cogitatione hominum excellentium conformabit.

Quae reputanti hanc mihi visus sum causam praecipuam invenisse, cur in omni fere doctrinarum genere principes exstiterint veteres, qui cum perfectam quandam sibi animo informarent doctrinae speciem, ad eam, quam sibi finxerant, proxime accessisse videntur. Postquam vero distributione partium ac separatione magnitudines sunt artium diminutae, dici non potest, quantopere studiorum etiam diminuta sit magnitudo. Nam cum doctrinas quasvis anatomicorum more in partes inciderent homines, factum est, ut plerique sibi singulam partem eamque non nimiam sumerent elaborandam, utque, cum in singulis toti essent, omnium bonarum artium denique virtutum ipsarum societatem cognationemque negligerent.

Haec, quae optamus, si cui nimia videantur neque medico in tantâ scientiae varietate et copiâ consequenda, eos cogitet viros; qui pari laude in utroque studiorum genere versati sunt. Qualem IODOCUM LOMMIUM fuisse novimus, virum et arte et facundiâ insignem; quales FREINDIUM et MEADIUM, et amicitiâ et medicinae studio et communi litterarum amore conjunctos; qualem IOANNEM BAPTISTAM MORGAGNIUM, virum immortalem, in quo summa erat anatomes et medicinae scientia et huic par litterarum peritia; quem si legas, quid magis mireris dubites, utrum ingentem doctrinae atque eruditionis medicae copiam, an orationis priscam illam venustatem et elegantiam.

Veterum illud studium cum negligi coepit, accidit, ut vera simul periret eruditio medica nullamque haberent medici librorum notitiam, nisi eorum, qui suâ aetate prodierant, ab iisque, qui de arte scribant auctoribus, aequales fere commemorari soleant, antiquioribus aut silentio praetermissis, aut verbo tantummodo indicatis, ita ut horum si pervolvas libros, crederes, hoc demum seculo natam esse medendi scientiam. Nos vero esse perfecti medici putamus, non suae solum aetatis, sed omnium memoriam temporum tenere. Nam nescire quid antea, quam natus sis acciderit, id est semper esse puerum. Quid enim est aetas hominis, nisi memoria rerum veterum cum superiorum aetate contexitur. Quâ quidem praeclarâ Tullii voce aptius, quam longâ oratione et litterarum et adjunctum hisce historiae studium commendari existimem. Ut enim hominum est indoctorum sua tantum tempora laudare, sic vere eruditorum est, omnem omnium temporum historiam complecti, quae recte testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuntia vetustatis dicitur, eamque non a rivulis quibusdam, ut fieri solet, sed ad ipsis fontibus petere. Quod qui faciat, is non tantum, quâ origine, quibusque auctoribus nata, quae incrementa ceperit ars nostra, omnium optime videbit, sed quâ ratione culta, aucta, amplificata sit, cum perspexerit, aliaque ex aliis inventa quo pacto sint orta, simul augendae amplificandaeque artis tenebit rationem, et ipse aliquando inventor futurus.

Vastum est et magnificum, quod historia praebet hominum rerumque humanarum spectaculum, quo explicatis ordinibus temporum, uno in conspectu omnia videmus. Hoc autem spectaculum, quam vastum sit, quam magnificum, is demum noverit, qui causarum non neglexerit notitiam, scientiasque, non veluti res quasdam extra hominem positas spectaverit, sed in ipso homine ipsâque naturâ humanâ scientiarum origines quaesiverit et fontes. Ille ubivis *hominem* cernet, suis praeditum ingenii animique viribus; illi rationem, quâ gentes singulae scientias coluerint, explicabunt cognita gentium natura et indoles, singulasque et gentes et aetates suo existimans pretio, ac suum cuique tribuens, a singulis proficiet, historiamque adhibebit non vitae tantum, sed artis quoque magistram.

Neque arctior est historiae et litterarum, quam philosophiae cum medicinâ naturae societas atque cognatio, quam utriusque coniunctionem tanti fecerunt veteres, ut medicum philosophum Deo similem dixerint; quo quidem illud potissimum significasse videntur, neminem, sine philosophiâ, effici posse, quem quaerimus, summum. Quem enim fugit artium omnium procreatricem quandam et quasi parentem, quam philosophiam Graeci vocant, ab hominibus doctissimis iudicari? Quamobrem mirum videri potest, quod Celso auctore discimus, Hippocratem illum Coum a studio sapientiae disciplinam hanc separasse. Quod, ut intelligatur, monendum est, quam separavit ille aque disciplinâ suâ seiunxit, sophistarum fuisse, quaevis ex opinionum commentis interpretantium, temeritatem, quae, uti tunc temporis, ita semper medicinae obfuit plurimum. Nos vero germanam volumus philosophiam, germanae studium sapientiae, quâ quid optabilius, quid praestantius, quid homini melius, quid homine dignius! Quae, ut cuivis optanda, sic maxime expetenda est medico, cuius ars potissimum circa causas naturasque morborum versatur indagandas. Aut quid maius est philosophiae munus, quam rerum investigare naturam et causas, quo omnis fere continetur illius, quam philosophiam veri dixerunt veteres officium. Morborum enim formae observatione sensibusque cognoscuntur, naturae vero plerumque intus latent, a sensibus remotae. Quodsi a sensibus non omnis absit fallaciae culpa, quantâ opus erit prudentiâ, ubi tam longum sit ad verum quaerendum iter. Quod, quo magis arduum, eo maiori studio, labore, operâ animique contentione perficiendum. Quae oculis cernuntur et in sensus cadunt phaenomena non tantum observanda, verum inter se conferenda, computanda, diiudicanda, propria ab impropriis, vera a falsis, perpetua, constantia a temporariis, mutabilibus secernenda, quid singula, quid cuncta valeant ponderandum, ad suas quaeque causas revocanda, deque omnibus iudicium ferendum, idque saepe exiguo admodum brevique tempore, sed simul religione summâ (agitur enim de vitâ hominis). Quae quidem quanta sint quamque gravia, Vos optime nostis, Peritissimi Medicinae Doctores! Nititur haec ars nostra calculo probabilitatis, omnium difficillimo, quae cum mathematicam recuset evidentiam, in alterâ illâ morali acquiescendum est, cuius veritas non tam argumentorum pondere, quam rerum probabilium numero diiudicatur. Quare omnium laudem meruerunt, qui hanc rationem viamque praesertim explanarunt, illamque disciplinae nostrae partem, quae in causis naturisque morborum versatur, sibi sumserunt excolendam. In quâ quidem re omnes, me iudice, superavit HIERONIMUS DAVID GAUBIUS, magnus magni Boerhaavii discipulus, cuius de pathologiâ medicinali liber, immortale est ingenii Gaubiani monumentum. Utque huic primas, sic secundas tribuo IOANNI GEORGIO ZIMMERMANNO, medico vere philosopho, qui cum professoris munus, ei oblatum, recusare debuisset, noluit tamen iuvenes, qui eo magistro fuissent usi, suâ prorsus destitui institutione, opusque edidit de *Experientiâ*, quo ut ille suis tantummodo prodesse voluisse videtur, sic nobis visus est, omni omnium temporum profuisse iuventuti.

Est vero quidam philosophiae locus, hâc nostrâ aetate a medicis pessime neglectus, qui in veris discernendis atque falsis segregandis consistit, quamque *Criticen* vocabimus. Cuius Critices ea summa vis est, quae in aliorum observationibus, coniecturis, doctrinis, scriptis ponitur diiudicandis. Haec ad omnem adhibenda est medendi disciplinam, ne falsa pro veris habeamus iisque temere adsentiamur. Ad huius leges exigenda est scriptorum tum veterum, tum recentiorum peritia, fides, auctoritas, statuendumque inventorum, observationum, experimentorum pretium. Quod quoniam medicinae cultoribus aut parvi habetur, aut nimis arduum, tanta est scriptorum medicorum temeritas, quanta credulitas lectorum, ut pene res magica facta videatur medicina, eo maiorum habitura fidem, quo longius a communi sensu recesserit. Quid opus est A. A.! huius reï exempla quaerere. Quis unquam audax promissor medicus aut iactator impudens spe prorsus destitutus est. Quaenam arcana, specifica, panchresta, panaceae suarum non invenere virtutum praecones! Sed reprimam me, neque committam, ut iniquus Vobis videar nimisque severus humanae imbecillitatis iudex. De hâc autem Critice eiusque praestantiâ cogitans, in memoriam redeo sagacissimi illius et acerrimi eiusdem cultoris, vestri quondam PARADISII, in quo tam praeclare huius ingenii critici dotes eminebant, ut si litterarum studiis incubuisset, nullus dubitem, quin alter factus fuisset Wyttenbachius. Quo magis gaudeo, in tantâ medicorum criticorum paucitate, medicinae non litterarum scientiam et coluisse praecipue, et docuisse Paradisium.

Retulimus nos igitur A. A.! ad eum, quem volumus, inchoandum, qui si sic instructus veniat ad artem, is erit quem caeteris omnibus anteponimus, in quem intuemur, quem ut quisque optimus fuerit, ita magis imitando exprimere conabitur. Aut qualem censeatis hunc futurum, qui nullis aut naturae donis, aut doctrinae copiis, subsidiis, ornamentis destitutus ad ipsam artem natus, optimam indolem diligenti excoluit rerum pulcerrimarum, summarum, optimarum studio.

Quoniam vero tria tenenda sunt medico artem facienti, morborum videlicet cognitio, morborum praesensio et morborum curatio: prior *diagnostice*, altera *prognostice*, tertia *therapeutice* vocatur, dicendum omnino, quid sit optimum in singulis, quorum cuncta tum necessaria sunt, tum insignia ad maximam laudem.

Et in morbis quidem detegendis omnem adhibebit noster observandi diligentiam. Aegrotantis vultum, oculos, habitum, decubitum, vocem, quaeque reliqua sunt morbi intus latentis indicia sensibus percipiet, rerum interpretibus et nuntiis; in quâ quidem signorum perceptione et observatione non corporis tantum, sed animi praesertim contentione tantâ utetur, ut non corporeis istis sensibus, sed interno animi sensu aegrotantis imaginem complecti videatur atque veteri illi philosopho, non oculos istos, aut aures, sed mentem esse, quae videat et audiat affirmanti, faciles lubentesque assentiamur. Nec temere. Nam mens est, quae cunctas a sensu acceptas rerum notas percipit, coniungit, atque ex distractis iis disiunctisque veram efficit morbi effigiem.

Neque ad ea quae praesentia sunt animadvertet tantum, sed in omnem praeteritam inquiret aegrotantis vitam, animi mores, corporis habitum, morbos, parentum, cognatorum valetudinem, brevi absolutam sibi optabit illius historiam medicam. Quam, si fieri possit, sibi ab ipso aegro narrari cupiet, qui, nisi aut male sapere, aut, quae sentiat, verbis augere velit, optimus intelligenti erit suae ipsius valetudinis interpres.

Ex hâc observandi diligentiâ quantum proficiet! Truci vultu, oculis rubris, micantibus facie coloratâ, responso feroci, breviloquentiâ phreniticum discernet, acuto capitis morbo laborantem; querelis, loquacitate, hypochondriacum, ex longâ languentem nervorum aegritudine. Summâ corporis gracilitate, procero et tenui collo, genarum circumscripto rubore, mente hilari, spe vitae, ne in ipso quidem mortis adspectu depositâ, phthisicum agnoscet. Facies flava, oculi cavi, vultus circumspectus, despondens, morosus, tristem ei indicabunt melancholicum.

Sed simul et sagax naturae observator, et medicus eruditus, aliorum quoque cum teneat observationes, mentique impressas habeat optimas ab optimis scriptoribus medicis depictas morborum effigies, cum iis, quae videt, ea quae, legerit coniungens, ex aliorum historiis suorum aegrotantium valetudines perspiciet atque intelliget. Quare animum adferat oportet, a summis quibusque artis magistris doctum et eruditum, ab iisque praesertim qui in hoc genere excelluerunt. Quorum ex antiquis princeps nobis habetur ARETAEUS ille CAPPADOX, qui incomparabili artificio multas morborum species, ipsis na-

naturae coloribus, pictorum arte, expressit; ex recentioribus vero IOANNES ERNESTUS WICHMANNUS, cuius in morbis formâ similibus at dispari indole inter se conferendis collocata opera omnem promeruit omnis posteritatis laudem.

Altera illa medendi pars, quae appellatur *Prognostice* morborumque eventum praesagire docet, ut plurimum habet difficultatis, sic a plurimis pessime negligitur. Utrum vero alia sit magis ad medici sive existimationem, sive auctoritatem, seu fidem adcommodata, iure merito dubitari posset. Est autem eius vis maxima in signorum posita interpretatione, quâ ex iis, quae adsunt, ea, quae futura sunt, e longinquo praevidere docemur. Praeclaram hanc divinandi artem veteres praesertim coluere. Nemo tamen maiori studio, quam HIPPOCRATES ille COUS, qui, si in reliquis laudibus nonnullos habuisse pares censeatur, in hâc omnibus superior exstitit. Is enim in eâ, quam πρόνοιαν dixit, comparandâ praeprimis medici operam et studium collocandum esse existimans, ipsius rationem non tantum omnium optime perspexit, verum etiam summum quoddam posuit principium, quo, tanquam fundamento, omnis haec prognostice nititur. Hoc autem principium a valetudinis secundae cum adversâ valetudine duxit comparatione, ita ut, quo aegrorum facies, decubitus, somnus, mores illis sanorum fuerint dissimiliores, eo gravioris fore morbi periculum praeceperit. Quae, ut legitime fieri posset comparatio, actionum naturalium, mirâ arte, expressit imagines, quibus, tanquam vitae perfectae exemplaribus positis, quo sint pacto signa futurorum intelligenda, et bonorum malorumque ineunda ratio, appareret. Simul vero et communia et propria intueri iussit, neque a signis valetudinis optimae universalibus tantum praesagia petere, verum ab iis quoque, quae ad propriam cuivis pertineant valetudinem. Ab hac veterum *prognostice* recentiorum nata est *semeiotice*, in quâ signa non coniuncta ponuntur, tanquam in tabulâ, sed distracta divulsaque, ut in catalogo. Quae quidem recentiorum *semeiotice* tanto minorem habet et dignitatem et auctoritatem, quo minor fides habenda est singulis, quam universis. Ea nimirum est veterum praestantia Graecorum, ut quamcunque artem tractarent, summam illam exprimerent pulcritudinem, cuius in mentibus infixam speciem tenebant.

Hoc igitur pulcri sensu imbutus sit oportet optimus ille, quem mente complectimur, aque Coo illo petat divinam hanc praesagiendi artem. Quam si perspectam habuerit, non tantum sibi fidem aegrotantium conciliabit bonusque habebitur medicus, sed, quod maius est, quae metuenda sint, avertere et ad futura quoque artem dirigere et accommodare noverit.

Quoniam vero duplex est medici artificis officium, alterum sanitatem tuendi, morbos sanandi alterum, hanc πρόνοιαν futurique praesensionem cum ad sanitatis conservationem, tum ad curationem morborum adhibebit. Ac prius illud, quod ad prospere valentes spectat, quodque *Prophylacticam* vocant, tanti fecit LENTINUS, medicorum Germanorum decus, ut omnis ab eo cum absit ostentationis suspicio, iucundissimam habere censuerit bene factorum recordationem. Et profecto ita est, A. A.! In hâc enim medicinâ prophylacticâ vera cernitur artis salutiferae ratio: cuius benignitas, quemadmodum ex virtute depromitur, sic nullam sibi expetit aut gratiam aut gloriam, tumque maxime est benefica, ubi minime esse videtur.

Verum ut haec prophylactica medicina a paucis expetitur, cum sani bona sua negligere solent, sic in alterâ illâ, therapeutice, plurima versatur medicorum opera. Quod quidem morbis medendi officium, ut omnium maximum, sic quoque omnium est difficillimum reputandum. Nam caeterae, quas memoravimus disciplinae, quasi itineris duces sunt, haec vero curandi ars ultimus est et summus, quorsum tendat via, finis; sique in reliquis officiis rite exsequendis magnum appareat artificis ingenium, in hoc spectatur maximum. Etenim, quod in oratore actio est, idem est in medico curatio morborum.

Nolite tamen putare A. A.! hanc artis peritiam solo eventu diiudicari. Quasi vero omnes fortunati sapientes, omnes miseri stulti; aut usu tantummodo comparari, quem sine ratione aut prudentiâ nullum censeo. Etenim in hâc curandi arte, ut usus sibi multum vindicat, ita consilium, ratio, ingenium plurimum. Neque Hippocrates, Baglivius, summique medici senes demum, sed iuvenes maximam assecuti sunt artis laudem. Haec autem, quae morborum curatio desiderat, tot sunt et tanta, tamque sibi, ut videntur, disparia, ut verear, ne iisdem enumerandis tardem studia et aliorum et mea. Nam quot sunt morborum, quot hominum genera, tot genera sunt medendi, ita ut alia audacem postulent medicum, fortem, intrepidum, alia cunctantem, cautum, providum; alia callidum, sagacem, exercitatum; alia sapientem, doctum, eruditum, aliarumque curationum maximam sibi partem usus vindidicet, aliarum consilium, aliarum denique doctrina. Magni igitur iudicii, summae etiam facultatis esse debebit moderator ille et quasi temperator huius multiplicis varietatis. Nam et iudicabit, quid cuique opus sit, et poterit, quocunque modo postulabit morbus, mederi. Non enim omnis valetudo, non omnis aetas, non omnis natura, non omnis sexus, nec vero vitae genus, aut morbi tempus, aut aeger omnis, eodem aut medendi genere tractandus est, aut remediorum. Nam medico diligenti priusquam conetur aegro adhibere medicinam, non solum morbus eius, cui mederi velit, sed etiam consuetudo valentis et natura corporis cognoscenda est. Tenenda est etiam, quae cuique morbo apta est medendi ratio, quae quidem non experiundo tantum quaerenda, aut tentanda usu, sed ab optimis summisque petenda est Artis Magistris, quorum scripta omni sunt posteritati consecrata.

Ille igitur, quem volumus, horum abundans praeceptis, horum exemplis ductus, hosce secutus duces, ad summorum ingeniorum similitudinem conformabitur. Quare si quaerimus, quid unum excellat ex omnibus, docto medico palma danda est. Nam, ut duo maxime disparia sunt morborum genera, quorum alterum acutos, breves continet, longos, chronicos, alterum, in acutis magnâ opus est iudicandi celeritate eâque naturae praestantiâ, quam interdum etiam absque doctrinâ valuisse accepimus. In longis vero summa adhibenda est animi contentio, ingeniumque afferre oportet omnibus doctrinae atque eruditionis medicae copiis instructum; et quemadmodum alia est imperatoris virtus in praelio committendo, alia in expugnandis arcibus, sic in acutis morbis medicum optamus sagacem, peritum, callidum occasionis venatorem, in chronicis vero constantem, indefessum, eruditum, cunctatorem prudentem.

Minime igitur illi audiendi sunt, qui verentes, ne hisce studiis abstrahantur animi ab exercitatione et artis usu, nihil quicquam amplius sibi afferendum esse opinantur, quam quod curationum maxime communium necessitas postulet, et parcâ istâ contenti eruditionis scholasticae supellectili, exiguo hoc vitae Academicae spatio, omnem medici doctrinam circumscribunt. Hi enim medicorum studia non ipsius scientiae magnitudine, sed suâ metiuntur ignaviâ.

Nec tamen sine consilio res tanta, quanta morborum curatio est, recte aut suscipi, aut perfici potest. Nam est medicinae, sicut reliquarum rerum, fundamentum sapientia. Consilio, quae valetudini, tempori, aegro conveniat curatio invenienda est. Consilio aptissima seligenda sunt remedia. Consilio, quâ optimâ adhibenda sint ratione, videndum; quod, qui ita perficiat, ut nihil desit, abundet nihil, cunctaque inter se conveniant sibique respondeant, et ad singularum rerum rationem universa esse composita videantur, qualem eum quantumque esse censebitis artificem. Ad hanc laudem, hisce nostris temporibus, nemo propius accessisse videtur, quam IOANNES PETRUS FRANKIUS, acri vir ingenio, cuius in scriptis magnum cernimus medicum, summo semper consilio summâque prudentiâ, rem peragentem, omnium difficillimam.

Est igitur, quoniam tot tantaque in consilio sunt posita, medico artifici ratio potissimum excolenda, quae cum adolevit atque perfecta est, nominatur rite sapientia. Verum ea, de quibus hactenus exposuimus, tanquam huic nostro, quem deformamus, necessaria, quamvis summa Vobis videri possint, magnum ea quidem nobis efficient medicum, nec tamen perfectum, aut summum. Medicus enim vir bonus sit, medendi peritus. Virtus est, virtus, inquam, quae summis hisce laudibus cumulum addat. Hanc ille sibi videt principem et ad suscipiendam et ad ingrediendam horum studiorum rationem exstitisse. Quodsi huius hortatu praeceptisque conformatus plurimis, hâc arte suâ, saluti fuit, id huic acceptum refert. Ut enim mirus quidam omnium quasi consensus doctrinarum concentusque reperitur, sic summa quoque est verae eruditionis, sapientiae atque virtutis cognatio. Aut quae tandem, sine virtute, homine immortali digna est sapientia, quae sine hâc magnopere expetenda videtur doctrina? Quis verum assequi, nisi veritatis cultor, quis scientiam sibi comparare, nisi diligens, quis de rebus, scriptoribus, libris recte iudicare, nisi aequus, liberalis, bonus, poterit. Qui invidiâ, odio, superbiâ, adrogantiâ aliisque animi reguntur perturbationibus, quos tandem eos et quales fore putabimus rerum humanarum, magnorum virorum, aliarum laudum, meritorum aestumatores? Quodsi tam arcta sit omnis germanae scientiae et virtutis cognatio, in hâc nostrâ, quam profitemur disciplinâ, omnium est arctissima.

Baglivius ille, cum corporis naturam atque temperiem quamplurimorum esse errorum fontem recte viderit, ab hâc naturarum differentiâ diversam repetivit medicorum et doctrinam et artem. Hinc frigidos, phlegmaticos, torpidos cunctando semper rem agere, cholericos, calidos magno impetu et quamvalidissimis armis contra morbos pugnare; quapropter propriam hanc corporis temperiem cuivis investigandam esse ac ratione regundam, recte praecepit.

Quae cum ita sint, nemo perfectus medicus esse, nisi moderatus, continens, temperans poterit. Nempe animum habeat sedatum oportet, omnique perturbatione liberum, ut recte naturam observare, fortem, intrepidum, ut recta semper videre, sequi, et constanter tenere possit.

Est enim sacrosanctum hoc vitae tuendae munus, quod qui suscipiunt, ut religiose perficiant, iureiurando obstringuntur. Quâ in re maiorum miramur sapientiam, qui veterum illud institutum non abrogandum esse, sed pie servandum arbitrati sunt, ipsoque hoc iureiurando, quo omnem vitam omnemque artem sancte esse casteque instituendam sanciverunt, satis declarasse videntur, quam arcte medicinae professionem cum ipsius professione virtutis habuerint coniunctam.

Neque aliter optimis quibusque visum est medicis, in quibus par fuit medendi scientia pari virtute comitata. Aut quid HIPPOCRATEM commemorem, in quo et summo medico optimoque viro, dum artis miramur peritiam vitaeque integritatem, Deum quemdam nobis aspicere videmur. Quid SYDENHAMUM, quem in egregio illo opere, in quo ipsam veritatem animique candorem habitare dixeris, hisce verbis observationum suarum fidem contra obtrectatores et invidos audimus defendentem: « Res ipsa brevi loquetur, an fideliter et sincero animo hic egerim, an e contra, ad instar sceleratissimi hominis morumque profligatissimorum, homicidam me praestiterim, vel in terrâ defossus. » Quid BOERHAAVIUM, cuius tanta fuit in arte faciundâ religio, ut Swietenius, eius discipulus, numquam consulendi causa praeceptorem adire ausus sit, nisi accurate perscriptam afferret morbi historiam. Qui enim diligenti, at sibi diffidenti, toties opem tulerat, negligenter et temere rem tantam tamque seriam agentem severo vultu excepisset.

Ego, quoties hosce viros cogito, (cogito autem saepius) ac piâ delector tantarum virtutum recordatione, in praeclaro hoc virtutum choro unam video reliquarum principem ac ducem existentem. Hanc sive caritatem di-

dixeris, sive benevolentiam, benignitatem, humanitatem, seu quibuscunque aliis nominibus appellaveris, nam tanta eius est amplitudo, quae uno nomine comprehendi non possit, nihil ea humani a se alienum putans, omnesque homines coniungens, uno universos amplectitur amore. Est namque hic mundus magna quaedam hominum civitas, et una domus fratrum. Atque haec quidem animi affectio in optimo quoque medicinae cultore fuisse videtur maxima. Ab hac enim omnis ars nostra ducta est, neque ulla alia est, in quâ magis exerceri, coli, perfici divina illa virtus possit, quam ea, quae vere appellatur salutifera. Hâc tanquam genio quodam, aut Dei cuiusdam voce ad haec studia impellitur medicus; hâc illud sibi vitae degendae genus constituit; haec ipsi in studiis, arte, omnique vitâ itineris dux est et socia, hâc rectam semper optimamque sequitur viam. Huic ut obsequatur, omnes labores, curas, vigilias, omniaque vitae pericula parvi esse ducenda putat; haec dies noctesque concitat atque admonet, non nobis solis, sed aliis vivendum esse, nullâque re homines propius ad Deos accedere, quam salutem hominibus dando. Ea vita, via est in coelum et in coetum eorum, qui praeclarum hoc homines diligendi munus optime exsecuti sunt. Caetera, quae ab hominibus expetuntur, opes, divitiae, honores, gloria, humana sunt, caduca, mortalia, ipsaque haec scientia nostra partim ad hanc vitam tantummodo pertinet, partim puerorum quidam censendus est lusus, si cum eâ comparetur scientiâ, quâ animus potitur, huius corporis vinculis liberatus; haec vero hominum caritas perennis, sempiterna, animo immortali, divino digna.

O Artem vere bonam, humanam, salutarem! Te qui colit, diligit, amat, ipsam colit, diligit, amat virtutem. Tu miseros mortales miseriis levas. Tu immortalibus tui cultoribus viam indicas ad vitam vere vitalem, sempiternam. Tibi igitur nos penitus totosque tradimus. In te omnem laborem, studium, operam nostram ponimus. In te unâ quasi tabernaculum vitae nostrae collocamus.

Quod quidem Vobis praesertim spondeo Illustrissimi huius Academiae Curaratores! quorum in studiis tanta declarata est voluntas, ut, quam antea in me detulistis dignitatem, eandem nunc etiam auctam voluistis. Quo quidem tanto beneficio illud mihi potissimum spectasse videmini, ut ab omni reï domesticae curâ liber et vacuus, totus esse in hisce studiis possem. Vos itaque, Viri Amplissimi! sic habetote, mihi nihil potius, nihil antiquius fore, quam ut, quantum equidem possim, huic Academiae vestrae, iuventuti, patriae prosim Vobisque et Regi Optimo et grati animi sensum et voluntatem et vero industriam meam probem.

Vobis autem Viri Clarissimi, quarumvis disciplinarum Professores! quid multis verbis me commendem, quorum benivolentiam et per biennium hocce, et tum praeprimis cognovi, quum amplissimum hunc dignitatis gradum, Vobis omnibus gratulantibus, sum consecutus. Quodsi negligere, quid de se quisque sentiat, aut arrogantis esse, aut etiam omnino dissoluti recte putatur, quid magis expetendum, quam eorum quibuscum vivimus, adprobatio, et bona optimorum virorum de nobis opinio. Me Vobis ut commendatum video ac gaudeo, ita in posterum cupio commendatissimum. Ego quo maiorem hanc Vestram expertus sum benevolentiam, eo plus etiam Vobis tribuendum esse arbitror.

Nos vero Collegae aestumatissimi! eiusdem disciplinae Professores! salutaris ista professio, et communia studia, et communis disciplinae, Academiae, patriae amor jungant, ut eo quisque nostrum nobis sit carior, quo magis scientiae, Academiae, patriae utilitatibus inservierit.

Vos Professores Extraordinarii! scitote me locum, non animum mutasse meque habetote, quem fui antea, collegam, amicum, sodalem.

Te Frater carissime! hic cum aspicio, non possum non nostras fortunas laudare, quod Tu mihi, ego Tibi sim redditus, nobisque tam felicibus esse contingat, ut, quibus uterque nostrum maxime delectatur studiis, iis totos nos tradere omnemque vitam possimus impendere. Quare nos o Optime! quemadmodum Deo debemus cuncta, sic ad Deum cuncta referamus, cui eum maxime gratum esse et acceptum novimus, qui hoc, quod cuique adsignavit, humano munere, maximâ fide, curâ, religione perfungitur. Quod facientes, huius nobis fratris, quem colimus pariter atque amamus, leniemus desiderium, quo enim virtute erimus cognati magis, eo maior nos spes tenebit, fore nos in aeternum fraternâ conjunctos caritate.

Denique ad Vos se convertit oratio mea, optimi Adolescentes, Commilitones amicissimi! Mihimet Vobisque proposui, qualis videatur ille, quem summum, quem perfectissimum medicum iudicem. Nos igitur hanc optimam speciem imitando exprimere conemur, quod etiamsi assequi posse diffidamus, experiri tamen velle debemus, eum tenentes cursum, quem poterimus. Prima enim sequentem, honestum est in secundis et tertiis consistere. Quare non est, cur spes vestra infringatur, aut languescat industria. Nam neque illud, quod est optimum, desperandum est, et in praestantibus rebus magna sunt ea, quae optimis proxima.

Vos autem generosi Iuvenes! virtutem imprimis colite et aeternam domum contuemini, nec in praemiis humanis spem ponite rerum vestrarum, sed coelestia petite; estis enim immortales!

DIXI.

JANI JACOBI DE JONGH,
ENCHUSANI,
THEOLOGIAE IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA CANDIDATI.

COMMENTATIO

DE

QUAESTIONE AB ORDINE THEOLOGORUM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA, A. MDCCCXXVI PROPOSITA:

,, *Quis sensus sit moniti Joannei*, 1 *Epist. V*, 16*b*. Ἔστιν ἁμαρτία πρόσ-
,, θάνατον, οὐ περὶ ἐκείνης λέγω, ἵνα ἐρωτήσῃ. *Et quomodo cum aliis, de*
,, *diligendis omnibus hominibus, doctrinae Christianae praeceptis,*
,, *in concordiam redigi possit?*"

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT D. VIII MENSIS FEBRUARII
A. MDCCCXXVII.

COMMENTATIO

DE

QUAESTIONE THEOLOGICA.

INTRODUCTIO.

Interpretationem, librorum Novi Testamenti, variis de causis, multo magis, quam aliorum scriptorum, difficilem esse, inter omnes constat, qui in hoc studio elaborarunt. Nimirum scriptores illorum homines erant, exceptis tantum perpaucis, indocti, neque scribendi artis satis periti, qui res tractabant, sibi antea incognitas, vulgaremque intellectum, pro magna parte, prorsus excedentes; lingua utebantur, sibi haud vernacula, Graecorum dicendi rationem, ad Hebraicas formulas conformantes. Neque diffitendum est, Ecclesiae veteris doctores, qui libris sacris interpretandis operam dederunt, plurimas falsas, locorum omnis generis, explicationes introduxisse. Nimirum plerumque hospites erant linguae Hebraicae, et non pauci Graecam quoque non satis callebant, et ad suae aetatis opiniones dogmaticas, non raro interpretationem imprudenter accommodarunt. Per longum tempus plurimi haec vestigia legerunt. Et sic quidem rei difficultas sensim magis magisque aucta est, per praejudicatas cujusvis generis opiniones interpretum, qui seriori aevo sacros libros tractarunt (1). Rectiorem viam monstrarunt, qui renatis literis, ad normam Philologorum, qui de scriptis humanis praeclare meruerunt, manum operi admoverunt. In his Grotium excelluisse constat, cujus interpretandi modo, multa remota sunt obstacula, quae impedirent, quominus rite Sacra Scriptura intelligeretur. Recentiori memoria accessit Ernestius, cujus tempore simplicior invalescere coepit interpretandi ratio, regulaeque sunt constitutae, ad quarum normam interpretatio commode et accurate dirigi possit.

---

(1) Cff. hac de re Ernesti Institutio interpret. N. T. Proleg. §. 4. imprimis nota subjecta. S. F. N. Morus, Acroases. super Hermen. N. T. Proleg. Parte 1, §. 2.

At vel sic tamen remanserunt loca intellectu difficilia, ea etiam, de quibus desperandum videatur, interpretes, vel optimis hermeneuticis ac criticis subsidiis instructos, eos expósituros, aut ultra veri speciem, aliquid prodituros esse (1).

Est liber auctore Apostolo Joanne, qui inscribitur *Apocalypsis*, qui ut recte exponatur, nova adhuc revelatione opus esse videtur. Occurrunt in scriptis Paulinis δυσνόητά τινα, quae non tam Paulinae obscurius scribendi rationi, verum ipsi argumentorum indoli sunt adscribenda, cum altioris sint indaginis, et pro parte vulgarem intellectum longe excedant (2); vel ad cogitandi et loquendi usum ejus temporis, non omni parte nobis cognitum, et omnino ad res, a nostro aevo longe remotas, spectent. Quid sibi velit Paulus, monito illo, Διὰ τοῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, διὰ τοὺς ἀγγέλους. 1 Cor. XI, 10. Quorsum spectent illa: Ἐπεὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται; τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; ibid. XV: 29. Quo sensu dixerit ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκὶ, ἄγγελος σατᾶν, ἵνα με κολαφίζῃ, 2 Cor. XII, 7. Ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν· ὁ δὲ θεὸς, εἷς ἐστιν. Gal. III, 20. Tota pericopa, quae 2 Thess. cap. II, 1 — 12. occurrit, quomodo intelligenda sit. De his aliisque in Epp. Pauli locis, multiplex Interpretum dissensus, et adhuc sub judice lis est. Similis est ratio locorum Jacobi III, 6. Καὶ ἡ γλῶσσα πῦρ ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας· οὕτως ἡ γλῶσσα καθίσταται ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν. ἡ σπιλοῦσα ὅλον τὸ σῶμα, καὶ φλογίζουσα τὸν τροχὸν τῆς γενέσεως, καὶ φλογιζομένη ὑπὸ τῆς γεέννης. IV, 5, 6. Ἢ δοκεῖτε. ὅτι κενῶς ἡ γραφὴ λέγει; πρὸς φθόνον ἐπιποθεῖ τὸ πνεῦμα ὃ κατῴκησεν ἐν ἡμῖν; Μείζονα δὲ δίδωσι χάριν· διο λέγει· ὁ θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται, ταπεινοῖς δὲ δίδωσι χάριν. 1 Petri Ep. III, 19, 20. Ἐν ᾧ καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι πορευθεὶς ἐκήρυξεν, ἀπειθήσασί ποτε. Ὅτε ἀπεξεδέχετο ἡ τοῦ θεοῦ μακροθυμία ἐν ἡμέραις νῶε. κατασκευαζομένης κιβωτοῦ; εἰς ἣν ὀλίγαι τοῦτ' ἔστιν ὀκτὼ ψυχαὶ διεσώθησαν δι' ὕδατος· Quot et quanti interpretes naufragium fecerunt, qui pericopas Matthaei cap. IV, 1 seqq. Marc. I, 12, 13. Luc. IV. 1 seqq. de Jesu a diabolo tentato, vel admonitionem divini Doctoris, parabolae de injusto, oeconomo subjectam, Luc. XVI, 9. Κἀγὼ ὑμῖν λέγω· ποιήσατε ἑαυτοῖς φίλους ἐκ τοῦ μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας, ἵνα, ὅταν ἐκλίπητε, δέξωνται ὑμᾶς εἰς τὰς αἰωνίους σκηνὰς, illustrare, aut horam ἕκτην Joann. XIX, 14. cum τρίτῃ Marci XV, 25. conciliare conati sunt?

Scripta quidem Joannea, praeter Apocalypsin, modo memoratam, licet in universum valde simpliciter, ac verbis et phrasibus usitatissimis adhibitis videantur esse conscripta, tantas peritis interpretibus crearunt molestias, ut nonnullis judicibus, nemo nisi in Apostoli animum intime penetraverit, sensum profundum ac sublimem unquam

---

(1) Cff. C. A. T. Keilii Elem. Herm. N. T. §. 113.

(2) Cff. D. J. Pottii, Annot. ad 2 Ep. Petri III, 16.

quam se capturum esse sperare possit (1). Multae ex hoc genere sententiae reperiuntur in ipsius Euangelio, ex ore Jesu descriptae, vel a Joanne ipso de sensu et consilio dictorum et actorum optimi magistri prolatae, quas nunc silentio praetermitto, cum prima ejus Epistola, in qua locus, nobis ad interpretandum propositus invenitur, copiosam ad confirmanda dicta, materiem allatura sit. In ea certe plura occurrunt dicta, quae eo modo atque ea forma proposuit Joannes, ut jure merito dubitandum sit, an ingenium humanum unquam eo sit perventurum, ut sibi contingat auctoris mentem facile perspicere, ejusque verborum vim accurate definire.

Scilicet ipsius animus, ut amore erga Deum Patrem ac Filium Dei flagrabat, numquam non repletus erat rebus illis gravissimis, quas ejusdem professionis sociis tradere atque inculcare vellet. Nil agebat, cogitabat, vel literis mandabat Joannes, nisi quod spectaret ad gloriam supremi ecclesiae Domini concelebrandam; quin conjici posse videtur, eum, qui tanto amore Christum prosequeretur, etiam omnes alios, qui in illius professione secum consentirent, eodem amore erga J. Christum incensos, existimavisse, adeo ut opus non duceret, multis uti verbis, ad ea latius explicanda, quae, si vel ultimis etiam digitis attigisset, satis superque jam a lectoribus intelligerentur. Hinc fortasse repetendus est stylus ille abruptus ac concisus, ubivis regnans in scriptis Joanneis, hinc illa verborum significationis confusio, quae subinde in Apostoli verborum sensu reperiendo tantas creavit molestias. Sic v. c. in prima Ep. III, 17. verba πῶς ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ μένει ἐν αὐτῷ; vel ita accipi possunt, ut talis notetur, qui Deum nullo amore prosequeretur, vel ita, ut ad eum spectent, qui ab amore Dei exclusus esset. Cap. II, 6. verosimile est, sermonem esse de Jesu Christo, quamquam comm. 5. de Deo locutus esset. C. IV, 17. dubitari potest, utrum Jo. ante oculos habeat amorem erga proximos, an erga Deum. C. IV, 21. incertum est, num praeceptum illud Deo auctori an Jesu Christ. sit tribuendum, et quae hujus generis sunt plura (2). Nimirum ut inter scribendum singulorum verborum idem sonantium propriam vim ac significationem distincte ipse sentiret, ita etiam varias illas significationes, verbis apte convenientes, a lectoribus statim intellectum iri, sine dubio exspectasse Apostolus, neque suspicatus esse videtur, se sic scribendo, ambiguum vel obscurum fieri (5).

Ex eodem fonte profluxisse videtur illa styli negligentia, quod saepe tempora permutentur, ac praeteritum adhibeatur, ubi sermo est de iis, quae in praesenti agantur, C. II, 4. vel ratione inversa C. V, 20. Inde etiam repetendum videtur, quod

pas,

---

(1) Cff. Niemeyer, Karakterkunde van den Bijbel, Vol. V. fasc. 2. pag. 473. Alb. Brink, Over den Eersten Brief van Johannes. pag. 55, 58.

(2) Cf. Cl. van Voorst, in Annot. Specimine primo ad 1 Joann. III, 2. pag. 10. ubi alia similia exempla attulit.

(3) Cf. A. Brink, l. c. pag. 46 seqq. ubi argumentum illud copiose pertractavit.

passim formulis utatur Apostolus quae vel raro occurrant, vel rarissime illa, quam spectaret, adhibeantur significatione (1). v. c. παράκλητος. C. II, 1. χρίσμα. II, 20. οὐκ ἔχειν τὸν πατέρα. II, 23. ἔχειν τὸν υἱόν, V, 12. μένειν ἐν αὐτῷ. II, 6, 24, 27, 28. III, 6, 24. IV, 16, 15. cf. et Euang. VI, 56. XV, 4—7.

Nullus autem ex prima Joannis Epistola locus, majores interpretibus peperit difficultates, quam qui reperitur. C. V, 16. cujus explicationem, celeberrimus Ordo Theologicus hoc anno in certamine literario elaborandam proposuit.

Eo enim in loco subjectum, de quo sermo est (ἁμαρτίαν) non solum non definivit, sed etiam verbis usus est Apostolus (ζωὴ et θανατὸς), quae proprie ac metonymice a sacris scriptoribus usurpari solent, neque indicavit, quo sensu ea h. l. sint intelligenda. Et omnino dubium est, quodnam peccati genus ante oculos habuerit. A veri similitudine non abhorret, ad istorum temporum mores ac ritus eum spectasse. Nova vero inde oritur difficultas, quod monumentorum hujus aevi paucitas, non nisi umbram afferat cognitionis rerum illius aevi. Accedit ἐναντιοφανείας species. Pugnare nimirum videtur monitum Joanneum cum aliis, quae de omnibus diligendis hominibus, a Jesu et Apostolis tradita sunt praeceptis.

Nolim in eam partem dicta accipi, me hasce omnes difficultates, quibus alia fortasse sensus reperiendi impedimenta adjungi possent, eo consilio enumerasse, ut ostenderem, quanti existimandus esset juvenis, qui ad talem quaestionem solvendam vires tentare auserit, qui opus tam ingens perficiendum, nullo adhortante, sibi sumserit, ita ut praemium, si reportare ei non contingeret, tamen is censendus esset, de quo dici posset:

« Ipse tulit pretium, jam nunc certaminis hujus,
« Qui cum victus erit — (tamen) certasse feretur.

Equidem potius hoc egisse mihi conscius sum, ut benevolus lector, quid in tanta causa a juvene sit exspectandum, clare perspiciat, ac judex sit mitis, atque indulgens, in omnibus, quae minus bene atque eleganter proposita, neque ex ipsius rei gravitate pertractata sint.

Quaestio autem sic sese habet:

« Quis sensus sit moniti Joannei. 1 Epist. V, 16*b*. Ἔστιν ἁμαρτία πρὸς θάνατον· οὐ
« περὶ ἐκείνης λέγω, ἵνα ἐρωτήσῃ; et quomodo illud, cum aliis de diligendis omnibus
« hominibus doctrinae Christianae praeceptis, in concordiam redigi possit"?

Hanc eo ordine pertractandam mihi proposui ut

I. Nonnullis de Joannis epistola in medium allatis,

II. Ad verborum sensum investigandum transiturus sim.

III. Ostensurus, quomodo Apostoli doctrina cum praeceptis de diligendis omnibus hominibus in concordiam redigi possit.

S E C-

---

(1) Cf. A. Brink l. c. pag. 56.

SECTIO PRIMA.

DE PRIMA JOANNIS EPISTOLA.

§. 1. *Epistolae Consilium.*

Joannem Apostolum, Zebedaei ac Salomes filium, Jacobi natu minoris fratrem (1), Jesu Christi autem dilectissimum discipulum, hujus scripti vel epistolae, vel quomodo id dicere velis, esse auctorem, ab aevo omnis consentiebat Ecclesia; unde jam Eusebius scriptis, quae vulgo dicuntur ὁμολογούμενα, eam annumerare non dubitavit (2).

De consilio autem, quo epistolam conscripserit Joannes, non idem est virorum doctorum consensus. Multi enim putant, Apostolum contra eos, qui a doctrina tunc temporis jam recepta, dissentirent, demonstrationem suscepisse: *Christum eundem esse ac filium Dei.* Ita ex Patribus statuerunt Irenaeus (3), qui opinabatur, Joannem id spectasse, ut errores refutaret, quorum Cerinthus ac Nicolaitae imprimis erant auctores. Eandem fere sententiam professi sunt Hieronymus atque Epiphanius, uti ex recentioribus nonnulli v. c. Grotius (4), Wolfius (5), Schutte (6) aliique. Michaëlis non nisi doctores falsos, nimirum Gnosticos, aut Cerinthianos, in hac epistola refutari, data opera, ostendere conatus est (7). Hugius quidem negavit, Cerinthianos vel Gnosticos *eximie ita dictos* a Joanne depingi aut refutari, eam ob causam, quod non diserte memorentur, verum tamen contendit, Apostolo ante oculos versatos esse, qui contenderent, Jesum non esse Christum Deique filium; cujus generis errores sub variis formis inter illorum temporum Christianos sparsim propagati fuisse videantur, cum ex patrum testimoniis non tantum, verum etiam ex rationibus Chronologicis se colligere posse existimat, una cum Apostolo Joanne vixisse Cerinthum ac Nicolaitas, qui Christianorum fidei multum afferrent detrimenti (1). Semlerus, hic illic Montanistas et Nepotistas describi, censuit (2). Carpzovius (3) denique, atque imprimis Storrius (4) de Cerinthianis non tantum, sed etiam de Joannis Baptistae discipulis cogitandum esse, monuerunt. Quippe quorum placita mirifice omnibus responderent sententiis, quas refutandas sibi sumsisse videtur Apostolus. Ab altera vero parte nonnulli diserte negarunt, in Joannis Epistola, quin in universo novo Foedere, ulla Gnosticorum reperiri vestigia (5).

---

(1) Cff. Matth. IV, 21. X, 2. Marc. I. 19. III, 17. Luc. V, 10. Matth. XXVII, 56. collato Marc. XV, 40.

(2) Vid. Euseb. Hist. Eccles. Lib. III, cap. 25.

(3) Adversus Haereses. Lib. III. cap. 9.

(4) Cf. Ejus Anteloquium in Euang. Joannis.

(5) In Curis Criticis ac Philologicis.

(6) Heilige Jaarboeken Parte III, p. 167.

(7) Inleiding in de goddelijke Schriften des N. V. Vol. II. Parte II. §. 122.

Ex his autem sententiis, quaenam vera sit, vel ad veritatem proxime accedat, ut pronunciem, equidem non is sum, qui mihi sumam, quemque suo gaudere judicio facile patiens. Fortasse neque horum, neque illorum negligenda est virorum opinio, et veritas, uti saepe, in medio est quaerenda.

Nobis igitur pauca haec observasse sufficiat.

1) Inter eas, quibus stylus Joanneus gaudet, dotes imprimis elucet nativa illa simplicitas, quae statim lectoris animum capiat, mirificumque in modum mulceat ac delectet. Inspiciantur tantum narrationes eorum, quae in nuptiis illis, Canaäni celebratis, acciderunt; nec non, quae cum Nicodemo, vel cum muliere Samaritana locutus est Servator. Conferatur etiam narratio de Lazaro reviviscente, aliaque. Neque dos illa, tantum celebranda est in iis, quae sunt ex genere historico, verum etiam in docendo, monendo et praecipiendo eadem praedicanda est ratio dicendi simplicissima. « Ita ut mirandum sit, quomodo tantae res tam divinae et abstrusae veritatis tamque coelestis et alti sensus, tanta potuerint simplicitate, tantaque perspicuitate « enuntiari" (6).

Jam si ex scriptoris alicujus stylo, ad ejus indolem concludere liceat, in Joanne observanda est tenera animi simplicitas, quae, sicuti cujusvis scriptoris indoles, in ipsius scriptis explicandis animadvertenda est, ita et in Joanne notari meretur (7). Tantum igitur abesse censemus, ut Apostolus Philonis vel Gnosticorum, si exstiterint

(1) Hugius, Einleitung etc. Parte II. §. 49. pag. 136.

(2) J. S. Semlerus, Paraphrasis in 1 Joann. Epist. ad cap. IV, 1. pag. 248.

(3) J. B. Carpzovius, Epist. Cath. Septenarius, ad 1 Joann. II, 18. pag. 140.

(4) G. C. Storrius, über den Zweck der Evang. Geschichte und der Briefe Joann. pag. 16, 20, 21 passim; qui autem satis temere, ut videtur, hypothesin protulit, neque historiae antiquiori, neque recentiori fundatam, testimoniis: Primo aevo nempe Sabaeos, qui dicuntur, Joannem magistrum Christi nomine haud ornasse; procedente autem tempore, eum etiam ad tantum honoris gradum evexisse §. 10; pag. 27, 28.

(5) Tittmannus, de vestigiis Gnosticorum in N. F. frustra quaesitis. J. T. C. Loefferus, in Diss. Joannis Epistola prima, Gnosticos imprimis impugnari negans, recepta in Comment. Theol. editis a Velthuseno Ruperto, et Kuinoelio pag. 138 seqq.

(6) Verba sunt W. Stronckii in Spec. Herm. Theol. De doctrina et dictione Joannis Apostoli, ac Jesu Magistri doctrinam et dictionem exacte composita. Traj. ad Rhen. 1799. Sect. III. §. 1. pag. 206.

(7) Cf. Ern. l. c. §. 2. pag. 7. num. 8.

rint scripta mystica, quae erant, justoque subtiliora perlegerit ac refutaverit, ut multo magis ab hisce studiis tam aridis et parum fructuosis valde abhorruerit, atque in religionis veritatibus exponendis, maximam sibi proposuerit simplicitatem, ab omni disputandi studio longe remotum.

2) Ex loco c. II, 19. concludi posse videtur, tales homines ante oculos habuisse Joannem, qui a vera Euangelii doctrina deflexissent, aliaque secuti fuissent castra. Si autem quaeritur, num infideles, an Christiani fuerint, ab eorum stare partibus liceat, qui censent eos homines fuisse, qui Christianorum adhuc quidem nomen gererent, revera autem factis non minus, quam verbis (c. IV, 1, 5.) ostenderent, quantopere a Christi religionis indole abessent, omninoque Christianis vehementer nocerent.

3) Errores, quibus falsi isti magistri erant obnoxii aliquatenus convenisse videntur cum Gnosticorum, quae postea in systema sunt redacta, commentis, et suspicari licet, jam tunc temporis semina sparsa fuisse harum sectarum, quae saec. 2 et 3 seqq. ecclesias misere perturbarunt ac dilacerarunt. Huc pertinet locus c. II, 22, ubi de iis sermo est, qui negarent Jesum esse Christum; nec non, c. V: 6—8. ubi spectare videtur auctor istam opinionem, quae aevo Apostolico suos jam habuisse videtur defensores, nempe summam gloriam in Jesum tantummodo, dum baptismo initiaretur, sub aeonis forma descendisse, proximum autem ad mortem eum solum reliquisse (1).

Quibus omnibus accurate perpensis, eorum nobis arridet sententia, Joannem non eo consilio scripsisse, ut Gnosticos vel Docetas aliosve data opera refelleret, sed ut puram traderet doctrinam, atque ostenderet, quo loco collocandi essent isti doctores, qui a Christianismo tam longe remota docerent, quorum errores, vivente jam Apostolo, orti, multa habebant communia cum iis, qui dein Gnosticorum nomine longe lateque propagati sunt.

4) Disputandi autem iste animus, quem Christianis illis, quos ante oculos habuit scriptor, praesertim adhaesisse verosimile est, veraeque doctrinae depravatio, eum habuisse videtur effectum, ut amor Christi, caritasque fraterna valde frigesceret, ac fides Christiana dilaberetur. Hinc fortasse causa est repetenda, cur per totam fere Epistolam ad fidem ac caritatem lectores impellat. Nam, inquit Joannes, dum nos invicem amore prosequamur, manet in nobis Deus, sumusque ejus perfecta caritate praediti, c. IV, 12. Cff. II, 10. III, 11, 14, 17. IV, 7, 11, 16. *Καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ ἐντολὴ αὐτοῦ ἵνα πιστεύσωμεν τῷ ὀνόματι τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ ἀγαπῶμεν ἀλλήλους, καθὼς ἔδωκεν ἐντολὴν ἡμῖν.* c. III, 23. IV, 15. V, 1.

---

(1) Cf. Brink, l. c. pag. 5, 32.

§. 2. *Quibusnam sit destinata Epistola.*

Velut de epistolae consilio, sic et de hominibus, quos ante oculos habuerit Apostolus, tacente ipso auctore, neque antiquioribus ecclesiasticae historiae scriptoribus certi quid hac de re referentibus, adhuc in dubio haeremus: nihilque nobis superest, praeter conjecturas, quae mirum est, quantopere inter se discrepent.

Lampio si credendum est, quibusvis illius aevi Christianis epistolam destinavisset, quia nulla restrictionis occurrit mentio (1). Verum observarunt viri docti, omnem vulgo epistolam vel librum, certis hominibus, tempore locoque conjunctis, destinatum esse solere (2). Quod si in his libris non teneamus, sane difficile est judicium, de sensu historico, et de iis, quae non universe sunt intelligenda, sed ad quosdam tantum homines spectant, minime illa ad omnes omnium locorum temporumque homines referenda. Quo facto gravissimum in interpretando Novo Test. committitur vitium (3), et in hujus quoque epistolae interpretatione nobis occurrunt difficultates non facile superandae. Nequaquam ego assumere ausim, quod cum illa opinione arcte conjunctum est, septem illis Epistolis, quae *Catholicae* dictae sunt, nomen illud adhaesisse, quod argumenti *universalis* essent, videlicet non in gratiam unius hominis, aut coetus, aut urbis, aut regionis conscriptae, sed omnibus per orbem terrarum dispersorum Christianorum coetibus destinatae (4). Ea certe sententia, gravi hacce premitur difficultate, quod secunda quoque et tertia Epistola, inter Catholicas enumerantur, quae tamen, sicuti ex inscriptione patet, utraque in gratiam unius hominis sunt conscriptae. Neque probanda videtur Wetstenii conjectura, nempe ab iis, qui hac denominatione primum uti coeperunt, non genuinas habitas fuisse secundam ac tertiam Joannis Epistolam, postea vero, cum in Canonem ecclesiae receptae essent, his quoque Epistolarum Catholicarum nomen tributum fuisse; Patres enim antiquiores Origenes ac Dionysius Alexandrinus, qui binas illas Epistolas in scripta ὁμολογούμενα referre non dubitarunt, hanc etiam formulam, sed longe diverso sensu adhibuerunt, scilicet, de Epistolis legitimis, atque omnium consensu probatis, quae illis omnibus auctoribus tribuendae essent, quorum nomina in fronte gererent, adeoque ab iis scriptis secernendae, quae vanus et incertus rumor ab iis esse conscripta perhiberet. Quae vocis interpretatio eo magis praeferenda videtur, cum horum scriptorum argumentis apprime conveniat; quippe quae haudquaquam universalia, vel ad omnes Christianos, verum ad certi generis Christianos pertinentia, continere videntur.

---

(1) Prolegg. ad Euang. Joann. Lib. I. cap. 7. pag. 105. cf. et Loefflerus l. c. pag. 153. Huic etiam opinioni favet Moldenhauerus, in Introd. pag. 256.

(2) Cf. A. F. Keil, l. c. §. 89.

(3) Cf. C. G. Storrii, Diss. de sensu historico, in Opusculis ejus Academicis Vol. I. pag. 1.

(4) Theodoretus imprimis hanc sententiam tuitus esse videtur, in *Praefat.* huic Epist. praemissa, cujus tamen authentia in dubium vocatur. Oecumenius ea, quae huc pertinere judicantur, e Theodoreti deperdito libro excerpsisse videtur. Ex recentioribus huic opinioni nomen subscripserunt Beza, Grotius, Wolfius, Wetstenius, Michaëlis, Zacharias, Morus, Pottius.

Huc accedit, quod nonnulli etiam hodie exstent Codd. qui non nisi fasciculum harum epistolarum complectuntur, quemadmodum alii Pauli tantum scripta continent (1).

In Codd. Latinis legitur inscriptio *Epistolae ad Parthos*, cui ex veteribus applauserunt Augustinus, et Cassiodorus (saec. 6.); ex recentioribus Grotius, nullo argumento usus, nisi hoc: *vocata olim Epistola ad Parthos, ut Augustinus testatur.* Incerta est hujus opinionis origo, haud tamen a verosimilitudine abhorret, crebrum formularum φῶς ac σκοτιὰ usum suspicionem movisse, Epistolam, Christianis inter Parthos viventibus conscriptam fuisse. Non opus duco ea repetere, quae observavit Michaëlis ad istius opinionis falsitatem demonstrandam. Nimirum Joannem, si ad Parthos scribere in animo habuisset, linguam Parthicam, certe Syriacam linguae Graecae praelaturum fuisse, quippe quae primis temporibus lingua erat Christianis, in regno Parthico degentibus (2).

Alii de peculiaribus coetibus cogitarunt, quos spectasset Joannes, v. c. de coetu Ephesino, ubi idololatriae fautores haud pauci degebant, sicuti patet ex Act. XIX, 24—29 (3).

Alii denique existimarunt, in Epistola quidem nulla occurrere indicia, quae de hoc illove peculiari coetu nos cogitare jubeant, nihilominus tamen ex scripti argumento colligi posse, Apostolum, cum has literas scriberet, Christianos haud sibi ignotos ante oculos habuisse, eos scilicet, quos antea edocuerat, et quibuscum aliquam familiaritatem contraxerat, sententias vero et opiniones, quibus sese opposuit Apostolus, si recte examines, ejusmodi fuisse, ut non ad omnes terrae partes, verum ad hanc illamve regionem pertinerent. Putant ergo, Christianos Asiaticos (4) fuisse, quibus epistolam hanc dederit Apostolus, ex Judaeis non minus, quam ex gentilibus, qui ad societatem Christianorum transierint.

E loco certe C. V, 20. consequi videtur, non unice ad Judaeos ipsum scripsisse. Ad il-

---

(1) Eusebius, qui hanc vocis καθολικὸς interpretationem assumsisse videtur Hist. Eccl. Lib. II. cap. 23. in fine, septem illas Epistolas *Catholicas* quidem dixit, singularum authentia nondum universe probata; nihil tamen exinde sequeretur, quam quod ipse Eusebius, in verbi usu minus fuit constans.

(2) Michaëlis, l. c. vol. II. P. 2. pag. 84.

(3) Conf. W. C. L. Ziegler, Der Erste Brief des Joan. Ein Sendschreiben an eine bestimmte Gemeine etc. Zachariae et Hug l. l. c. c.

(4) Si enim Eusebii testimonio fidem tribuere fas est, Joannes in Asiam profectus est, ad Euangelium praedicandum, unde Ephesum se contulerit, ubi diem obiit supremum. H. E. Lib. III. cap. 1. S. Vid. et C. A. Wahl. Hist. Pract. Einleitung, in die Bibl. Schriften P. II. pag. 287. Lips. 1820.

illos, quomodo pertinuerit monitum: Τεκνία, Φυλάξατε ἑαυτοὺς ἀπὸ τῶν εἰδώλων. Judaeos, qui Christianis sacris initiati essent, his aeque ac pristinis relictis, ad Idololatriam deflexuros esse, an metuendum erat (1)? Idem vero scriptor, alibi facta mentione Caïni, et τῶν ἔργων τοῦ διαβόλου historiam Judaicam ante oculos habuit. Et omnino animadvertendum est, praecepta Joannea dignissima fuisse, quae ab omnibus Christianis, sive origine Judaei essent, sive gentiles, tenerentur; neque Apostolum aliis usum esse incitamentis, nisi quae ex intima Christi religione essent petita.

Ex hisce quidem sententiis, quaenam veritate maxime sit consentanea ut statui possit, sollicitus fui; re autem diligentius expensa, intellexi, rationes mihi deesse, quibus eam refutem, quam ultimo loco recensui; multas vero, quae mihi persuadeant, ut eam amplectar; huic igitur sententiae nomen subscribere liceat.

§. 3. *De tempore locoque, quo conscripta sit Epistola.*

Quando, et unde Joannes Epistolas suas conscripserit, tantopere dissentiunt viri docti, ut hac de re nil statui certi posse videatur.

Si verum sit, quod multi opinantur interpretes (2), Epistolas cum Euangelio, etiam quod ad tempus, quo consignatae sint, arctissime cohaerere, adeo quidem, ut Euangelii *appendices* dici possint, haud exigua superest difficultas; quonam enim tempore Euangelium confectum sit, lis adhuc est sub judice. Nonnulli (3) statuunt, Joannem *ante*, alii vero *post* Hierosolymas devastatas et Euangelium et Epistolas conscripsisse (4). Rationes autem ab utraque parte allatae, nobis quidem tam infirmae esse videntur, ut nos incertos dimittant, ac nescios, cujusnam castra nobis sint sequenda (5).

---

(1) D. G. Bensonus, in Paraphrastiche Erklärung, und Anmerkungen, über einige Bücher des N. T. Vol. IV. pag. 80, quidem provocat ad locum 1 Jo. II, 2. unde patere contendit, Joannem h. l. imprimis Christianos ex Judaeis alloqui, qui tanto beneficio fruerentur, de quo sermo est in textu; verum in universum tantum Jesu Christi meritorum vim, latissime patentem, laudibus extollere Apostolus mihi videtur, quae nempe eiusmodi esset, ut non modo nostra, (i. e. omnium eorum, qui jam sacra Christiana amplexi erant), peccata expiaret, sed etiam totius mundi i. e. omnium hominum, etiam eorum, qui nondum benigna Euangelii luce essent collustrati. cff. ad h. e. Wolf. cl. Palmius ad 1 Jo. II, 7.

(2) Cff. Hug. Einleitung. P. II. pag. 174. Cf. v. d. Palm in Introd. in 1 Epist. Joann.

(3) Cff. Quos citavit Kuinoelius, in Proleg. ad Euang. Joan. P. III. p. 61. Loeffler. l. c. Grotius, Hammondus, Wolfius in Curis Proleg. in 1 Joann. Epist.

(4) Sic Hug. l. c. pag. 177. Multi in ultima senectute post reditum e Patmo, Euangelium ab Apostolo Joanne conscriptum esse, tradunt, Ambrosius, Basnagius aliique. cf. Wolfius, l. c.

(5) Loefflerus animadvertit, nullam urbis excidii mentionem reperiri, quod tamen Epistolae consilio, nimirum eo spectanti, ut auctoritatem Jesu firmiter stabiliret, convenientissimum fuisse videatur. pag. 140. Hugius contra

pro.

Eodem fere modo res sese habet, in loco definiendo, ubi Euangelium atque Epistolas conscripserit Joannes.

Alii enim in insula Patmo (1), alii, Ephesi (2) haecce scripta confecta esse, contendunt.

De rebus tam incertis, nemo aegre ferat, me judicium meum suspendere, cum et parum referre videatur, ad locum nostrum rectius intelligendum, utrum Epistola haec *ante*, an vero *post* Hierosolymam destructam, et utrum Ephesi, an alibi sit consignata. Si tamen aliquam sententiam proferre opus est, iis me adjungere liceat,

1. Qui ex eo, quod in Epistola nulla persecutionis, aut calamitatum mentio occurrat, suspicati sunt, benigno quodam regnante Imperatore, veluti Vespasiano aliove, epistolam in lucem esse emissam.

2. Qui ex epistolae tenore (3) colligi posse censent, Apostolum, cum hancce confecerat scriptionem, hominem fuisse aetate quidem provectiore, multa jam expertum, nec tamen senem decrepitum, cui vires deerant, iter faciendi, quod in animo haberet. cff. loca 2 Joann. comm. 22. 3 Joann. comm. 14 (4).

---

pro sua sententia argumenta interna attulit, provocans quidem ad nonnulla ex Euang. loca, veluti ad c. XIX, 41. ubi de Gethsemane non dicitur ἐστι κῆπος. Sed ἦν κῆπος, aliaque l. c. pag. 177, 178.

(1) Veluti Theophylactus, aliique cf. Kuinoel. l. c. pag. 64. Hugio l. c. p. 167 verosimilis videtur traditio, auctoris incerti *Synopseos*, quae dicitur, (inter Athanasii opera receptae), narrantis Joannem in insula Patmo Euangelium scripsisse. Huic igitur fundamento eam sententiam superstruxit, Epistolas ibi etiam conscriptas, Ephesi autem, curante Gajo, in lucem emissas esse. cf. pag. 174, quam tamen sententiam, tanquam minus probabilem, plurimi reprobarunt interpretes.

(2) Sicuti patet ex iis, quae Versioni Syriacae et Arabicae Erpenii subscripta reperiuntur. cf. Hugius l. c. p. 177. Antiquissimi Ecclesiae doctores tradunt, Joannem, post Domitiani obitum, ex insula Patmo rediisse Ephesum, ibique commentarios suos fecisse, ac tandem anno 100. P. C. N. sub illa urbe supremum diem obiisse. Vid. inprimis Euseb. l. c. Lib. III. cap. 31. apud Kuinoel, Proleg. p. 64.

(3) Cf. Brink, l. c. pag. 44.

(4) Cf. Schutte, Heilige Jaarboeken, P. III. pag. 169, 170. „Omnino, inquit, Cl. van Voorst, in scriptis „Joannis valde differt scribendi ratio, quae in Euangelio florentem, in Epistola vero, valde provectam aetatem „prodit". cf. Specimen Annott. III. in locum 1 Joann. I. comm. 1—3. pag. 91.

* * *

SECTIO SECUNDA

QUA SENSUS INDAGATUR MONITI JOANNEI, CAP. V, 16*b*: Ἔστιν ἁμαρτία πρὸς θάνατον· οὐ περὶ ἐκείνης λέγω, ἵνα ἐρωτήσῃ.

Hisce itaque praemissis, ad ipsius loci interpretationem transgrediendum est: qua

I. Paucis exponamus summum Epistolae argumentum, atque indagemus nexum, quo, in loco ad explicandum proposito, a Joanne dicta, cum praecedentibus videantur cohaerere.

II. Grammatica succedat eorum interpretatio.

III. Addatur brevis recensio diversarum interpretationum, cum nostra qualicunque epicrisi.

IV. Nostram denique de monito Joannis sententiam confirmare conemur.

§. 1. *Argumenti summa, et loci explicandi nexus cum superioribus.*

Primum igitur nexum inquiramus, quo singula inter se cohaereant, quod quanti sit momenti in sensu reperiendo, egregie, ut solet, commonstravit vir summus Ernestus, monens, iis praesertim in locis, ubi verborum et formarum dicendi ambiguitas, rerum obscuritas, aut novitas, magnas interpreti difficultates pariat, orationis contextum saepe multipliciter facere, ad genuinum verborum sensum citius capiendum (1). Summum igitur epistolae argumentum breviter exponere liceat, ut si forte, nexu, quo dicta Apostoli inter se jungantur, magis bene intellecto, neque adeo consilio dictorum latente, aliquid detegamus, quod ad rem facere videatur, et hoc tanquam fundamento interpretationem superstruamus.

Cap. I. Hac scribenda Epistola, id sibi proposuisse Joannes declarat, ut Christiani cum Deo et Jesu Christo arctissime conjuncti viverent. 1—4. Quod si quis optet, ei necesse esse, ut ad probitatem ac sanctitatem animum applicet 5, 6. Quo facto, spem certam ali posse, peccatorum nobis remittendorum, quorum nemo non reus sit 7—10.

Princeps igitur ejus consilium fuisse videtur, tum ut Christianos a peccandi consuesuetudine avocaret, tum, ut viam monstraret, quam qui ingrederentur, peccatorum veniam consecuturi essent.

---

(1) Cf. Instit. interpr. P. I. Sect. II. c. II. §. 2. pag. 69.

Cap. II. Quae commissa sunt peccata, a Jesu Christo expiata sunt, unde sequitur, quicquid ille praecepit, diligenter esse tenendum 1 — 6. Praecipuum autem illius mandatum est, ut omnes ejus beneficiorum participes sincero se invicem amore prosequantur 7 — 11. Igitur vi meritorum Jesu Christi, peccata condonata sunt omnium omnino hominum, sine discrimine ordinis, vel aetatis; in cujus tamen tanti beneficii societatem, illi solum veniunt, qui a cultu *Dei* et filii Dei non alieni sunt, neque mundanis illecebris se a recta via abstrahi patiuntur 13 — 17. Multi autem circumeunt falsi doctores, qui negent, Jesum esse Christum, quibus Christianos aures praebere, non decet; quippe qui id tantum spectant, ut vere Christianos a via recta seducant 18 - 23. Quare necesse sit, ut probi Christi asseclae ea teneant, quae divina auctoritate ipsis tradita sint, ut conspectum ferre possent Jesu Christi, aliquando solenniterredituri 24 - 29.

Eo igitur admonitionem omnem Apostoli spectavisse apparet, ut universam doctrinam, quam disciplina ipsius acceperant, puram, atque integram servarent, neque curarent falsos istos doctores, qui his oppositas et omnino perversas praedicarent doctrinas.

Cap. III. Tantum erga nos amorem Deus demonstravit, ut nos liberos Dei appellari voluerit, et postea gloriae Jesu nos participes fore promisit, 1 - 3. Pure igitur nosmet ipsos servare et peccatum omne fugere oportet. Quicunque enim peccati amans est, Diaboli castra sequitur; qui autem cum Deo habet commercium, nequaquam peccati illecebris se capi sinit, sed fraterno amore, omnes ejusdem naturae socios prosequitur 4 - 18. Caritas autem fraterna non verbis tantum, sed factis etiam probanda et demonstranda est. Hac solum via animi tranquillitatem consequi, et confidere possumus, fore ut preces nostrae benigne a Deo exaudiantur. Unicuique, Dei praecepta diligenter observanti, hujus rei facta est promissio 19 - 24.

Omnia huc redeunt monita de peccatis vitandis, et probitatis et amoris mutui inter Christianos alendis et summa animi contentione sectandis studiis, ut favoris divini, ac beneficiorum Christi participes evadant.

Cap. IV. Nulla ratione audiendi sunt, qui principem doctrinam, de J. Christo, ex consilio Dei, humana natura induto, rejiciunt, et nequaquam Deo, sed hominibus tantum placere student 1 - 6. Gravissimum est officium, quo se invicem omnes prosequi oportet. Exemplum Dei Christianis ob oculos sit, necesse est. Hoc qui recuset, nequaquam Deum dici potest cognoscere, certe non intelligit is, qualem se Deus erga nos praebuerit, et quantum sit amoris Dei erga nos documentum, quod Filio suo, hominum Servatore, in mundum mittendo, ediderit 7 - 14. Jesu Christo ergo, go, omnino fides est tribuenda, caritasque fraterna erga omnes exercenda: quo facto, non aliter fieri potest, quin omnis metus, ultimi et solennis illius judicii plane evanescat. Metum enim expellit amor 15 - 18. Hoc vero ante omnia tenendum est, Dei amorem cum odio erga fratres, pari passu procedere non posse.

Ad falsos doctores, et perniciosam eorum doctrinam, omnia haec spectant, et ad Christianos, de necessitate constantiae mutui amoris, de novo admonendos.

Cap. V. In eo veritas et sinceritas amoris mutui cernitur, quod ex amore erga Deum, et praeceptis divinis diligenter obtemperandi studio promanet, et ea quidem, Deum amanti, servatu haud difficilia sunt; fides enim Jesu Dei filio habita, mundum pravasque cupiditates facile superet 1 - 6. Ea vero fides certissimo nititur testimonio, quod per baptismum Jesu, mortemque ejus cruentam non minus, quam vi Spiritus Sancti efficaciter a Deo proditum, omni humano testimonio longe praecellit, cui igitur fidem denegare nefas est 6 - 10. Testimonium autem illud, spectat ad vitam aeternam, quam omnes, Jesu Christo fidem habentes, consecuturi sunt. Cuicunque igitur hac de re firmiter persuasum est, firma in Deo collocata fiducia, preces fundere possit. Neque enim dubium est, Deum ejusmodi precibus aurem praebiturum, et pia vota, ad voluntatis ipsius normam ei oblata, benigne accepturum esse 11 - 15. Si quis igitur fratrem viderit peccantem non ad mortem, in ejus gratiam precandum est; quo facto ipsi dabit vitam; quod tantummodo spectat eum, qui peccatum commisit, haud morte luendum; *ἔστιν δὲ ἁμαρτία πρὸς θάνατον· οὐ περὶ ἐκείνης λέγω, ἵνα ἐρωτήσῃ.* c. 16. Consilium igitur hoc capite Apostoli fuisse videtur, ut Christianos ad fidem in Jesum Christum impelleret, quippe qua mundum vincerent; Felicitate aeterna eos sic fruituros esse, et omnino confidere posse, Deum ipsorum precibus, in praesenti quoque vita, benevolas aures praebiturum esse. Ne autem doctrinam c. 14, 15. de precibus exaudiendis, justo longius extenderet, comma illud 16 addidisse videtur, quo utcunque restringerentur ea, quae fortasse minus accurate, ac prudenter dicta viderentur.

Ita singulorum capitum argumenta satis apte inter se cohaerere videntur. Neque tamen diffiteor, universus singulorum, hac Epistola, scriptorum nexus, quomodo scriptoris animo obversatus sit, inventu admodum difficile esse; verum a stylo conciso et abrupto, Joanni magis, quam aliis proprio, Logicus certe ordo dictorum valde est alienus. Sive ergo pericopa c. 14 - 21, quae cum antecedentibus minus bene videtur cohaerere, cum iis, quae praecedunt, sit connectenda, sive tanquam ante scriptis, postea subjuncta consideranda sit, hoc tamen nobis videtur statui posse, eam revera e Joannis mente caeteris adjectam, neque ab alio scriptore serioris temporis interpolatam esse, verum eum ipsum habere auctorem. Omnia enim, quod ad loquendi rationem, et cum antecedentibus, et cum stylo Euangelii tantopere conveniunt (cff. comm. 18. cum Euang. Jo. III, 9. c. 20. cum Jo. VII, 3.), ut mirandum

dum sit, hujus pericopae autenthiam in dubium vocatam esse: quod nuper conatus est J. C. W. Augusti (1).

Provocat ad c. 21, quod scribendi rationi Joannis minime conveniat. Quam ob causam, equidem non intelligo, nisi assumatur, Joannem solummodo ad Christianos ex Judaeis scripsisse. Dein eum offendit quoque locus noster, ubi distributionem illam peccatorum *πρὸς θάνατον*, et *οὐ πρὸς θάνατον*, Joannis ingenio repugnare, ipsi visum est. Hujus vero repugnantiae rationem non addidit. Nobis quidem in eo nihil occurere videtur, quod ab Apostolo alienum sit. Verum ad ipsum illud argumentum infra revertendum erit, cum ostendere conabimur, integram dicendi formulam non nisi ex ipsius Joannis verbis explicandam esse, ejusque doctrinam adeo scribentis consilio respondere, ut scriptori vitio esset vertendum, si comma illud non addidisset.

§. 2. *Grammatica loci Interpretatio.*

Nemo est, quin videat, in loco ad explicandum proposito, notiones occurrere repugnantes, sibique invicem oppositas, quas exhibent phrases *ἁμαρτία μὴ πρὸς θάνατον* et *ἁμαρτία πρὸς θάνατον*. Est autem haec in interpretando latissime patentis usus regula, in notionibus repugnantibus, altera cognita, et alteram intelligi; certe opposita juxta se collocata, magis illucescere (2). Mihi quidem non abs re esse videtur, comma 16 integrum explicandum mihi sumere, qua fortasse ratione, verborum interpretatio facilius accuratiusque procedet. Ita etiam rem egisse video J. Marckium, cujus exstat de monito Joanneo Specimen in Exercit. Bibl. Exerc. 50. pag. 1082.

Ἐάν τις ἴδῃ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ ἁμαρτάνοντα ἁμαρτίαν μὴ πρὸς θάνατον.

Ἐάν, h. l. vim habere putem conjunctionis conditionalis, *si*. Marckii ergo sententia non videtur probanda, existimantis, *ἐὰν* pro temporali conjunctione haberi posse, itaque non minus recte verti *quum*, *quando* vel *postquam*, quam *si*.

Non enim agitur de *tempore*, *quo* quis fratrem videret, sed de eo, quidnam agendum esset, *si* quis fratrem peccantem animadverteret. In versione Syriaca prorsus omissa est conjunctio, et tantum legitur, *qui scit*. Minus accurate ut puto, et sine aliorum testium consensu.

Τὶς i. e. Christianus cujuscunque generis. Recte Beza monet in Annotatione: « cu« jusvis esse officium istud, ut quivis a quovis se moneri ferat." Intelligitur unusquisque Christianorum, quibuscum Joanni res erat.

---

(1) In libro, cui titulus est: Die Katholische Briefe neu übersetzt und erklärt, Lemgo 1808. pag. 301.

(2) Cf. Ern. l. c. P. 1. Sect. 1. cap. 11. §. 22.

Ἴδῃ. *Si quis viderit.* Patres nonnulli verterunt, si quis *scit* vel *sciat.* Praeiverat Vulgatus Interpres; recentiori memoria secutus est Erasmus. Hanc notionem interpretes illi fortasse hoc loco assumserunt, quoniam judicarent, multa hominum peccata oculis non *videri*, et omnino occulte fieri posse, ut tecta maneant. Aor. 2. Ἴδον frequentiori usu *videndi* habet significationem. Non raro autem ponitur pro *cognoscere*, *intelligere*, et non tantum ad conspectum oculorum, sed ad cujuscunque generis perceptionem refertur, sive ea oculis fiat, sive auribus, sive ratione et animi sensibus (1).

Ἀδελφὸν αὐτοῦ. Quaeri potest, utrum h. l. intelligatur *Judaeus infidelis*, an *Christianus.* Negari quidem nequit, variis locis N. T. vocem ἀδελφὸν occurrere, ubi de Judaeis sermonem esse orationis contextus suadere videtur: cff. Act. II, 29. III, 17, 22. XIII, 26. Rom. IX, 23. Is vero vocis usus cum a loquendi consuetudine Joannea prorsus alienus esse videatur, non possumus non eorum potius amplecti sententiam, qui censeant h. l. intelligi fratrem religionis vinculis junctum, Christianum ergo, cui fratres propter sacrorum communionem, cum maxime succurrere oportebat, Conf. Grotius. Brinkius, addito pron. αὐτοῦ, eam interpretationem magis etiam confirmari putat.

Ἁμαρτάνοντα τὴν ἁμαρτίαν μὴ πρὸς θάνατον. Phrasin illam, Hebraismis a Vorstio annumeratam, ex usu Hebraico explicare noluit Wolfius, qui contendit, eam potius emphasin quamdam secum ferre, ac scriptorum Graecorum, et optimorum quidem, auctoritate, sententiam suam defendi posse (2); alii contra copiose demonstrare conati sunt, Joannem scribentem sermone Syriaco usum fuisse, neque tamen puro vel genuino, sed dialecto ista adulterina, quae multa admiserat aliunde derivata (3).

Quidquid hujus rei sit, (nam litem illam dirimere, neque vires meae sinunt, neque instituti ratio postulare videtur), formula illa mirifice cum Hebraeorum loquendi ratione convenire videtur. Pertinet enim verbum חָטָא ad verba intransitiva, quae quidem usu proprio accusativum non regunt, saepe tamen eum recipiunt, quando

V.

---

(1) Schoetgenius, Schleusnerus et Brettschneiderus in Lexicis multa exempla attulerunt.

(2) *Q*uamvis enim haecce constructio, in qua praecedenti verbo ejusdem formae substantivum adjungitur, optimorum auctorum exemplo probari possit, (v. c. δουλείας δουλεύειν, apud Platonem, in Conv. Oper. P. II. §. 20, p. 389. ex edit. J. Beckeri. λυμαίνεται λύμησι apud Herod. Halic. Hist. Lib. VI. §. 12. et ζῶν βίον apud Lucianum in Timone c. 33. aliaque. Cf. etiam Catulli ad Sodales, carmen. XXXVII. vs. 13.

Pro qua mihi sunt magna bella pugnata.

attamen ob sequentem phrasin πρὸς θάνατον, a Graecorum construendi ratione alienam, haud verosimile est, Joannem in caeteris Graecorum morem secutum est.

(3) Cff. Grotius, in Introd. in Euang. Joannis, Stronck. in spec. laud. Kulnoel. in Prolegg. ad Euang. Joanni pag. 86, seqq.

v. c. in accusativo regunt nomen cognatum, quod vel ipsam actionem vel actionis objectum aut effectum designet. Conf. Schroed. Synt. reg. 69. N°. 4. pag. 373: quam sententiam eo magis amplector, quod phrasis ἁμαρτία πρὸς θάνατον plane est Hebraistica, ut dein ostendere conabor; cf. interim Schoetg. Horae Hebr. et Talmudicae p. 1076. ubi ad Levit. XVI, 3. annotatum vidimus: « datur peccatum, quod « patratorem suum excommunicat, et aliud, quod patratori suo mortem adfert."

Αἰτήσει, *petet*, *precabitur*. Nonnulli legunt αἰτησῃ, ex eo fortasse, quod Imperativum, Futuro praeferrent; αἰτήσει vero anteponendum videtur, tum propter lectionis auctoritatem, tum propter convenientiam cum stylo Joanneo, qui saepe Futuro utitur pro Imperatiuo. Cf. Grotius ad l. c. Porro animadvertendum videtur, monitum hoc Joannis nullum complecti *praeceptum*, vel *jussum* proprie ita dictum, magis vero *admonitionem* sive *consilium*, quomodo agendum sit in fratrem, qui ejusmodi scelus patraverit. Denique *Deum* proponi, tanquam precum objectum, *fratrem* vero *peccantem*, tanquam subjectum, haud dubitandum videtur (1).

Καὶ δώσει αὐτῷ· καὶ nullum h. l. indicare videtur *rei finem*, uti saepe secundum Hebraeorum loquendi rationem obtinere constat (2). Non enim eo consilio, *ut vitam alteri det*, fatris est precari, verum ut *veniam illius peccati a Deo deprecetur*, quocunque modo eam consequatur. Apostolus igitur eos certiores tantum facit, precibus ſusis, quid futurum sit, nimirum καὶ δώσει αὐτῷ ζωήν. Alii legisse videntur δωθήσεται; etenim in versione Coptica, Sahid. Syr. Vulg. uti et apud nonnullos Ecclesiae Patres legimus *et dabitur*, ut pro Activo cum Accusativo sumatur Passivum, non designata persona agente. Recte tamen, ut mihi videtur, eam versionem reprobavit Grotius; series enim orationis non minus, quam styli simplicitas postulare videntur, ut subintelligamus vel subjectum vel objectum, de quo antea sermo erat, aut illum, cujus erat precari, aut illum, ad quem preces erant fundendae; si autem quaeritur, de quo verbum δώσει hic adhiberi judicandum sit, negare non possumus, multorum magnaeque famae interpretum opinionem probabilem videri, qua ad Deum hoc referatur luminum patrem, a quo quaevis bona proficiscuntur, qui vitam dat et aufert (3). Nec tamen a verisimilitudine abhorret, eum intelligi, qui suis precibus pro fratribus ad Deum fusis, gratiam et veniam impetrat, et sic revera iis salutem affert, quo quasi instrumento utatur D. O. M, ut sua consilia exsequatur: « Qui impetrat, inquit « Erasmus, alteri quodammodo dat." Conferri meretur locus ex Epist. Jacobi. cap. V, 15, ubi quidem dicitur, *καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ Κύριος*, sed praecedunt haec, *καὶ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα.* Inspiciatur etiam locus 1 Tim. IV, 16 (1).

---

(1) Sunt qui αἰτήσει ad judices humanos referri velint, et id monere Joannem, Christianum quemque operam navare oportere, ut precibus judicis animum flecterent, fratrum gratia. Verum in praecedentibus diserte de precibus, ad Deum fundendis sermo est, neque igitur h. l. de judice humano cogitandum esse videtur. Cf. Brink, l. c. pag. 437.

(2) Cf. Schroederi Syntaxis, Reg. 109. pag. 431.

(3) Sic Augustinus Tom. III. Lib. II. pag. 117. de Sermone Domini in monte. Beza, Grotius, Castalio in versione, Harduinus in Comment. in N. T. Bengelius in Gnomone N. T. ad h. l. van Vloten, Glassius Phil. Sacra p. 666. cl. v. d. Palm.

Τὴν ζωὴν, *vitam* conditionem felicem, aut in *hac* aut in *futura* vita. Animadvertendum est vocem *τὴν ζωὴν* apud Joannem proprio sensu ac tropice sumi cff. 1 Jo. III. 16. 1 Jo. I, 2, 25. III, 15. V, 11, 13, 20; ubi autem tropice accipitur, fere semper additum esse adjectivum *αἰώνιον*, ubi autem omissum est istud additamentum, ibi ex orationis contextu ac tenore satis patere, vocem *ζωὴν* emphatice esse accipiendam, cff. 1 Jo. V, 12. coll. c. 11. III, 14. coll. 15. IV, 9. Quomodo autem h. l. sit accipienda, postea videbimus.

Αὐτῷ לו, scil. *fratri peccanti.* Mirum videri potest, post pronomen illud numero singulari expressum, in eadem contexta oratione ab auctore subjici:

Τοῖς ἁμαρτανοῦσι μὴ πρὸς θάνατον. Nemo non intelligit, hic subaudiri verbum *λέγω*, quasi auctor dicere voluisset: *loquor tantum de peccantibus non ad mortem.* Beda verti maluit, *peccanti non ad mortem;* sicuti etiam in plurimis Codd. reperitur Participium singulare (2).

Neminem vero offendat styli ista negligentia, quae a stylo Graecorum veterum Romanorumque haud plane aliena est (3). Videtur igitur *fratris* nomen collective esse sumendum, sicuti annotavit Beza; idem fere Erasmus.

Ἔστιν ἁμαρτία πρὸς θάνατον, *est peccatum ad mortem.* Hammondus legi maluit *εἰς θάνατον*, sed a Clerico redargutus; *πρὸς* h. l. videtur ostendere *finem* sive *effectum*, sicuti Joann. XI, 4. *αὕτη ἡ ἀσθένεια οὐκ ἔστι πρὸς θάνατον*, hicce morbus non est ejus generis, *ut mors eum sequatur* non est *letalis;* ita et h. l. *ἁμαρτια πρὸς θάνατον* vertendum videtur *peccatum ad mortem*, *peccatum mortem afferens.* Graece dicendum erat: *οὐ πρὸς θάνατον ἄγουσα, φέρουσα.* Πρὸς igitur respondet Hebraeorum ל affixae,

---

(1) Ἔπεχε σεαυτῷ, καὶ τῇ διδασκαλίᾳ· ἐπίμενε αὐτοῖς· τοῦτο γὰρ ποιῶν, καὶ σεαυτὸν σώσεις καὶ τοὺς ἀκούοντάς σου. Praeter Erasmum sic statuunt Werenfels, Marckius Cl. van Nuys Klinkenberg in Diss. de peccato in Sp. S. parte post. p. 104. viro Cl. praeside defensa Amst. 1815. G. F. Zachariae Kurse Erklärung der Kathol Briefe p. 208. Brink l. c. p. 339.

(2) Uti et apud Augustinum. cf. Marck, l. c. p. 1093.

(3) Sic apud Terent. legimus:

Aperite aliquis actutum ostium.
Adelphi. IV, 4. vs. 25.

Apud Ovid. autem, Polyphemum ita dicentem audimus,

Hoc pecus omne meum est, multae quoque vallibus errant.
Multas sylva tegit, multae stabulantur in antris.
Metam. XIII. Vs. 822, 823.

xae, quemadmodum totam phrasin ad Hebr. dicendi rationem compositam esse animadvertimus (1).

Nimirum eadem formula occurrit Num. XVIII, 22. חֵטְא לָמוּת, quam Interpp. Alexandrini verterunt *ἁμαρτία θανατηφόρος*, crimen quippe, cui mortis supplicium a Deo constitutum erat, si nempe praeter Levitas, alii etiam ex Israëlitis sacra attingere auderent. Inspiciatur etiam locus Jes. XXXVIII, 1. coll. 2 Reg. XX, 1, ubi de Hiskia dicitur חָלָה לָמוּת quod verterunt Dathius et Doederleinius *lethali morbo correptus est*. Interpp. vero Alexandrini *ἐμαλακίσθη ἕως θάνατον*; Symmachus et Theodotio apud L. Bosium *εἰς θάνατον*; Aquila habet *τοῦ ἀποθανεῖν*, quod judicavit Stronckius istius formulae vim clarius aliquantum exprimere, scil. necessitatem moriendi. Graeci, quamquam raro, similem tamen interdum dicendi rationem adhibuerunt de morbis *εἰς θάνατον*, *ἐπὶ θανάτῳ*. Aelianus V. H. Lib. VIII. cap. 14, de Diogene dixit *ἐνόσει ἐπὶ θανάτῳ*.

Ἁμαρτία πρὸς θάνατον, mea quidem sententia hic significat peccatum, cujus consequens, ex Dei voluntate, sit mors, quam adeo deprecari nemo possit. Ex iis, quae sequuntur, id manifestum videtur. Num autem voces *ζωὴ* et *θάνατος* hic proprie an tropice sint accipiendae, de eo disputant viri docti. Marckius, Brinkius aliique bene multi contendunt, eas tropice esse sumendas, quippe quae fere semper tropice ab Apostolo hac in epistola adhibeantur. In memoriam revocare liceat, quod supra jam animadvertimus, vocem *ζωὴ*, fere nunquam eo sensu usurpari, nisi addito epitheto *αἰώνιος* cff. loca supra allata; ubi autem hocce epitheton omisit Joannes, ibi contexta oratio vix dubitare sinit, proprie an tropice notio *ζωῆς* sit intelligenda. Quis non hanc vocem, in locis 1 Jo. I, 2*a*. IV, 9. V, 12. improprio sensu accipiat, in loco vero III, 16. proprio? Atqui nostro in loco neque aliquid additur, quod tropice hanc notionem interpretari jubeat, neque contextus ratio id nobis persuadet. Quod attinet ad vocabulum *θάνατος*, licet bis tantum in hac Epistola occurrat, in altero loco quidem tropico sensu, ut videtur, Cap. III, 14; ad nostrum vero, regulam supra propositam apprime adhiberi posse existimamus; nimirum in notionibus repugnantibus, altera cognita, etiam intelligi alteram.

Usus igitur loquendi scriptorum sacrorum in universum, et Joanneae quoque consuetudinis ratio nos incitat, ut hasce loquendi formulas *proprie* sumamus. In Vet. Test. formula לָמוּת *mortem naturalem* indicari, antea vidimus; Joannes iisdem verbis eodem sensu usus est (2).

Οὐ

---

(4) Cf. Ernesti Inst. Interp. P. I. Sect. II. cap. 3. §. 25, ubi in nota subscripta legimus: „locum 1 Jo. V, 16. non nisi ex divisione Hebraica peccatorum, explicandum esse."

(2) Accedit, quod regulae de dictione tropica judicanda, atque interpretanda ab Ernestio l. c. P. I. Sect. I. c. IV. propositae in locum nostrum minime quadrare videantur; neque enim subjecta et praedicata sunt heterogenea cf. §. 8. neque est contextus allegoricus. v. ibid. §. 14.

Οὐ περὶ ἐκείνης λέγω ἵνα ἐρωτήσῃ. *Pro eo non dico ut roget quis*; (3) ἐκείνης referendum esse ad ἁμαρτιαν, plurimi censent interpretes.

Conjunctionem vero οὐ nonnulli perverse, ut puto, ad verbum ἐρωτᾷν referendum esse voluerunt. Haec enim interpretatio si procedat, ea exinde nasceretur constructio: περὶ ἐκείνης ἁμαρτίας λέγω ἵνα οὐκ ἐρωτήσῃ, adeo ut severissimum esset Apostoli interdictum. Secundum aliorum sententiam ita verba sunt construenda, περὶ ἐκείνης ἁμαρτίας οὐ λέγω ἵνα ἐρωτήσῃ, ut sensus sit: « de illo peccato non loquor, non auctor « sum, ut pro eo preces quis fundat" Animadvertit Cl. van Nuys Klinkenberg in diss. laudata Parte post. pag. 111. λέγειν saepius sensu *jubendi* adhiberi (2), atque verba igitur οὐ λέγειν commode significare potuisse *interdicere*, quod etiam annotavit Schleusnerus, afferens loca nonnulla, quae pro hac sententia pugnare viderentur, ubi tamen particula οὐ aut μὴ non adjecto verbo λέγω, sed alii verbo praecedit, cff. Matth. V, 34. Rom. XII, 3. neque phrasis Joann. VII, 20. ubi οὐδὲν λέγειν significat *prohibere*, h. l. in sensum venire potest, quippe qui longe alius sit generis (3).

Propria igitur verbi λέγω significatio terenda mihi videtur, ut hic exeat sensus: « Est peccatum ad mortem, cui divinitus mors constituta est, *quod attinet ad* illud « peccatum, *de* illo peccato, *pro* illo peccato, (ita enim περὶ saepe accipi, neminem « latet) (4), non loquor, vobis non dico, ut preces fundatis, quippe cujus poenam « a Deo supremo judice constitutam, precibus nostris nunquam ablatum iri constat." Eodem fere sensu eadem occurrit phrasis Joan. XVI, 26, ubi inquit J. C. ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ ἐν τῷ ὀνόματι μοῦ αἰτήσεσθε· καὶ οὐ λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐγὼ ἐρωτήσω τὸν πατέρα περὶ ὑμῶν. i. e. non opus duco, ut vobis hac de re persuadeam, nam sine mea persuasione certi esse potestis, preces vestras exauditum iri, αὐτὸς γὰρ ὁ πατὴρ φιλεῖ ὑμᾶς. κ. τ. λ.

Ἵνα ἐρωτήσῃ, *ut oret* (quis). Bengelius (5) differentiam aliquam reperiisse sibi visus est, quod ad significationem verborum αἰτεῖν et ἐρωτᾷν, ita quidem, ut αἰτεῖν esset durius, propiusque accedens ad *poscendum*, *postulandum*, *exigendum*, quam ad *submis-*

---

(1) Erasmus ἐρωτήσῃ accipit pro 2 pers. in Aor. Med. vertens *rogas*. Rectius tamen, ut videtur, ex praecedentibus intelligitur *pronomen* τὶς scil. idem ille, de quo in initio dictum erat, εἰ τὶς κ. τ. λ.

(2) Unum affert locum Matth. VIII. 9. ubi verba referuntur alicujus centurionis Jesum rogantis, ut famulum suum sanaret jubendo. Dubito an recte conferantur cum verbis Joannis, Christianos benevole monentis.

(3) Verosimile insuper est, Joannem, si in mente habuïsset Christianis interdicere, ne pro tali peccato precarentur, in priore etiam commatis parte verbum λέγω adhibiturum fuisse, eo consilio, ut eos juberet, pro fratre, qui nondum ad mortem peccasset, preces fundere.

(4) Conf. F. Vigeri. de Graecae dictionis Idiotismis pag. 588. collatis animadversionibus J. C. Zeunii, ad examen vocatis ab H. Hogevenio pag. 174. cf. et Schleusn. in voce.

(5) Cf. ejus Gnomon in N. T. ad h. l.

misse aliquid expetendum, qualis esse videatur vis verbi ἐρωτᾷν. Sensus igitur prodiret: « est peccatum ad mortem, quod ad illud attinet, non dico, ut roget quis; « quin supplex, neque submisse preces fundat.” Verum quovis casu, preces animo submisso fundendas Christianis convenire, ipsa nos admonet religionis Christianae indoles. Praeterea non credibile est, Joannem diversam hanc subinde verborum vim, siquidem tenuit, dum haec scriberet, tam subtiliter distinxisse; magis verosimile est, eum, ne bis idem scriberet, prius verbum αἰτεῖν, dein autem ἐρωτᾷν adhibuisse.

Verbis ita explicatis, totus locus sic mihi vertendo videtur transferendus: « Si quis « viderit fratrem suum, qui peccatum committat, quod non est ad mortem, pro eo « precabitur, quo facto dabit ei vitam, (nimirum intelligo) eos, qui peccatum com- « miserunt non ad mortem; est vero etiam peccatum ad mortem; de illo non in- « quam, ut quis preces fundat.”

Ex hac quidem verborum interpretatione sequi mihi videtur: 1°. quod supra jam observavimus, Joannem nempe h. l. arctiori sensu accipere ea, quae c. 14, 15. in universum de precibus exaudiendis dixerat; videlicet, ne Christiani existimarent, suis se precibus omnis generis peccatorum veniam consecuturos esse. 2°. Joannem peccato illo πρὸς θάνατον peculiare peccati genus intelligere, de quo antea nondum mentionem fecerat. Neque adeo amplectimur sententiam eorum, qui ex oratione contexta locum explicari posse et debere existimant (1).

Istud vero peccatum πρὸς θάνατον, cujus sit generis, et quae intelligatur *mors*, qualis *vita*, definire, hoc sane opus est, hic labor. Nec mirum, ingentem scriptorum numerum, sive ex genere Dogmaticorum, sive Exegeticorum, hac de re sententias in medium attulisse.

Recte enim observatum est, nullam esse obscuritate diversarum interpretationum matrem foecundiorem.

Ne autem justo longior et difficilior fiat disputatio, non ab re duxi, praecipuas de loco nostro sententias, ad certas classes redigere: quaeque minus placeant, paucis recensere, ac denique quid ipse sentiam, breviter exponere; ut adeo negando, demonstrando ac laudando, rem nostram absolvamus.

§. 3. *Diversae Interpretum, de ἁμαρτία πρὸς θάνατον, sententiae expenduntur.*

1°. Primum igitur in censum veniunt, qui verbis ἁμαρτία πρὸς θάνατον, peccatum, quod dicitur in Spiritum Sanctum, intelligi putant, uti Marckius in Exercit. Bibl., Suicerus in Thes. Vol. I. ad vocem *ἁμαρτία*, Wolfius in Curis, Castalio in Versione Latina cum Anott. J. Arminius in Praestantium et Eruditorum virorum Epist. Eccles. et Theol. Ed. 3, a Philippo Limborgio curata a. 1704. Epist. 45. Franc. Gomarus ad Matth. XII, 31, 32. in ejus Opusculis Theol. p. 83. C. Vitringa in Doctrina Christianae Religionis Franeq. 1714. pag. 174. In Belgica publice recepta Versione eandem huic loco explicationem subscripserunt Interpretes.

---

(1) Cff. Wolfgangi Franzii tractatus Theol. de interpretatione Sacrae Scripturae, Witeb. 1634. p. 127. Oecumenius in Comment. in 1 Epist. Jo. Operum Tom. II. p. 601: „Illud tantum, inquit, peccatum ad mortem esse, quod ad poenitentiam non respicit.” Sic vero quaevis legis transgressio a nobis commissa, nulla poenitentia sequente, peccatum ad mortem dici posse videtur. Cf. et Theod. Balzamo Canones Apost. Concil. Niceni, Tom. II. pag. 503. qui illud peccatum dixit ἀδιορθωτὸν καὶ ἀμετανοητὸν, cujus nulla agitur poenitentia.

Argumenta, quibus nititur haec interpretatio, petitae sunt ex ipsius Servatoris dictis: *ὃς δ᾽ ἂν εἴπῃ κατὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου, οὐκ ἀφεθήσεται αὐτῷ οὔτε ἐν τούτῳ τῷ αἰῶνι, οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι* (1).

Neque lubet, neque hujus loci esse duco, varias de peccato in Spir. Sanctum, colligere Interpretum sententias, de quo argumento, et alii multi egerunt, et duae exstant dissertationes, ante paucos annos editae a Cl. J. van Nuys Klinkenberg, ipso viro Cl. Praeside defensae, Amst. 1814, 1815.

Monuisse sufficiat, nos peccatum illud gravissimum ab iis tantum commissum esse censere, qui Spiritum Sanctum, divinum illum coadjutorem, per Apostolos loquentem et agentem, conviciis insectarentur, ipsiusque donis atque operationibus, et doctrinae adeo Christianae, miraculis confirmatae, divinam originem tribuendam esse negarent, et miracula, a Jesu edita, malis artibus adscribere non erubescerent (2).

Ex hoc genere fuerunt Judaei, in festo Pentecostes, Spiritus divini effectus ebrietati adscribentes. Act. II. Summus Pontifex cum suis asseclis, aliique, quos indicavit Vir. cl. pag. 31. seqq.

Recte igitur, ut mihi videtur, annotavit Lightfootus, peccati in Spir. Sanctum neminem fuisse reum, nisi, qui religionis Christianae originem divinam negaret (3).

Haec animadversio si procedat, sequi videtur, peccatum illud in loco Joanneo nequaquam in censum venire posse. Joannem enim constat scripsisse ad eos, qui Christo nomen dederant (4).

Huc accedit, quod Servator affirmavit peccatum in Spiritum Sanctum *οὔτε ἐν τούτῳ τῷ αἰῶνι οὔτε ἐν τῷ μελλοντι* remissum iri.

Scio equidem, magnum numerum exstare virorum doctorum, qui judicant, formulam illam, ex usitata tum temporis Judaeis distinctione interpretandam, et verba *οὔ-*

---

(1) Cff. Matth. XII. 32. et loca parallela Marc. III. 28. 30. Luc. XII. 10.

(2) Cff. van Nuys Klinkenb. l. c. P. II. pag. 30. F. V. Reinhard Christelijke Zedeleer. P. II. §. 171. pag. 483. in nota No. 27.

(3) Lightfooti Opera. Tom. II. ad Lucam XII. 9. Idem statuere videtur A. laud. diss. P. II. p. 3°; ubi peccatum in Spir. Sanctum crimen esse dicit Judaeorum *ἀπίστων*. cf. pag. 48.

(4) Cff. supra dicta Sectione I. §. 2.

τε ἐν τούτῳ αἰῶνι, ad tempus Vet. Test.; sequentia vero *οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι*, ad tempus Messiae referenda esse, ita ut sensus esset: « blasphemia in Spiritum Sanctum, neque « durante oeconomia Mosaica, neque sub Novo Foederere remittetur." Verum ista interpretatio, ex Rabbinorum scriptis desumta, non magni pretii videtur esse habenda (1). Malo igitur ab eorum stare partibus, qui verba *οὔτε* usque ad *μέλλοντι* ad futuram hominum, post resurrectionem, conditionem pertinere censent. In quibus sunt Glassius in Philol. Sacra ex Edit. Dathii T. I. p. 231. J. D. Michaëlis, in nova Vers. N. T. Nostro vero loco sermonem esse de vita ac morte naturali, supra demonstrare conatus fui, unde sequi videtur, de peccato in Spiritum Sanctum h. l. minime cogitandum esse.

2°. Aliam interpretandi viam ingressi sunt J. S. Semlerus, Paraphr. in 1 Jo. Epist. J. C. Doederleinius Instit. Theol. Christ. Vol. II. §. 200. p. 121. Edit. 6. Vlotenius in versione Bibliorum Belg. et Paraphrasi addita, Stronckius in Specimine plus semel laudato, p. 201 seqq. Nimirum h. l. sermonem esse putant de iis, qui publice tam atrocis et capitalis peccati rei facti erant, ut civitatis Christianae jure essent privandi, atque ita e societate Christiana ejecti, mortem civilem quasi subierant.

Verbum *θάνατος* nunquam eo sensu occurrere, Stronckius contendit. Doederleinius quidem provocavit ad 1 Jo. III. 14; eo autem loco sermonem esse de morte ac vita aeterna Brinkius l. c. pag. 83 demonstrare conatus est, et rem ad tantum probabilitatis gradum adduxit, ut non possimus non hujus viri sententiam amplecti, inprimis etiam collato loco in Euang. Joan. V. 24. ubi primum negando: *εἰς κρίσιν οὐκ ἔρχεται*, dein affirmando: *ἀλλὰ μεταβέβηκεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωήν*, similis exprimitur sententia, quam continet modo citatus Epistolae locus 1 Jo. III. 14. illos nempe, qui effatis Jesu Christi fidem habent, e statu mortis atque infelicitatis, in quo antea versabantur, ad societatem vitae aeternae transiisse (1). Neque monitum Joannis *οὐ περὶ ἐκείνης λέγω ἵνα ἐρωτήσῃ*, si ejus verba hoc modo intelligenda essent, ipsius indoli et animi sensibus, quos in hortando et monendo passim testatus est, satis convenire videtur. Putabimusne humanissimo doctori persuasum fuisse, omnem omnino deprecationem pro iis, qui gravius peccassent, supervacaneam fore, neque fieri posse, ut Deus *καρδιογνώστης* eorum animos ita flecteret, ut in rectam viam redirent, atque ita denuo in Ecclesiae gremium fraterno affectu benigne reciperentur? Quae quidem sunt ejusmodi, ut nos impediant, quominus huic interpretationi nomen subscribamus.

3°. Ad tertium genus interpretum illos refero, qui hac sententia, *ἔστιν ἁμαρτία πρὸς θάνατον*, *defectionem a religione Christiana* designari contendant. Praeivit Origines

---

(1) Si enim in loco Euangelii V. 24 sermo esset de *vita morali*, sive *morum probitate*, tamquam *fidei Jesu Christo datae sequela*, perperam dixisset Servator, *ὁ τὸν λόγον μου ἀκούων, ἔχει τὴν ζωὴν αἰώνιον, καὶ εἰς κρίσιν οὐκ ἔρχεται, ἀλλὰ μεταβέβηκεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωήν.* Dicturus tum fuisse videtur, *μεταβέβηκε γὰρ κ. τ. λ.*

de Oratione. T. I. pag. 256. (ex edit. de la Rue). Ex recentioribus sic verba explicuerunt Grotius, Harduinus in Commentario in N. T. Schoetgenius in Lex. Rosenmullerus in Scholiis, Carpzovius ad locum Epistolae, nec non Keilius l. c. §. 100. ubi conjunctim vult conferri loca Pauli 1 Cor. VI. 9, 10. Gal. V: 9—21. et hunc Joannis locum, in quibus de Idololatriae peccato sermo sit. Assentiunt quoque van Nuys Klinkenberg l. c. p. 111. Brinkius l. c. Cl. van der Palm aliique.

Hujus sententiae fautores tam claram nominis famam sunt consecuti, atque in arte interpretandi tanta valent auctoritate, ut ego juvenis non sine metu ac sollicitudine eorum partes relinquam. Cum autem non ab auctoritate tantum, sed etiam a rationibus pendeant animi judicia, nequaquam, ut spero, mihi vitio vertetur, si omni, qua par est, modestia, hanc veniam rogem, ut argumenta nonnulla in medium proferam, quibus ductus, etiam ab interpretatione virorum tam celebrium discedere ausim.

Fatendum est, idololatriae crimen omni tempore Deo tam vehementer displicuisse, ut ipsum mortis supplicium falsorum Deorum cultoribus constitueret, (Deut. XIII. 13 — 17. Jerem. XV). Plurimis vero Interpretibus probabile visum est, Epistolam hanc Joannis Ephesi conscriptam esse, in ea ergo urbe, ubi idolorum cultus maxime vigebat, ac splendidum illud Dianae templum esset exstructum, (cf. Act. XIX. 24 seqq.) Nequaquam ergo a verosimilitudine abhorret, Joannem Christianos contra crimen illud scelestissimum hortari voluisse. Supra vero demonstrare conatus fui, epistolam scriptam esse Christianis e Judaeis non minus, quam ex Gentilibus oriundis; illo inprimis usus argumento, quod plurima in hac Epistola obvia praecepta non Judaeos tantum, sed etiam Gentiles spectare videantur. Nostrum etiam locum inter ejusmodi praecepta universalia referendum esse, ex orationis tenore colligi posse, mihi visum est.

Nulla enim adest nota discriminis, et in hac ipsa dicendi formula, *ἁμαρτία οὐ πρὸς θάνατον* et *ἁμαρτία πρὸς θάνατον*, licet aliqua ex parte definita sit, desideratur definitivus articulus. Sermo est in universum de fratre quocunque, de *precando*, vel *non precando*. Refertur ergo ad omnes ita precantes Christianos, et sic exprimitur, ut ab omnibus Christianis, quaecunque eorum esset origo, intelligi posset. Haec vero si quid valeat animadversio, consequi videtur, monitum Joannis minus bene ad idololatriae peccatum referri. Tunc enim non universale esset, sed indicium aliquod requireretur, unde concludi posset, speciatim Christianos spectari e Gentilibus oriundos. Judaeis certe non opus erat tali admonitione. Constat Judaeos, post exilium Babylonicum tantopere ab idolorum cultu alienos fuisse, ut ne durissimis quidem cruciatibus ad eum reduci potuerint. Calamitates enim, quas durante illo exilio subierunt, nec minus recordatio praedictionum Mosis Prophetarumque, quas eo tempore suis oculis eventu probatas viderent, tum in misera suae gentis conditione, tum in aliarum gentium historia (1), ludibria insuper multiplicia, quibus essent expositi (cf. Ps. 137), et ardentissimum desiderium, recuperandi prohibiti tunc temporis avitae religionis usus, divina oracula denique in memoria vocata, de regno Babylonico a Cyro devastando (2); haec igitur omnia tantam vim in Hebraeorum animos exercuerunt, ut ne durissimae quidem comminationes et vexationes Antiochi Epiphanis eos, in patriam reversos, compellere potuerint ad Dei unius cultum deserendum. Quid? quod eorum in idololatriam odium adeo exarserit, ut religionem veterem, omni parte ad superstitionem usque servare, quam ad gentium mores et instituta compositam cogitandi rationem sequi, maluerint (3). Cap. V. 21. monentur Christiani, ut ab Idolis sese abstinerent, ibi vero diserte Christianos ex Gentilibus ante oculos habet, nostri vero loci monitum ad utrosque pertinere mihi videtur.

Quid vero de eorum sententia statuendum putemus, qui de Christianorum *ἀποστασίᾳ* in universum agi putant, Hebraeorum nempe reditum ad Judaïsmum, Gentilium vero ad Idololatriam?

Multis ita visum est (4). Saurinius inprimis sententiam illam exornavit. Duplex *ἀποστασίας* genus distinguit, alterum nempe eorum, qui minus calido religionis sensu imbuti essent, et sive perterriti metu cruciatuum, quibus multi affligebantur, sive muneribus oblatis occoecati, ad avitam religionem facile transirent; alterum eorum, quibus de religionis Christianae veritate intime persuasum fuerat, et, ut Scriptor ad Hebr. loquitur cap. VI. *μετοχοὶ γενηθέντες πνεύματος ἁγίου, καὶ καλὸν γευσάμενοι θεοῦ ῥῆμα*, tamen ex indolis pravitate atque odio veritatis, sincerae Christi doctrinae sese opponerent, eam abjurarent, Jesumque conuiciis insectarentur. Hi ergo, cum crimen *ad mortem* patrasse existimandi essent, hinc consequi videatur, quamquam id disertis verbis non declaretur, alterius criminis reos commisisse peccatum, non ad mortem.

Multum revera habet, quo sese commendet haecce interpretatio. Scriptor enim ad Hebraeos l. c. Hebr. VI. 3. 6 manifesto docet, fieri non posse, ut, qui semel Spiritus Sancti luce collustrati fuerant, donaque coelestia gustaverant, atque ita Spiritus Sancti participes facti erant, siquidem postea defecerant, denuo ad meliorem frugem revocentur. cf. cap. X. 26 seqq.

---

(1) Moabitarum v. c. Edomaeorum, Ammonitarum aliorumque. quos vana in idolis spes ac fiducia ab interitu vindicare non potuerunt. Jer. XXXXVIII. coll. Ezech. XXV. 8—11. Ies. XXXIV. 6—15. Ezech. XXV. 2—8. coll. Jerem. XXXXIX. 1—6. cff. porro Jes. XXXIII. Ezech. XXVI—XXVIII. Ezech. XXIV — XXXII. Jes. XLVI.

(2) Cff. Jerem. XXV. 12 et cap. LI.

(3) Cf. doct. J. Gerritsen, Comment. praemio ornata, De quaest. liter. cur Hebraei ante exil. Babyl. se ad idolorum pluriumque Deorum cultum valde propensos, postea, universe ab eo vehementer alienos ostenderent? in Acad. Rhen. Traj. 1822—1823.

(4) Cff. Lightfootus. l. c. p. 117, 118. Bengelius l. c. Saurinius in Orat. Sacris, in Sermone, cui titulus est. *Sur la nature du péche irrémissible.* cf. et Phil. Limborchius. Theol. Christ. lib. V. cap. 4. pag. 393, 394. edit. 5. Amst. 1730.

Fundamento autem, cui innititur haecce interpretatio, paulo accuratius inspecto, nonnullae occurrere videntur difficultates, quae prohibeant, quo minus illud peccatum revera Joanni ante oculos versatum fuisse censeamus.

Scriptor ad Hebraeos quidem profitetur, *ἀδύνατον εἶναι*, ut qui semel Spir. Sancti vi divina illuminati fuerant, sed vel sic tamen defecerant, denuo in melius converterentur, verum de ea tantum conversione cogitasse videtur, quae ab iis ipsis ad effectum perduci possit. Negare igitur Scriptor videtur, se suosque in ministerio Sacro collegas, eos, quibus tot tantaque dona Spiritualia obtigerant, at vel sic tamen ad Judaismum deficerent, iterata doctrinae divinae institutione, ad religionis Christianae professionem reducere posse. Quippe si argumenta, veritatem religionis Christianae confirmantia, quorum vim et efficaciam salutarem aliquando perceperant et agnoverant, eos nequaquam tam firmos reddiderant in fide Christiana, quominus eam dein desererent ac repudiarent, nequaquam sperari poterat, ut majore adhibita vi, permoverentur ad repudiatam et abnegatam religionem denuo amplectendam, et ex animo profitendam (1).

Id insuper animadvertendum est, quidquid in loco allato de ejusmodi transfuga affirmatur, ad eos solum spectare, qui religionem *professi essent*, nequaquam vero ad eos, qui illam *sincera fide amplexi essent.* « Primarii enim Christiani, uti recte « observavit Abreschius (2), etsi vera fide destituti essent, tamen miraculorum divi« norum vi et efficacia non minus, quam Spir. Sancti donis et muneribus, quorum « participes facti erant, multo majorem in universum habuerunt doctrinae Euangeli« cae veritatis praestantiaeque sensum, quam nostri temporis homines." Unde mihi consequi videtur, peccatum, quod in Ep. ad Hebr. c. VI. et X. describitur non adeo grave fuisse, ut qui illud commisisset, de hujus prorsus salute esset desperandum, neque adeo dici potuisse *ἁμαρτίαν πρὸς θάνατον*, quae denominatio inferre videtur, nullam sanationem vel restitutionem in melius exspectari potuisse.

Auctor quidem fatetur, *se suosque collegas*, ejusmodi transfugam, ad Christum reducere non posse, an vero inde sequitur, talis hominis conversionem prorsus desperandam esse? Quid? nonne *τὰ ἀδύνατα παρὰ ἀνθρώποις, δυνατά ἐστι παρὰ τῷ Θεῷ;* Certe historia docet multos Christianos, qui a religione defecerant, postea in ecleclesiam denuo receptos fuisse; neque in Sacra Scriptura ullam mentionem invenimus Christianorum, qui, postquam a vera religione Christiana defecerant, subitae mortis poenam subierint, vel poenam ejusmodi, tali peccato constitutam esse. Contra aliunde constat, nonnullos tres, imo viginti pluresque annos vixisse, postquam Trajani imaginem Deorumque simulacra jam essent venerati, Christoque maledixissent (1).

---

(1) Conf. van Nuys Klinkenb. l. c. pag. 69.

(2) Paraphr. et Annot. in Epist. ad Hebr. Spec. III. Lugd. Bat. 1790. pag. 176, 177.

Multae aliae exstant loci Joannei interpretationes, quas omnes enumerare ac recensere longum sit ac parum utile, cum longius etiam a veritate decedere videantur.

Romano-Catholici ad locum Joannis provocarunt, quo discrimen peccatorum *mortalium* ac *venialium* defendere conati sunt. Quid vero opus erat deprecatione, si peccatum per se esse veniale, certo certius constaret? Certe universum illud dogma repugnat doctrinae de vi meritorum Jesu Christi, quae tanta esse dicitur, ut omnium omnino peccatorum venia ab iis, qui in rectam redeunt viam, exspectari atque accipi possit. 1 Joan. I, 7, 9. II, 2.

Novatiani olim locum de peccato post baptismum intellexerunt, quo quis a poenitentia penitus excludatur (2). Hanc vero sententiam indoli doctrinae Christianae repugnare, demonstrari facile poterat, si id nunc ageremus.

Recentioribus nonnullis Interpretibus probabile visum est, atrociora intelligi crimina, quibus patratis, Christiani a magistratibus ad mortem condemnandi essent (3). Noluisse putant Apostolum, ut quis pro illis apud magistratus intercederet, ne Christiani in suspicionem adducerentur, talia crimina a Christianis parvi fieri. Nihil vero in contexta oratione reperitur, quod huic sententiae faveat, et videtur potius ejusmodi monitum ab Apostoli consilio abhorrere. Potius nihil non agere voluisse censendus est, ut officia caritatis, quoad ejus fieri posset, impleret, atque omnibus omni modo prodesset, ad ipsorum salutem, tam in praesenti, quam in futura vita promovendam. Mittimus opinionem eorum, qui ἀδελφὸν intelligunt infidelem, jam supra, ut spero satis superque refutatam.

§. 4. *Nostra sententia de sensu moniti Joannei.*

Recensita opinionum varietate, eo progressa est disputatio, ut nobis de vexatissimomo loco, quid videatur, libere et modeste exponamus. Verbis igitur Joannis, quantumpote circumspectis consideratisque, cum Epistolae consilio, tum contextus ratione, cogitandum esse videtur: de morbis illis extraordinariis, qui a Deo propter ingentia crimina Christianis primaevis immitterentur, ac pro facinoris gravitate vel μὴ πρὸς θάνατον vel πρὸς θάνατον essent.

---

(1) Cf. C. Plinius Caecil. II. in Epist. ad Trajanum. Epistol. Lib. X.

(2) cf. Augustinus in Libro: De vera et falsa poenitentia, Opp. Tom. VI. p. 713, 714. Antw. 1701.

(3) Conff. Rosenmuller in scholiis. G. S. Jaspis, in Annotatione ad Versionem Latinam Epistolarum N. T. Ed. secundae in h. l.

Multi magnique viri docti hac in re facem mihi praetulerunt. In his Werenfelsius, Zachariae, Storr, Hamelsveld, Celeb. Clarisse, aliique (1). Saurinius quoque hanc interpretationem recensuit, cui tamen visum est, rationibus satis certis eam haud inniti. (l. c. p. 297). An id recte dicatur, inquirendum putamus.

Nimirum a Theocratia, quae dicitur, id haud alienum fuit, ut propter grave aliquod crimen, omne genus malorum infligeretur, et ipsa subinde mors subeunda esset. Gentis Israëliticae historia plena est exemplis eorum, qui ejusmodi poenas luerunt, conviciorum in Deum, ipsiusque obstinato animo contemtorum mandatorum, veluti Pharaönis, Nadabi, Abihui, Corachi, Dathanis, Abiramis et sociorum, nec non Achabi, Sanheribi, Nebucadnezaris, Beltzazaris, ne de orbe diluvio antiquitus deleto, de incolis Sodomae et Gomorrhae, et Canaanitis jussu Dei exstirpatis dicamus (2).

Praeceptorum Mosaicorum, quae ad leprosos pertinent, ea est ratio, ac si leproso necesse esset, ut sacrificio piaculari cum Jehovah reconciliaretur, Lev. XIII, 18, 29. coll. 54—56. XVIII, 24, 25. Davides mala et infortunia, quae ipsi obtigerunt, sequelas esse judicavit peccatorum antea commissorum. cff. Ps. XXXII, 3—5. XXXVIII. XXXIX. Prophetae quoque seriores, morbos pestem aliave tristia fata, quae Israëlitis evenerunt, passim depingunt tamquam signa manifesta irae Jehovae Jes. I: 6. Jer. VIII, 17. XIII, 26. Hos. V, 12. Joël I. II. Amos. I, 13, 14, 15 (3).

Ne quis nobis objiciat, in stylo Orientalium permulta occurrere, in quibus singula verba et singulas phrases non premendae sint: ingenio enim poëtico in talibus multum tribuendum, et nequaquam ex imaginibus poëticis doctrinas definiendas es-

---

(1) S. Werenfelsii Opusc. T. I. p. 305. G. F. Zachariae, Kurze Erklärung der Briefe Jacobi, Petri, Judae et Joannis p. 208, 209. G. C. Storrii Opusc. Acad. Vol. I. p. 10. über den Zwek der Evang. Geschichte, und der Briefe Ioannis p. 174. Hamelv. de Bybel verklaard, parte ultima in h. l. Benzonus Paraphrastische Erklärung etc. Lips. 1761. fasc. IV. p. 225, 243. Cel. J. Clarisse, de brief van Jacobus, cet. p. 323. in nota ultima; add. diss. de Doctrina Iooannis Theoretica et morali, auctoribus O. van Tricht p. 117. et S. de Keyzer p. 18, quae exstant inter opera Societatis Haganae anno 1824.

(2) Vid. Exod. X. Levit. X. Num. XVI. 1 Reg. XXII. Jes. XXVII. Dan. IV. XV. Num. XV. Genes. VII. VIII. XIX. Et narrationes Gen. XXXIX, 7, 18. Num. XIV, 37. XII, 1. XXV. 3—9. 2 Sam. XXIV, 15, 25. 2 Reg. XXIV, 1—3. Jerem. XXX, 14. Dan. IX, 5—14.

(3) Cf. G. F. Seiler, Uber den Versönungstod Christi, Erster Theil. pag. 103, 104.

esse; rerum naturalium imperitia factum esse, quominus prisci aevi homines nexus causarum et effectuum rationes clare perspicerent. Unde repetendum sit, ut quaevis, a vulgaribus rerum cursu utcunque discedentia, causis supernaturalibus adscriberent (4).

Historiae vero supra commemoratae, tantum abfuit, ut poëtico colore exornarentur, ut multo magis stylo populari, sine ullis luminibus oratoriis vel poëticis simplicissime referrentur.

Neque etiam ea, sicuti multi contendunt, Deo indigna dicenda est doctrina, peccatum ei valde displicere, legumque suarum auctoritatem Deum poenis inflictis vindicare velle, et saepissime vindicavisse.

Quidquid hujus rei sit, nobis haud licet scriptorum Sacrorum dicta contorquendo pervertere, quoniam nobis cum divina majestate ac bonitate non conciliari posse videntur. Nolo autem contendere, semper, ubi sermo est de malis a Jehovah immissis, causas secundarias omnino excludendas esse. Ille enim, qui omnes causas aeque atque effectus praevidit, naturae vires legesque ita dirigere potuit, ut iis quasi instrumentis utatur in hominibus puniendis.

Hoc certe constare putamus, Deum subinde propter perpetrata peccata, diversi generis mala immisisse, etiam morte ea punivisse. Haud verosimile est, primaevorum hominum ingenium ad ejusmodi sublimes de Dei justitia et sanctitate notiones, quae apud Mosem jam occurrunt, ex semet ipso perventurum fuisse, nisi coelesti revelatione divinisque institutis adjuti fuissent; imo statuendum videtur, ne sagacissimos quidem philosophos ingenii sui vi tam perfectam Dei cognitionem consecuturos fuisse, quam in Davidis carminibus jam elucere, nemo non videt (2).

Etiam N. T. scriptores a notione irae divinae θεοπρεπῶς explicanda haud alienos fuisse, manifeste docent loca Rom. II, 5. III, 5. Hebr. III, 11. Rom. I, 18. 2 Petr. II, 5. Jud. 4—9, 14, 15. 2 Petr. II, 6—9. Matth. XI, 23. XXIV, 37, 39. Luc. XXVII, 26—32.

Arcte cum eadem cohaeret Jesu Apostolumque doctrina, de beneficio accipiendae a Deo peccatorum remissionis, quae sine agnitione justitiae et sanctitatis et peccando meritarum poenarum, cogitari haud posse, nemo est, qui non intelligat (3).

Fatendum est, Judaeos, aetate Jesu minus bene V. T. doctrinam de Justitia Dei pu-

---

(1) Cf. liber, cui titulus est: Apologie des Vernunft, cujus auctor habetur Bahrdtius p. 36, 51, 53.

(2) Cf. Jerusalem, Voorn. Waarheden, etc. P. III. Diss. 2. p. 171, 172, 182. Quod tamen non ita accipiendum est, ac si apud Graecos veteres prorsus insolita fuisset opinio, Deos immortales propter flagitium commissum etiam hac in vita subinde hominibus mala immittere. Inspiciantur loca a Cl. Van Voorst allata in diss., quam supra laudavimus, p. 46.

(3) Cf. egregia ejusdem disp. Over de Goddelijke Straffen pag. 56, 63, 105, 118. Ikenii diss. Phil. Theol. diss. 15. de unctione aegrotorum etc. Vol. II. §. 26. p. 641.

puniente interpretatos esse, et ipsos Apostolos, dum inter eos versabantur, ab opinione illa falsa non fuisse liberos, qua statueretur, quidquid hominibus mali contingeret, ex culpa peccando contracta originem trahere. Conf. Luc. XIII, 1 seqq. Joann. IX, 1, 2. Jesus Christus vero tantum aberat, ut sese ad populares istas opiniones accommodaret, ut iis multo magis strenue sese opponeret. Cf. contextus locorum modo citatorum. Profecto nobis cavendum est ab ea temeritate, ut quodcunque infortunium, quod aliis evenit, pristinorum malefactorum effectum esse judicemus; quae fuit judicii perversitas in sodalibus Jobi, a Deo ipso graviter reprehensa. Sane haud raro impios hac in vita videmus calamitatibus liberos, quibus pii saepe acerbissime affliguntur.

Haud minus certum est, singularem et prorsus extraordinariam variis modis ecclesiae Apostolicae et primitivae Dei fuisse procurationem, et saepe numero eum poenas positivas, quae dicuntur, hominibus flagitiosis inflixisse, propter ejusmodi nempe crimina, quae rei Christianae valde noxia et perniciosa judicaret, quo ipso stabilire et firmiora reddere voluit fundamenta, quibus societas Christiana superstrueretur. Manifesta subinde ipsi statuere placuit exempla, quibus palam innotesceret, quanti facinoris rei essent, qui divino illi consilio sese opponere auderent (1). In memoriam revocetur exitus Judae proditoris Act. I, 18. coll. sententia a Jesu antea dicta Matth. XXVI, 24. Herodis Agrippae Act. XII, Ananiae et Sapphirae Act. V, 5—9. Elimae Act. XIII, 10, 11.

In hanc partem quoque animadvertendum est, primos Christianos vixisse sub magistratibus Ethnicis, apud quos multa magnaque peccata ac scelera non modo non puniebantur, sed ne peccatorum quidem numero accensebantur. Nihil eos intererat, num Christiani Sacram coenam celebrarent ad Jesu Christi memoriam concelebrandam, dummodo Respublica haud turbaretur. Itaque ne Christianorum nonnullorum improbitas majora incrementa caperet, et rei Christianae summam noxam imo interitum afferret, neque legibus et statutis ecclesiasticis ordinariis reprimi posset, ipse subinde Deus magistratus provinciam suscepisse, judicisque partes egisse, et peccata modo extraordinario in oculos incurrente, punivisse videtur (2). Cujus rei exemplum habemus in coetu Corinthiaco, ubi multi, sacro epulo indigne et impie administrato, morbis repentinis et omnino extraordinariis infligebantur, quin mortem praematuram subierant. cf. 1 Cor. XI, 30.

Haec in universum de poenis propter commissa crimina graviora, singulari Dei judicio inflictis, forte justo fusius altiusque repetita, sed non sine causa tamen, ut opinor disputavi, quo luculentius appareret, sensum historicum loci Joannei nequaquam a doctrina Apostolica, et recepto ea aetate loquendi usu abhorrere, si propositam interpretandi rationem sequamur, idque eo magis, quod, uti supra demonstrare conati sumus, voces ζωὴ et θάνατος proprie sumendae esse videantur.

---

(1) Cf. Cl. J. van. Voorst, l. c. p. 117.

(2) Cf. Werenf. l. c. p. 405.

Ἁμαρτία igitur μὴ πρὸς θάνατον ejusmodi erat peccatum, quo quis gravem aliquem morbum, nec tamen insanabilem sibi contraxerat, adeo ut de sanatione haud prorsus esset desperandum. Si quis autem, inquit Joannes, fratrem suum viderit, qui ejusmodi peccatum non ad mortem commiserit, αἰτήσει καὶ δώσει αὐτῷ τὴν ζωὴν i. e. in hujus gratiam preces fundat, precibusque suis a Deo impetrabit, ut veniam illi concedat, et valetudinem restituat.

Nimirum Deo, qui in primitiva ecclesia crimina a Christianis commissa, etiam hac in vita, poenis subinde extraordinariis infligendis, coërcere solebat, omnino probabantur preces ἐνεργουμέναι ad impetrandam gratiam divinam, cum ad meritas poenas a peccantibus avertendas, tum mitigandas, vel et auferendas. Conf. 1 Cor. XII. 9, 28, 30.

Huc referendum puto, locum Jacobi Cap. V, 14—16 (1), ubi Christiani monentur: « Si quis inter vos aegrotat, ad se arcessat Presbyteros (2), qui oleo eum ungant, et « pro ejus salute preces fundant (3); quorum preces eam habiturae sint efficaciam, « ut aegrotantem morbo liberent: Dominus enim ad eorum vota, ipsi sanitatem re« stituturus est; quin etiam, si graviter peccaverit, et sic quidem, sibi morbum gra« vem sua ipsius culpa contraxerit, Dominus etiam talium peccatorum concedet ve« niam" (4).

---

(1) Locum illum nequaquam de extrema unctione ac confessione auriculari explicandum esse, demonstravit Ikenius. l. c.

(2) Τοὺς πρεσβυτέρους pro τὸν πρεσβύτερον, aliquem in coetu, cujus socius esset, presbyterum. Ut saepe plurale genus usurpatur pro singulari.

(3) Qualis mos etiam inter Judaeos obtinuit, quorum antistites ac Doctores non solum in Synagoga hoc officio fungebantur, verum etiam eandem ob causam aegrotos invisere solebant, uti late docet Buxtorfius, in Synag. Judaeorum cap. IL. cit. ab Ikenio l. c. pag. 634.

(4) Ita enim verba illa Jacobaea accipienda videntur: neque igitur iis assentior, qui toto hocce loco de morbis ob certa peccata a Deo modo extraordinario immissis cogitandum esse censent, veluti Werenfelsius, Bensonius, Wolfius aliique. ἀσθενεῖν enim omnem imbecillitatem aut infirmitatem tam *mentis*, quam *corporis* denotat. Porro conjunctio κἂν h. l. conditionate videtur esse accipienda; ubi enim duae res, (est observatio Ikenii), in eadem orationis serie conjunguntur, quarum prior *nude* affirmatur, posterior vero *intercedente hacce particula*, ipsum orationis filum suadere videtur, ut res posterior conditionate accipiatur. cf. Marc. XVI, 17, 18. Denique additamentum κἂν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκὼς κ. τ. λ. aliquid insoliti denotare videtur, de quo antea nondum sermo fuerat; ceteroquin enim frigida est ac supervacanea repetitio a Jacobo prorsus aliena. Tandem accedit, quod ex horum virorum interpretatione sequeretur, Apostoli consilium fuisse, nullis aegrotis, nisi extraordinario morbo ob graviora crimina im-

Sic et in loco Joannis, ille, qui preces *κατὰ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ* i. e. modeste ac reverenter et fiducia in Deo posita, in gratiam fratris fundit, ille vitam ei redditurus, sive vitae ipsi restitutae auctor esse dicitur.

Ne autem quis in ea opinione versaretur, cujuscunque generis peccati tristes effectus deprecando tolli posse, sibique adeo persuaderet, Deum quasvis aliorum pro aliis preces benigne exaudire velle, diserte monet Apostolus, se tantummodo loqui de *ἁμαρτάνουσι μὴ πρὸς θάνατον*. Exsistit enim, inquit, *peccatum ad mortem* i. e. peccatum exitiale, quod Deus nolit, etiam in hac vita, impunitum manere, quod adeo poena exemplari sit coërcendum ad causam Dei, et Jesu Christi, et Ecclesiae Christianae tutandam et vindicandam.

Περὶ ἐκείνης οὐ λέγω ἵνα ἐρωτήσῃ. Dicere voluit Epistolae scriptor: « Intelligitis monita precedentia ad hoc peccatorum genus minime pertinere. Quod enim constituit « Deus, *παρ' ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγὴ ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα*, nullis id hominum precibus irritum reddi potest. Omnes igitur pro ejusmodi hominis salute, sive pro ejus sanatione fusae preces, Deo minime probatae, atque adeo frustraneae sunt." Cujusmodi autem generis fuerint ista peccata *πρὸς θάνατον*, certo haud definiri potest, propter tenebras, quibus primorum Christianorum coetuum historia involuta est. Haud a verosimilitudine abhorret, ejusmodi fuisse delicta, quae religioni et societati Christianae valde noxia essent, et vel ipsa rei natura, vel supernaturali Dei accedente vindicta, morbos post se traherent insanabiles ac letiferos; ex quo genere fuisse morbos, quos respexit Paulus 1 Cor. XI, 30. coll. c. 21, 22, 31, 32, plerisque Interpretibus visum est (1). Scilicet admodum turpis et impia intemperantia et animi perversitas, qua nonnulli ad Sacram Coenam accederent, omnino tendebat ad improbum sanctissimi ritus, et universae rei Christianae, atque adeo ipsius Dei et Jesu Christi contemtum, quem Deus, ad hanc causam vindicandam, palam et graviter punire voluit.

Superest quaestio: quomodo istiusmodi morbos ab aliis, qui non essent *πρὸς θάνατον*, distinguere possent Christiani, quae ut solvatur, sequentia animadvertere liceat.

---

misso laborantibus, hac ratione succurrendum esse. cff. quae ad h. l. animadvertit Cl. van Nuys Klinkenberg. l. c. p. 108.

De oleo quaesitum est, quorsum spectaverit: sunt, qui sanitatis restituendae adminiculum fuisse putent. Alii unctionem, actionem Symbolicam fuisse statuunt. Quaestiones illae nunc ad nos non pertinent. Monuisse sufficiat, unctionis usum tanquam aptum remedium ad recuperandam, Deo volente, sanitatem, nobis haud prorsus excludendum videri; sed accedere debuit precatio, quae adjunctam haberet fiduciam in Deo, cui convalescentes salutem deberent; cff. Iken. l. c. p. 636. F. V. Reinhard. Christ. Zedeleer. Parte IV. §. 261. pag. 134. in nota. No. 116. Ed. Belg., anno 1809.

(1) Cff. J. S. Semlerus ad h. l. et supra nott.

1. Apostolis, aliisque Doctoribus extraordinariis, contigit ἡ διάκρισις πνευμάτων. 1 Cor. XII, 10. cujus χαρίσματος ope, multo magis, quam homines vulgares, eorum, qui Christianam religionem profitebantur, indolem et animi studia perspiciebant, et, qui rem serio agerent, ab hypocritis dignoscebant. cf. historia Ananiae et Sapphirae Act. V. nec non Hymenaei et Alexandri notatio 1 Tim. I, 20. Conf. etiam locus 1 Cor. V, 5. et gravis Pauli reprehensio multorum, qui in coetu Corinthiaco simulate res sacras tractabant, quorum pravitatem probe perspexit. l. c. Qui igitur hac divinitus collata dote praediti essent, iis dubium non esse potuit, num morbus ex genere esset eorum, qui consequebantur ἁμαρτίαν πρὸς θάνατον, nec ne.

2°. Quicunque graviter aegrotabat, nisi conscientiae vis prorsus ei esset exstincta, optime scire poterat, num aegrotando poenam lueret, et quidem ad mortem, nec ne. Nam licet temerarium sit, atque injustum, res quasque adversarias, quibus alii premantur, poenas dicere divinitus immissas, et inique de actionum quarumcunque, consiliis et sequelis judicare, ita tamen sumus homines, ut ipsi calamitatibus obruti, conscientiam malefactorum suffocare non facile possimus. Nemo non ad se attendens, in rebus adversis animadvertit, num quid commiserit, sit vitio vertendum et poena dignum (1).

In iis subsistendum putamus, atque adeo acquiescendum in conatu, tradendae verborum difficilium interpretationi, quae propter simplicitatem, nec minus propter convenientiam cum illorum temporum historia, habere videtur, quo se commendet (2).

Neque desperandum existimamus de ejus nexu cum analogia doctrinae, de diligendis omnibus hominibus, quae, verbis hoc modo intellectis, nullam nobis jacturam facere videtur: quod in altera hujus Commentationis parte nobis demonstrandum restat.

---

(1) Cf. H. Blair Leerredenen. P. I. p. 150. Aliam quaestionis solutionem proposuit Werenf. l. c. quae tamen minus probanda videtur: quidquid hujus rei sit, in eo autem omnes consentiunt, aegrotantes sive non ad mortem, sive ad mortem, à Christianis dignosci potuisse.

(2) Summo etiam Ernestio, ea interpretatio propter simplicitatem ac facilitatem valde placuit. Vid. ejus Theol. Bibliothek. T. III. p. 53.

❋

SECTIO TERTIA.

DISQUISITIO, QUOMODO MONITUM JOANNEUM CUM PRAECEPTIS, DE DILIGENDIS OMNIBUS HOMINIBUS, IN CONCORDIAM REDIGI POSSIT.

Etiam hanc quaestionis propositae partem Viri Clarissimi dignam censuerunt, quae accuratius tractaretur, quomodo nempe monitum illud Joanneum cum aliis, de diligendis omnibus hominibus, praeceptis, in concordiam redigi possit.

Breviter tamen id absolvere liceat. Pertinet enim hoc monitum ad primitivos tantum Christianos, neque adeo comparandum est cum officiis, omnium hominum omniumque aetatum, universalibus; praeceptum vero complectitur temporale. Sed vel sic tamen inquiri meretur, num ex ea loci interpretatione, quam assumsimus, consequatur aliqua moniti Joannei repugnantia, cum apertis Jesu Apostolorumque monitis, alibi obviis.

Profecto omnium, quae in religione Christiana nobis praescribuntur mandatorum, summum et primarium est illud, quo officium caritatis inculcatur. Nullum est officium, quod saepius commendatur, nullum cujus obsequium magis aperte et expresse requiritur. Ipse Jesus Christus discipulis suis caritatem fraternam ita praescribit, ut cuique in oculos incurrat, eum hoc officium spectasse, tanquam omnium summum et quasi fundamentum, quo neglecto, nemo in discipulorum suorum consortium recipi possit. Conf. ex multis locis in Euang. Joan. Capp. XIII, 14, 15, 35. XV, 12, 17. Neque id haberi voluit pro novo anteaque inaudito praecepto, sed dilucidius proposuit, tanquam latissime patens, et nullis limitibus circumscribendum.

Sui temporis Judaei huc pertinentia praecepta Mosaica justo arctius constringebant, et sic explicabant. « Proximum tuum, tui ipsius instar, amore prosequaris, « inimicum vero tuum, odio afficere licitum est." Vid. Matth. V, 43. coll. Lev. XIX, 17. Jesus Christus vero monuit, omnes homines, etiam inimicos, nos oportere non modo ferre, sed etiam amore prosequi. Matth. V, 44. Luc. VI, 27, 28, 29. Luc. X, 30 seqq. Matth. XVIII, 21 — 35. Luc. XVII, 3, 4. coll. 1 Jo. II, 7, 8. 2 Jo. 5.

Apostoli quoque, ut divini magistri vestigia passim presserunt, ita et quavis fere pagina, ad caritatem fraternam Christianos cohortati sunt. Vidd. Rom. XII, 10. XIII, 8, 9, 10. 1 Cor. XIV, 1. Ephes. IV, 2, 15. V, 2. Hebr. XIII, 1. 1 Tim. VI, 11. 1 Petr. II, 17, 21. III, 8. 1 Jo. III, 16, 17, 18. IV, 7, 8, 11, 21. Cum fide Christiana caritatem indissolubili nexu conjunctam spectandam esse, diserte praecipiunt, et obtestantur. Conf. Gall. V, 6. 2 Petr. I, 5 — 7. 1 Jo. IV, 15 — 21. Amorem sincerum, quo alii alios amplectantur, et alii aliis prodesse studeant, primum ac primarium dicebant esse documentum, quo vere Christiani, ab aliis dignoscantur; nimirum germanos fructus, et effectus fidei veri nominis, in eo praecipue cerni, quod, qui Christiani dici velint, omnes, sine discrimine homines, amore prosequantur. 1 Petr. I, 22. Cff. Jo. XIII, 35. Eph. V, 1. praecipue quidem in eos ita affectos illos esse oportere, qui sint *οἰκεῖοι τῆς πίϛεως* Gal. V, 10. Similem vero affectum, et similia studia eos decere, erga cujusvis generis familiaeve homines, conf. 2 Petr. I, 75. et doctrina Servatoris in parabola Luc. X, 30 seqq.

Inter omnia ergo officia, quae religio Christiana inculcat, eminet officium amoris, tanquam vinculum omnium. « Si quidem, inquit, Jacobus, legi paretis regiae, « quae sic literis est prodita: *alterum ut te ipsum diligito*, recte facitis.” II, 8. coll. I, 27.

Paulus *σύνδεσμον* dixit *τῆς τελειότητος*. Coloss. III, 14; elibi: « qui fratris amans « est, inquit, omnibus legis praeceptis obsecutus esse consetur, Rom. XIII, 8, 9, 10. Deus enim, qui ipse amor est, de hominum mutuo amore gaudio afficitur, Hebr. VI, 10. Praeterea caritas fraterna multa deteget peccata 1 Petr. IV, 8. Jac. V, 20. Paulus saepe indicat, se judice, hanc, quasi votorum pro Christianis summam esse habendam, ut mutuo se invicem amore prosequantur, veluti Eph. IV, 2. Phil. I, 9. II, 2. Coloss. I, 4. 1 Thess. III, 12. et de incrementis caritatis Christianorum ad se perlatis, valde delectari. Eph. I, 15. 1 Thes. I, 3. II, 6. 2 Thess. I, 3. Philem. 4 et 5.

Variis autem modis caritatis officium expleri potest, sive ipso actu, ubi opus est, omnibus succurrendo, praesertim in rebus adversis, sive alia quacunque ratione, eorum votis et commodis inserviendo, eos docendo, monendo, hortando, consolando et omnino in studiis verae religionis ad omnem vitae usum confirmando. Cerni inprimis debet in precibus, pro omnium et singulorum salute passim ad Deum fusis.

Ubivis in Sacris literis occurrunt precum pro aliorum salute pie et Deo probante fusarum exempla, tum in Vet. tum in N. T. Conf. Gen. XX, 7. Exod. VIII, 12. X, 18. 1 Sam. VII, 9. Jerem. XXIX, 7. Luc. XIII, 34. Act. X, 1. Eph. III, 14 — 19. Rom. X, 1.

Ejus

Ejusmodi preces, ut ab ipso Servatore, ita etiam ab ejus Apostolis pro fratribus deprecationes commendantur. Matth. V, 44. coll. Luc. XX, 34. 1 Tim. II, 1. Rom. XII, 14. Eph. VI, 18—20.

His vero monitis et mandatis locus Joanneus videri possit repugnare. Tam graviter peccari posse indicat, ut nolit pro iis, qui talia flagitia commiserint, preces fundi. An igitur homo infelix, talium criminum reus, sibimet ipsi erat relinquendus? An nemini licitum erat, ei prodesse, ejusque animi salutem curare? Quomodò quaeso hoc monitum Joanneum, cum praeceptus Paulinis, et ipsius Jesu mandatis concilietur?

Nobis quidem ad quaestionem hanc, paulo difficiliorem, expediendam, animadvertenda videtur necessitas cautionis in judicio de precum usu adhibendae.

Negari nequit, Sacram Scripturam nos diserte monere, περὶ πάντων (1) preces esse fundendas, sed caye credas, monita illa, ita accipienda esse, ac si perinde esset, qualis sit illius animi conditio, in cujus gratiam preces fiant.

Quae in Vet. T. occurrunt exempla eorum, qui pro aliis intercederent, ut veniam obtinerent malefactorum, vulgo continent quoque mentionem sincerae poenitentiae animique ad meliorem frugem redire cupientis. Cff. loca, Gen. XX, 7, 14, 17. Exod. XXXIII, 4—10. XXXIV, 6—9 seqq. 1 Sam. VII: 5—9. 1 Reg. XIX. 39—42. Ubi autem nulla adessent resipiscentiae documenta, ibi deprecationi non concedebatur locus.

Prophetae subinde ab ipso Deo prohibiti sunt, quominus precibus intercederent pro gente Israëlitica in peccando obdurata, idolorumque cultui prorsus dedita: cf. Jer. VII, 16. XI, 14, seqq. XIV, 11. XV, 1. Ezech. XIV, 13—21.

Similis fuit ratio precum, quas pii homines seriore aetate, veluti Apostoli, pro aliorum salute adhibuisse leguntur. Non sane perinde esse existimarunt, quomodo illi animati essent, in quorum gratiam preces funderent. Non utique tam officiosi erant pii Jesu asseclae erga eos, qui se a Deo Jesuque Christo alienos ostenderent. In gratiam vero credentium Joannes et Petrus optato successu precati esse leguntur, Act. VIII: 13—17, non item pro Simone Mago, qui non ex animo fidem profiteretur, et improbo consilio Apostolorum opem et intercessionem apud Deum impetrare cuperet. vid. ibid. c. 18—24. Paulus ipse, qui saepe Christianorum invocat deprecationes, (Rom. XV, 30. Eph. VI, 19. Coloss. IV, 3. 2 Thess. III, 1.) ad recti conscientiam, atque ardorem provocat, quo erat incensus, et quo adeo se honeste ipsis commendadaret. Conf. Act. XV, 26, 33—35. XXIII, 1. Col. III, 10, 12. Idem graviter obtestatur Scriptor ad Hebraeos Hebr. XIII, 18.

---

(1) Πάντων, tamen notio non premenda est. 1 Tim. II, 6. Nam πάντες saepe, sicuti Col. I, 23 non *omnes omnino*, sive *omnes* et *singulos*, sed *omnis generis homines* denotat. Ita et loco allato 1 Tim. II, 6, accipi, contextus docet. Conf. comm. 7, seqq.

Hinc fortasse repetendum est, quod pro coetibus Ephesiorum, Philippensium, Colossensium, Thessalonicensium tam saepe preces fundere et gratias Deo agere soleret Paulus, quod rarius fecit pro Corinthiis, ne semel quidem pro Galatiis (1). Nequaquam vero hinc concludendum est, haudquaquam licitas esse preces pro indignis, et vero religionis sensu haud imbutis. Ipse Jesus non tantum hoc permisit, ut etiam salutem indignorum et adversariorum optemus, diserte monuit inimicis quoque benefaciendum, et pro iis precandum esse, et suo exemplo nobis praeivit, Luc. XIX, 41, 42. XXIII, 34.

Paulus quoque declarat, se nunquam non ardenter preces fundere pro gente Israëlitica, rei Christianae et Christianis quam maxime inimica, Rom. X, 1. Et universale exstat ejusdem hac de re monitum, ibid. XII, 19—21. Servator vero, etsi benevolentiae nostrae erga inimicos documentum esse voluit propensionem ad condonandum, Matth. VI, 14, 15, requisivit tamen eorumdem erga nos, in melius conversa studia Luc. XVII, 3, 4. Et quo erga eos, qui male agendo perseverarent, esset animo, demonstravit exemplo posito Judae proditoris Matth. XXVI, 24. Et hic denuo usu venit comparatio eorum, quae Ananiae et Sapphirae evenerunt Act. V, 1—10. Profecto preces, quas pro aliis fundimus, nullum omnino effectum ipsis habere possunt salutarem, nisi ipsi ardore flagrent, ea consequendi, quae a Deo petantur (2).

Jam igitur, si quis Christianis se adjunxerit, at vel sic tamen Christiana professione prorsus indigna peccata commiserit, ut mortem, quam Deus comminatus sit, effugere nequeat, et divinas omnes admonitiones, quibus ad Deum et Christum revocatur, spernat, et irrideat, neque divina effata, de sorte futura eorum, qui ipsum deserant, plane non curet, atque ita ad interitum ruat aeternum, facile est intellectu omnes pro istiusmodi homine preces prorsus esse frustraneas, quippe qui ob scelera patrata, nullum persentiat dolorem, neque ad resipiscentiam perduci posse videatur. Quae cum ita sint, praeceptis de omnibus diligendis hominibus minime repugnare nobis videntur Joannis Apostoli dicta, περὶ ἐκείνης οὐ λέγω ἵνα ἐρωτήσῃ. Medico utique nequaquam vitio verti potest, quod aegrotantem praeteriit intactumque relinquit, qui illo uti recusat medicamine, quo facilius citiusque sanitatem amissam recuperare posset.

Fateor quidem, me in praecedentibus hypothesin sumsisse, quae haud satis firmis niti videri possit fundamentis, videlicet fratrem intelligi, qui non solum peccatum ad mortem perpetraverit, verum etiam morte impendente et jam jam super-

---

(1) Cff. loca Eph. I, 16, 17, 18 seqq. III, 14, 20. Phil. I, 3, 4, 9. Col. I, 3, 9. coli. II, 5. 1 Thes. 1, 2, 3. II, 13. 2 Thess. I, 3, 11, 13. cum 1 Cor. I, 4. 2 Cor. XIII, 7, 9.

(2) Cf. J. Hinlopen, Vervolg van overdenkingen p. 102, 130.

venturâ, nondum ad resipiscentiam commoveri potuerit. Eodem verò jure, assumi posse censeo fratrem, terrore perculsum, fractum animo, vivido dolore affectum, animique angore dilaceratum de judicio futuro, quod super eo habiturus est summus ac sanctus Deus: illo igitur posito casu, moniti Joannei cum praeceptis alibi obviis, de omnibus diligendis hominibus reconciliandi, superesse videtur difficultas. Verum animadvertere liceat:

1°. Apostolum non praecipere, ut talem hominem odio prosequerentur Christiani, cui Deus, sive ad auctoritatem legum statutarum tuendam, sive ad religionis divinitus patefactae servandam dignitatem, tales, ac tantas poenas comminatus sit. Ejusmodi enim contemtus valde injustus esset, atque inhumanus; in multis omnes, quotquot Christiani dicuntur, a recta saepe via aberrant, et quicunque stat, videat, ne cadat. Tristia istorum fata alios absterreant, cum eadem vel similia immineant a recto tramite digressis Conff. Act. V, 13. 1 Cor. V, 32. Gal. VI, 1.

2°. Caritatis officiis satisfacere, nequaquam dici quis potest, qui eo sit animo inconstanti et imbecilli, ut aures praebeat quibusvis desideriis, quae nefaria sunt existimanda: sicuti enim in amicitia primaria lex est sancienda, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati (1), sic etiam in caritatis officiis exsequendis, id inprimis tenendum est, ut a fratribus honesta petamus fratrumque causa honesta faciamus.

Suos ergo habet limites mandatum de intercessione, neque manat ea circumscriptio ex mentis humanae affectu, sed ex Dei, ut videtur consilio, et ipsa praecepti ratione. Divinis igitur ac sapientissimis consiliis resistere vel ea contemnere videtur, si nihilominus, quis Deum precetur, ut eo modo peccantibus veniam det, et effectus avertat, quos ex ipsa rei natura ejusmodi peccata post se trahant. cf. Marck. l. c.

Denique animadvertendum est, Joannem quidem monere, *περὶ ἐκείνης οὐ λέγω ἵνα ἐρωτήσῃ.* « Pro isto peccato, non dico, ut quis intercedat, non opus censeo monere, « Deum precibus non adeundum esse, ut Deus ea mala, quae ex lege divinitus statuta « istud peccatorum genus necessario consequantur, atque adeo mortem avertat." Indicat ergo, ejus, qui hoc modo peccet, *salutem vitamque terrestrem* prorsus esse deperditam. Nequaquam inde concludi poterat, etiam *de salute aeterna* plane actum esse. Morbo laborat exitiali, acerbissimis corporis doloribus non minus, quam conscientiae angoribus vexatur, neque ignorat se propter turpissima flagitia mortis reum esse, gloriam Dei et Jesu Christi et sanctissimam Religionis causam supplicium illud postulare, nullam omnino superesse spem, fore, ut sanitas ei restituatur. Similis ejus conditio cogitari potest, ac malefici in carcere inclusi; judicis jam pronuntiata sententia, mors certissima exspectanda est. Quis vero tam parum sit humanus, imo ab omni humanitatis sensu destitutus, qui homini infelici, denegare ausit pii monitoris et consolatoris alloquium, qui de rebus actis et instanti jam morte cum eo disseserat, qui gravitatem quidem delicti haud imminuat, sed ea tamen interponat, quae ad animum tranquillandum conducere possint, qui justitiae quidem divinae ac sanctitatis rationes animadverti velit, simul tamen animum contristatum sublevare studeat, eique solatio, ex divinae gratiae magnitudine, et vi meritorum Christi petita afferre conetur eo consilio, ut ad poenitentiam et resipiscentiam commotus, animo non sereno quidem, neque tamen omni spe melioris postea consequendae sortis destituto, poenam statutam subeat. Ita etiam ei, qui commiserat. *ἁμαρτίαν εἰς θάνατον*, quamquam intelligeret, poenam meritam haudquaquam averti posse, tamen roganti, hoc beneficium concedi poterat, ut quis eum adiret ex senioribus, qui ad bene et tranquille moriendum exhortaretur, et viam sic moriendi commonstraret; quam certe nemo Religionis doctor vere Christianus cuiquam serio poenitenti atque ad immensam Dei gratiam pie confugienti, praecluserit.

---

(1) Cic. de Amic. cap. 12.

Lucem afferre possit collatio loci Paulini 1 Cor. V: 3—5. *Ἐγὼ μὲν γὰρ ὡς ἀπὼν τῷ σώματι, παρὼν δὲ τῷ πνεύματι, ἤδη κέκρικα ὡς παρὼν, τὸν οὕτω τοῦτο κατεργασάμενον. Ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ, (συναχθέντων ὑμῶν καὶ τοῦ ἐμοῦ πνεύματος), σὺν τῇ δυνάμει τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ παραδοῦναι τὸν τοιοῦντον τῷ σατανᾷ εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκὸς, ἵνα τὸ πνεῦμα σωθῇ ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ*; ubi formula *παραδοῦναι τὸν τοιοῦτον τῷ σατανᾷ*, multis judicibus interpretibus significari videntur morbi extraordinarii, quibus Christiani scelerum graviorum rei, singulari subinde Dei judicio, affligebantur, et eo ipso, e coetu Christianorum removebantur (1). Id certe ex opposita mentione *σαρκὸς* et *πνεύματος* liquet, ejusmodi sequelas, criminum perpetratorum, atrocissimas intelligi, quibus corpus quidem graviter excruciabatur, sed animus tamen salutem nancisci poterat *ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ*. cff. 2 Cor. X, 6. XIII, 2.

Quidquid hujus sit, monitum Joannis, nihil complecti, quod cum aliis praeceptis, de omnibus diligendis hominibus pugnet, et omnino haec in concordiam redigi posse, pro viribus ostendere conatus sum.

Qui autem hac in re, nobiscum minus consentiat, neque intelligi posse putet, quomodo haec cohaereant, caveat, ne Apostolum Joannem accuset, ut qui monitum daret cum caritatis praeceptis, minus bene conveniens; ille qui per totam vitam, nil nisi amorem Christi, et Christianorum erga se invicem, spirabat, qui morti proximus dixit: «*filioli, vos invicem diligatis:*" Penes me potius hujus animadversi defectus culpam esse statuerim, qui nondum eo sim profectus, ut in Joannis sensum animumque intime penetrare didicerim.

Conamur tenues grandia.
HORAT.

---

(1) Conff. Grotius, Cl. v. d. Palm, Vlotenius et Pottius.

TANTUM.

HENRICI GULIELMI WAARDENBURG,

LINGENSIS,

7201

MEDICINAE IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA STUDIOSI.

COMMENTATIO

AD

QUAESTIONEM AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM, ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE, EX HISTORIA NATURALI A. MDCCCXXVI PROPOSITAM:

Quaeritur Historia Naturalis animalium Molluscorum regno Belgico indigenorum.

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT D VIII MENSIS FEBRUARII
A. MDCCCXXVII.

COMMENTATIO

AD

QUAESTIONEM ZOOLOGICAM.

INTRODUCTIO.

Rerum naturae contemplatio non immerito laudari solet, cum ad delectandum animum cumque puriori voluptate perfundendum aptissima sit, et utilium quarumvis observationum fontem praebeat inexhaustum. Ducimur etiam hoc studio ad quarumvis virtutum cultum ad bene beateque vivendum. Equidem hanc contemplationem et investigationem naturae unicam esse in his terris beatitudinem arbitror, summo bono veterum aequiparandam; mihique semper gratissima erit horarum, quas huic studio impendi, recordatio, dolore tamen, quod praeterlapsae sint, mixta quodammodo ac temperata.

Cum aliquot dies ante ferias quaestionem ex Historia Naturali studiosis propositam legerem, consilium cepi in conscribenda hacce commentatione vires meas periclitandi; quo simul capto mihi orta est opportunitas, dilectissimis naturae studiis indulgendi iisque incumbendi toto animo. Proposita vero quaestio haec est:

« Quaeritur historia naturalis animalium Molluscorum regno Belgico indigenorum."

Cui quonam modo, quonam ordine responderem diu incertus fui; tandem vero postquam varios historiae naturalis partis illius auctores pervolveram et post multam de rebus, quas legeram, cogitationem, mihi alienum non visum est, de Molluscis, quo melius indigenorum hujus classis animalium naturam habeamus perspectam, primo loco in genere dicere; dein de Molluscorum speciebus indigenis.

Primum igitur brevem dedi conspectum Anatomiae, Physiologiae, et vivendi rationis animalium Molluscorum, qui conspectus primum constituit caput. Brevissime quidem hoc caput est elaboratum; ad hanc vero brevitatem coactus sum ob parvum temporis mihi concessi spatium, cum nullum nisi feriarum tempus huic opusculo impendere potui. Quod ad Anatomiam pertinet et Physiologiam praecipue quidem Cuvierii usus fui operibus, ob hujus viri in hac re magnam praestantiam, cujus etiam Molluscorum divisiones majores in secundo capite secutus sum, quia Anatomia fundamento nituntur. Ad finem Capitis Primi tabulam addidi Terminorum, quibus usus sum. In secundo dein capite, quae hujus classis animalium inveni indigena enumeravi, determinavi, additis locis, ubi inveniuntur: hoc in capite, quod ad sub divisiones pertinet, genera et species, primus mihi dux fuit Lamarckius, utpote qui plurimas annotavit species, easque secundum formam testae praecipue, neque minus accurate determinavit, Pfeifferus porro, alii. Omnes autem, quas enumeravi species, exceptis paucis mihi ab amicis allatis, ipse inveni et asterisco notavi, quas ut invenire possem varia itinera instituere debui, quae multum mihi temporis demerunt, quaeque si modo diutius continuare potuissem, frequentiora sane illa fuissent.

Hisce jam praemissis ad primam partem aggrediamur.

⁂

PARS PRIMA.

GENERALIS HISTORIA NATURALIS ANIMALIUM MOLLUSCORUM.

§. 1.

Definitio animalium Molluscorum.

Sceleton nullum: corpus molle, valde contractile, non articulatum, pallio ut plurimum cinctum, dein aut testa tectum aut nudum. Medulla nervosa dispersa vel simplex vel nodosa. Respiratio per branchias sive externas sive internas aut per saccum pulmonalem. Os masticationi vel deglutitioni tantum inservit.

§. 2.

Molluscorum divisio.

Mollusca secundum Cuvierium dividuntur in sex classes, quae sunt:

I. *Cirripedes.*

Pallium corpus, branchias et viscera continens. Brachia plurima cornea, articulata. Systema nervosum articulatorum systemati analogum.

II. *Acephala.*

Os in fundo pallii, branchias et viscera continentis, reconditum. Pallium vel per totam longitudinem apertum est, vel ad utramque extremitatem vel ad unicam tantum.

III. *Gasterpoda.*

Reptant supra discum carnosum eorum ventris, nonnumquam, sed raro compressum, ut formam referat pinnae. Caput distinctum.

IV. *Brachipedes.*

Corpus pallio involutum. Os extus prodiens, duobus brachiis longis, carnosis, ciliatis, retractilibus cinctum.

V. *Pteropoda.*

Corpus non apertum. Brachia caput circumcingentia nulla, vel si adsunt, minima. Alae duae sive pinnae membranosae, ad latera colli sitae, supra quas saepe rete branchiale situm est.

VI. *Cephalopoda.*

Corpus in Cephalopodibus formae est sacci ab anteriore aperti, branchias continentis, unde caput prodit, satis evolutum, brachiis carnosis, fortibus, atque elongatis coronatum, ope horum brachiorum reptant, praedasque apprehendunt.

§. 3.

Motus.

Motus in Molluscis certe non celeres esse possunt, quum vectibus carent articulatis solidisque, constant solummodo ex contractionibus in diversa directione et relaxationibus partium motui inservientium.

Sunt quae nullum fere motum exserunt et huc pertinent Cirripedes et Acephala nuda quae corporibus marinis adfixa vivunt; neque etiam Acephala nonnulla testacea alium exercent motum, nisi quod aperiunt et claudunt testae valvas; et hunc in finem musculos possident, utriusque valvae superficiei internae adfixos, dum si relaxantur hi musculi valvae elasticitate substantiae cartilagineae ad cardinem sitae, cujusque ope valvae sunt junctae, aperiuntur. Cetera Acephala ope pedis corpus suum cum testa protrudunt, qui motus saltui similis est (1). Pede illo intelligitur corpus musculosum, compressum, inter quatuor branchias situm fundoque valvularum testae adfixum. A Mollusco extendi et retrahi potest hic pes.

In Gasteropodibus tota superficies inferior sive gastrica, quae carnosa est, pes vocatur, cujus quippe contractionibus et extensionibus haec animalia repunt (2). Illa autem Gasteropoda quae testam habent praeterea possident musculum, qui superiori anfractui insertus, inde corpus Mollusci intrat et sub cute in duas finditur partes, quarum altera pars caput, altera caudam petit. Ex situ hujus musculi facile intelligitur, quod ipsius contractione animal in testam retrahitur.

---

(1) Vid. Pfeiffer Land- und Süsswasser Mollusken pag. 19. §. 6. in 4to. Cassel 1825.

(2) Fiunt hae contractiones atque extensiones modo undulatorio.

In Pteropodis membranae sunt alaeformes ad latera oris, quae fluitando magis quam quidem natando inservire videntur (3).

Ejusdem usus sunt brachia Cephalopodum, quibus etiam prorepunt et tunc caput inferiora versus, ceterum corpus versus superiora flectunt, quo in aequilibrio manent.

§. 4.

Systema nervosum.

Systema nervosum in Cirripedibus ex medulla constat nodosa; in ceteris autem Molluscis fibrae adsunt simplices et aesophagus, ut fere in omnibus invertebratis, annulo nerveo circumdatur, ab anteriore parte ex uno pluribusve gangliis (quae ganglia cerebri locum tenent) ortum ducens. A posteriore parte annuli una vel duae proveniunt fibrae, quae cum alterius extremitatis gangliis junctae sunt. Nonnumquam aliae adhuc fibrae e lateribus gangliorum annuli oriuntur pro habitu corporis diverso.

In acephalis cerebrum supra os situm est: praeterea unum duove alia adsunt ganglia.

Gasteropoda aliud ganglion supra, aliud infra aesophagum habent, quae ambo fibris inter se juncta annulum circa aesophagum componunt. Ex inferiore ganglio quod superiore multo majus est, duo oriuntur rami primarii, et ad alteram corporis extremitatem procurrunt. Hae fibrae analogae sunt medullae ventris ceterorum invertebratorum. Habent Pteropoda cerebrum bilobatum supra originem aesophagi situm. Habent dein annulum, qui ex duobus constat gangliis fibris junctis, circa aesophagum, et fibras nonnullas juxta corporis longitudinem decurrentes.

Cephalopodum systema nervosum valde evolutum est. Posterior annuli pars cerebrum dicitur. Constat hoc cerebrum ex anteriore parte albida quadrangulari, cerebro, et ex posteriore parte grisea, rotunda, cerebello vertebratorum analoga. Ex hac massa nervosa fibrae ortum trahunt quae aesophagum ambiunt, dein nervos tribuunt omnibus corporis partibus.

§. 5.

---

(3) Vid. Lamarkium Histoire Naturelle des Animaux sans vertèbres. Tom. VII. p. 670, in 8vo. Paris 1818.

§. 5.

Sensus.

A. Tactus.

Multa inter Mollusca sunt quae nullo alio nisi tactus sensu gaudent. Inservit tactui vel tota superficies vel propria organa, quae in aliis alia sunt. Acephalorum testaceorum pallium ad marginem processuum rudimentis obsessum est, quae hisce animalibus fortasse uti tentacula sunt. Tactui etiam illorum pedem inservire, sunt, qui volunt.

Plurimis Gasteropodibus organa propria tactus sunt tentacula ad caput sita, numero varia. Nonnulla sunt quae praeter tentacula ad caput alia habent ad latera corporis.

Quae Cephalopoda habent brachia tum assumptioni alimentorum tum tactui inserviunt.

B. Gustus.

Sunt Mollusca quae masticant alimenta, sunt etiam quae alimenta tantum deglutiunt; haec quod gustare non possint, nemo est qui dubitat; illis autem gustus adscribi potest tum propter totum habitum organorum masticationis, tum ob alias causas, quae jam sequentur.

Et quamquam lingua Molluscorum huic sensui non inservire potest, eo non probatur, Mollusca hoc sensu omnino carere, uti adfirmat Rudolphi (4). Nam Rudolphii contra multa multorum experimenta positiva unum, quod ipse instituit negativum adfert, quod nempe palatum neque ulla alia pars corporis gustui inserviat praeter linguam; res igitur ulteriori examine eget.

Praeterea partes nonnullae vicariam functionem in animalibus exserere possunt, quam in homine non exercent; ita etiam hac de re judicat Treviranus, qui recte animadvertit: « Soviel ist aber wohl richtig, dass schon bey den Insecten der Geschmack und das Getast weit weniger verschiedene Sinne als bey höheren Thieren sind und bey den Mollusken und Würmern einander noch gleichartiger werden bis sie bey den Zoophyten zu einem einzigen allgemeinen Sinn sich vereinigen (5)."

C. Olfactus.

Verosimile est hoc sensu carere Mollusca, quia nullum organon huic sensui destinatum in iis reperitur. Observarunt tamen helicem in testam suam retractam ex ea prodire, quando alimenta in ejus viciniis deponuntur; saepius idem experimentum in-

---

(4) Vide Rudolphi Grundriss der Phys. B. II. §. 283, 248, in 8vo. Berolini 1823.

(5) Biologie VI Band. Seite 250.

institui sine ullo effectu. Fortasse cutis mucosa in Molluscis membranae Schneiderianae locum tenet, ut acutissimus Cuvierius voluit.

D. Auditus.

Inter omnia invertebrata non articulata sola Cephalopoda auditus organo instructa sunt, piscium auri analogo, simpliciore tamen.

Constat eorum auris ex cavitate prope cerebrum, sine meatu externo. Est in hac cavitate vesicula fluido quodam repleta, quae a tenuissimis dependet fibris; in hac vesicula invenitur discus substantiae calcareae et supra illam nervus dispergitur auditorius (6).

E. Visus.

Cirripedes, Acephala, Pteropoda et nonnulla Gasteropodum genera hoc sensu sunt destituta, dum in ceteris Gasteropodibus oculorum rudimenta inveniuntur, quae vel immediate capiti insident vel brevibus pedunculis ad tentaculorum basin vel denique ipsi tentaculo, nunc in apice, nunc ad latera sita.

Fabrica oculi Gasteropodum fere ad ocellorum fabricam in Insectis accedit. Oculus in his Molluscis praesertim constat e lente gelatinosa, antice tecta a cornea, postice vero circumdata ab expansione nervi optici et lateraliter cincta pigmento coloris obscuri (7). Haec fabrica repugnat omnino Rudolphi experimentis, secundum quae sensum visus hisce Molluscis negares (8).

Cephalopoda oculis praedita sunt valde conspicuis, ad latera corporis positis. Non multum distant horum oculi ab iis animalium vertebratorum; in omnibus fere conveniunt; quod carent pellucida cornea, camera anteriore, et humore aquoso, ex eo explicari potest, quod inutiles sunt hae partes animalibus aquatilibus: mirandum vero quod veram choroïdeam non habeant (9).

§. 6.

Digestio et nutritio.

a. Assumtio alimentorum.

Plurima Mollusca alimenta ore assumunt; nonnulla Acephala Testacea per tubum; Cephalopoda tandem in finem hunc brachiis suis utuntur, quae praeterea aliis etiam usibus ipsis inserviunt, ut vidimus §. 3. ad finem et §. 5. l. A. ad finem.

b.

---

(6) Vid. Scarpa Anat. Disq. de Auditu et Olfactu p. 6. Mediolae 1795. in fol.

(7) Vid. Stiebel in Meckel's Arch. für die Phys. V Band. Seite 296.

(8) Vid. Rudolphi Phys. IIter B. S. 156 seq.

(9) Vid. Cuvierii Mémoire sur les Céphalopodes p. 41. Paris 1817. in 4to.

b. Os et tubus intestinalis.

Oris situs ejusque structura in aliis alia est. Cirripedes in testa sua ita sunt locati ut caput ad inferiora et os ad fundum sita sint. Hi maxillas habent transversales, dentatas.

In Acephalis os simplex est et membranaceum in fundo aut etiam inter plicas pallii latens.

Pteropodum os carnosum magis est et inter tubercula duo, quae in capite sunt, situm est. Forma ejus est triangularis.

Pauca sunt inter Gasteropoda quae os habent simplex; plurima enim vel rostro gaudent vel ore trilabiato ad triturationem comparato.

Observatur in Cephalopodibus os formae singularis, rostro Psittaci simile et quidem inversa ratione ita ut maxilla, quae in Psittaco est superior alteramque involvit, in hisce sit inferior. Substantia, ex qua constat, est cornea. Quod ad linguam Molluscorum, quae in genere omnibus competit Gasteropodibus Cephalopodibusque cum ex substantia constat cartilaginea, haec deglutitioni tantum et triturationi inservire potest.

In Cirripedibus aesophagus satis longus est, abit in ventriculum et inde productus canalis intestinalis brevis ano terminatur, sub branchia sinistra extus hiante.

In Acephalis os cito in ventriculum abit, qui aliquando duplex est; longitudo tubi intestinalis in diversis generibus differt. Anus ad partem corporis ori adversam est situs.

Gasteropoda omnia aesophagum habent, unum pluresve ventriculos et intestina ejusdem veldiversae dimensionis saepe multis gyris contorta. Anus semper prope organa respirationis ad latus dextrum ad marginem pallii hiat.

Pteropodum aesophagus in nonnullis habet dilatationem, in aliis non habet. Ventriculus atque intestina simplicia sunt. Anus uti in Cirripedibus sub branchia sinistra situs est ibique extus hiat.

In Cephalopodibus tres sunt ventriculi, quorum primus, in quem abit, aesophagus, et cujus potius dilatatio dicendus est, comparari potest cum ingluvie avium; secundus ventriculus multum convenit cum structura ventriculi avium; Tertius dein ventriculus in spiram contortus, se habet ut intestina in Squalis, interna scilicet ejus superficies lamella prominula obducta est. Cetera intestina simplicia sunt neque longa; terminantur infundibulo, in quo item organa generationis, respirationis et vesica atramentum continens terminantur. Infundibulum illud infra brachia ad collum situm est.

c. Glandulae salivales. Hepar.

De hisce organis seorsum tractari potest, quia in omnibus fere Molluscis prae ceteris organis evoluta sunt.

Glandulae salivales in omnibus inveniuntur Molluscis, acephalis exceptis et cirripedibus. Situs earum est vel in ore, vel etiam ad ventriculum. Hi aut in genere tubo communi in ore.

In Pteropodibus, Gasteropodibus duae sunt, in Cephalopodibus quatuor, quarum duae superiores utraeque canali excretorio in aesophago hiant.

Hepar in omnibus Molluscis magni est voluminis et in pluribus majorem partem tubi intestinalis involvit.

In Cirripedibus substantia glandulosa ventriculum ambiens hepar constituit.

Acephala magnum possident hepar et per poros bilis in ventriculum immittitur.

Gasteropodum hepar magnum est, in multos locos divisum, interdum in plures massas distinctum, canalem excretorium quamque suum habentes. Hi lobi cum intestinorum convolutionibus juncti sunt, eos involventibus quibusque ope telae cellulosae communis adhaerescant.

Pteropoda item magnum habent hepar ventriculum et intestina involvens.

Cephalopodum hepar cum aesophago, glandulis salivalibus inferioribus tunica continetur membranacea. Horum hepar duos habet canales excretorios in ventriculo tertio hiantes.

Notatu dignum, quod Molluscorum hepar sanguinem accipit non venosum ex venis viscerum abdominalium, sed arteriosum ex aorta.

Liene carent uti omnia invertebrata.

Non sine jure quaeri potest, num Mollusca etiam renes habeant, quorum praesentiam experimenta Jacobsonii probare videntur, qui in fluido secreto ab organo quodam secundum aliorum anat. et Phys. sententiam calcem secernente acidum unicum. Huic sententiae prodest quod ad finem tubi intestinalis hoc organon situm est: dein quod animal illus fluidum secernit sine eo, ut aliquid de eo retineat.

Idem est organon, quod in Gasteropodibus purpuram secernit, in Cephalopodibus atramentum.

Quamquam etiam hoc organon ren proprie dici nequeat, tamen organon est huic analogum.

d. Assimulatio.

Hucusque vasa lymphatica in Molluscis non invenire potuerunt Anatomici, videntur assimulatio ergo perfici sine illis, chylusque a vasibus absorberi post transsudationem ex parietibus intestinorum.

§. 7.

Circulatio.

In Cirripedibus cor nondum observaverunt. Cetera Mollusca omnia cor habent, ad minimum ex uno ventriculo, ventriculo sinistro vertebratorum analogo et ex auricula constans. Accipit illud cor non nisi sanguinem arteriorum quem per arterias ad omnes partes corporis ducit, unde per venas statim ad branchias revehitur. Mutatus ibi aëre athmospherico si in hoc medio vivunt, aut si in aqua degunt eo immixtus, per venas branchiales ad cor reducitur.

Acephalorum testaceorum cor in dorso situm in genere unicum est, quod sanguinem arteriosum accipit ex organis respirationis. Quatuor juxta basin branchiarum decurrentes ex corde oriuntur arteriae et quatuor venae sanguinem venosum reducunt ad organa respirationis (10).

In Gasteropodibus cor eodem modo sese habet ac in Acephalis; situm est in fundo cavitatis pulmonalis. — Aorta vero differt, et in genere triplex est.

Venae omnes terminantur duabus venis cavis, inde sanguis ad organa respirationis ducitur. Eadem est circulatio in Pteropodibus.

Cephalopoda tria possident corda separata sine auriculis, duo lateralia venosa, unum intermedium aorticum, ex quo oritur aorta duaeque arteriolae.

Venae omnes concurrunt, ut duas venas cavas constituant, quae cordibus lateralibus terminantur, hinc sanguis ad branchias vehitur, a quibus ad cor arteriosum ducitur.

Pericardium in plerisque Molluscis observatum est.

Cor semper ibi invenitur ubi organa respirationis sunt sita; dextrorsum si in dextro latere hujus functionis officina est; sinistrorsum vero, si in sinistro.

Sanguinis color est albus, excepto genere Teredinum, in quo rubellum esse notavit Home, qua in re Teredines ad annulata accedunt.

§. 8.

Respiratio.

Quod ad organa respirationis attinet, magna est differentia in diversis Molluscis. Sunt alia sacco pulmonali, alia branchiis externis, alia denique internis praedita. Mollusca terrestria saccum pulmonalem habent et aërem respirant athmosp.; multa etiam aquatilia, quae hanc ob causam ad superficiem aquae aërem athmosp. respirant. Cetera aquatilia branchias habent, quarum situs in aliis alius est.

Cirripedes branchias habent extra abdomen sub pallio adfixas. Respiratio in his, ut in omnibus branchiis praeditis, perficitur adfluxu aquae.

---

(10) Est haec descriptio a Cuvierio desumta; postea vero, ubi sermo erit de respiratione ob nexum hujus functionis et circulationis, pauca monebimus de observationibus et sensentia Bojani, qui in hisce a Cuvierio valde differt.

Inveniuntur in Acephalis testaceis quatuor lamellae inter laminas pallii; ad utrumque latus inter pedem et pallii laminam duae tales lamellae sunt sitae; has, lamellas Cuvier branchias dixit. Bojanus vero qui huic Anatomiae comparatae parti magnam operam dedit, aliud invenit organon, quod respirationis esse credit suamque sententiam exponit sequenti modo; « Est, inquit, inter branchias internas et pedem ab utraque latere foraminulum, quod in cavitatem ducit;" atque a Bojano cella respirationis vocatur; propius ad pedem aliud est foraminulum, ad oviductum ducens; dein inter dorsum branchiarum et cor ductus situs est venosus, in quem multae venae sanguinem immittunt. In cella illa, de qua supra monui, corpus invenitur vasculare, quod Bojanus proprium organon habet respirationis. Transit per hoc corpus ductus venosus, et sic sanguis, quod in ductu venoso est, ad corpus illud vasculare facile pervenit. Major pars autem sanguinis venosi ad branchias atque inde ad cor vehitur,

Accipit ductus venosus duos ramos primarios. Ex hoc ductu venoso corpora vascularia multa accipiunt vascula, praeterea rami ex pallio ad ipse decurrunt.

Ex hisce liquet, quod plurimae venae partim immediate, partim mediate ad corpora illa perveniunt vascularia, ex quibus tria vasa immediate sanguinem ad cor ducunt, quod unicum atqui ergo arteriosum est; quod corpora illa vascularia, quoad structuram, optime pulmonum functioni inservire possunt; structura enim est vascularis, dein facile corpora illa aqua circumlui possunt, quae per foramen extus inter pedem et lamellas internas hians intrare potest (11).

Habent branchiae illae sive lamellae quatuor, praeterquam quod respirationi inserviunt, aliam adhuc functionem: ora scilicet in altero horum evolutionis stadio in illis reconduntur. Quem in finem multa loculamenta adsunt: duplex illa functio ejusdem organi in nullo Mollusco huc usque quidem observata est.

Tempus ergo doceat num illa organa, quae Bojanus detexit, vera sint organa respirationis.

Gasteropoda multa sacco gaudent pulmonali, qui extus foramine contractili hiat. Saccus ille pulmonalis est cavitas quaedam; ab interiore ad lateras reti vasculari est obsessa. Alia Gasteropoda branchias habent, quae in diversis generibus forma differunt: in plurimis tamen duas formant series, laminarum transversalium.

Possident Pteropoda duas alas, quae inter caput et ceterum corpus animalis corpori nectuntur. Hae alae ipsis fluitando inserviunt, uti vidimus §. 3, et praeterea branchiarum locum tenere videntur, quum primo microscopii ope rete refert vascu- la-

---

(11) Bojanus Sendschreiben an Cuvier etc. 1818 mit abbildungen.

lare, subtile, et valde regulare, deinde nexus adest inter has alas, vasa interiora et cor.

In Cephalopodibus utraque branchia e duabus componitur phalangibus paginarum branchialium, quae a parte superiore pedunculorum ope ligamento carnoso suspensae haerent; inter ligamentum illud et pedunculos decurrunt, arteria branchialis, arteria branchica, vena branchica, nervus branchialis: inter extremos omnium paginarum decurrit vena branchialis. Ad utriusque branchiae basin cor situm est venosum sine laterale.

Saccus in quo branchiae continentur aperitur in infundibilo, de quo infundibilo jam locuti sumus §. 6. l. *b.* ad finem.

Videtur aqua etiam agere posse in sanguinem venis majoribus contentum, quippe quae materie circumdantur glandulosa: haec materies enim sacco involvitur cujus apertura hiat prope branchias.

Mollusca in genere in aëre vivere possunt valde impuro. Multa eorum partem anni in torpore degunt; phoenomenon quod cum somno hyemali quorumdam aliorum animalium comparandum.

§. 9.

Organa secretoria.

Inveniuntur praeter glandulas salivales et hepar, praeter organon illud, quod Jacobson et Blainville cum rene comparaverunt, dein praeter glandulas quae ad generationem suum conferunt, alia adhuc organa varias materies secernentia.

Huc primo loco quidem pertinent, quae in Gasteropodibus terrestribus juxta cor sita est glandula, quae mucilaginem secernit. Prodit haec mucilago ex cavitate respirationis.

Dein in multis aliis Gasteropodibus et praecipue quidem in Muricibus atque Aplysiis sub pallii margine glandulae quaedam sunt positae materiem, quae purpura dicitur, secernentes.

Tertio Reaumur, Swammerdam, et Spalanzani in multis Molluscis grana invenerunt calcarea, quae verosimile glandulis secernuntur. Hoc fortasse periodicum quid est, quum secerni creduntur illa grana, antequam cochlea magnitudine augetur, et tunc analoge haec secretio est periodicae lapidum calcareorum secretioni in cancro, quae lapides post excoriationem resorbentur. Hoc phaenomenon tamen quoque morbosum esse potest semper, ita ut praecipitatio calcis post secretionem succi, ex quo conchyliae formantur, ut dein videbimus, ad superficiam corporis locum habeat.

Quarto denique huc etiam referri potest bursa Cephalopodum in qua atramentum se-

secernitur. Sita est haec bursa prope testiculos in sexu masculino, in foeminino prope ovaria. De hoc atramento dein.

§. 10.

Generatio.

Haec functio quantopere in diversis Molluscis differat ex tabula sequenti liquet:

I. Hermaphroditismus absque copulatione. Individua se ipsa foecundunt:
    Cirripedes, Acephala, Scytibranchiata,
    Cyclobranchiata.
        * Sola propagatio per germina in Ascidiis compositis.
II. Hermaphroditismus cum copulatione:
    α. Copulatio duorum individuorum:
        Plurima Pulmonatia, Nudibranchiata,
        Inferobranchiata, Tectibranchiata.
            * Quodvis individuum se ipsum foecundat, durante, copulatione, ut:
            Aplysia, Dolabella, Bulla aperta, Onchydium, Pteropoda.
    β. Copulatio trium pluriumve individuorum:
        Lymnaea.
III. Sexus diversus et copulatio:
    Pectinibranchiata.
        * Apta ad parturiendum etiam absque copulatione praecessa? ut:
        Paludina, Vivipara.
IV. Sexus diversus absque copulatione. Foecundatio ovorum in aqua depositorum, consperso semine:
    Cephalopoda.

Hac etiam in re perfectissima Mollusca ad pisces accedunt, quibus idem est generationis modus.

Cirripedes duplex habent ovarium et duplicem oviductum, quorum parietes liquorem secernunt. Oviductus in tubo intestinali prope anum hiat.

Nullum invenitur organorum masculinorum vestigium in Acephalis, nudis hinc eorum ova, quae inter saccum branchias continentem et tunicam branchiis propriam sunt observata, germina sunt habenda. Parietes autem intestini substantia obducuntur glandulosa, quae verosimiliter liquorem quemdam secernit. Animadvertit Cuvierius, illum liquorem fortasse inservire ovis ejusdem individui foecundandis.

Acephalorum testaceorum organa generationis sunt: ovarium, oviductus et branchiae.

Ovarium, quod inferiorem implet abdominis partem, ovorum continet germina, quae in secundo evolutionis stadio per oviductum in branchiae transeunt. Hae branchiae ab interiore duos habent parietes in multa loculamenta, in quibus ova reconduntur, divisos. Ova evoluta per eundem oviductum qui ad anum ducit, deponuntur (12).

Gasteropoda vel diversi sunt sexus, vel Hermaphrodita sunt; haec aut ad coitum apta aut non apta sunt. In omnibus invenitur vesica cujus tubus excretorius in ovario hiat, et materiem continet, quae verosimiliter incrustationi inservit ovorum.

Cyclobranchiata et Scutibranchiata organa masculina non habent. In Cyclobranchiatis ovarium sub hepate situm est et ab ovario oriens oviductus prope anum extus hiat; in scutibranchiatis pro parte in hepatis substantia reconditum est; cetera sese habent uti in Cyclobranchiatis.

Eodem modo organa foeminina in pectinibranchiatis, quae diversi sunt sexus, se habent; mares ex hocce ordine testiculum habent eo in loco situm, ubi ovarium situm est in sexu foeminino. Dein vas deferens a testiculo ad penem decurrit, qui uti in omnibus Gasteropodibus prope anum collocatus est. In Paludina vero penis foramen tentaculi dextri penetrat: et apertura uteri inferiora versus hiat.

Tectibranchiata hemaphrodita sunt, et habent omnia uterum in hepati reconditum. Ab utero proveniens oviductus bursa communi terminatur. Haec bursa prope anum sita facile prolabi potest, quod fit, quando haec Mollusca coitum ineunt, ita ut penis extus prodeat. Testiculus vulgo ovario ope telae cellosae adhaeret, et vas deferens oviductui: vas deferens penem intrat, qui in bursa est situs.

Eodem modo organa generationis constituta sunt in Inferobranchiatis et Nudibranchiatis.

In Gasteropodibus hermaphroditis coitum ineuntibus penes se invicem decussare debent, quia penis magis infra, vagina magis supra est collocata (13).

Observatum est praeter organa supra memorata aliud insuper organon in Gasteropodibus terrestribus, scilicet corpus quoddam formam hastae exhibens, substantiae corneae ad basin, spongiosae adversus apicem; cum pene vaginam intrat et post coitum dilabitur, deinceps regeneratur. Videtur itaque generationi illud organon esse necessarium.

Jam paucis absolvamus, quae de generationis organis Pteropodum animadvertenda sunt, quae in hisce cum Gasteropodibus plurimis multum conveniunt. Sunt Hermaphrodita, eorumque ovarium et testiculus vasis obvolvuntur, et tela cellulosa; oviductus ab ovario ad testiculum decurrit, inde ortum vas deferens in bursa parva terminatur, quae ad collum hiat. Ad finem vasis deferentis Cuvierius penem invenisse se credit. Prope bursam illam alia invenitur, vesicae Gasteropodum plurimorum analoga.

---

(12) Vid. de hac re egregia observata C. Pfeifferi Land- und Süsswasser Mollusken 4to p. 8. et Tab. I. Iconum.

(13) Vid. Swammerdami Bibliam Naturae Vol. II. Tab. 8, Figura 6. in fol. Leidae 1737.

Jam autem ad Cephalopoda pervenimus, quorum propagandi modus a ceterorum Molluscorum quam maxime differt; atque hac in re ad pisces accedunt.

Sunt enim diversi sexus atque ova ab individuis femininis in aqua deposita a masculinis individuis adsperso semine foecundantur. In utroque organa generationis intra peritoneum sita eadem loca occupant.

In sexu masculino invenitur testiculus cum vase deferente, quod in vesiculam abit seminali analogam; inde glandulam prostratae analogam penetrat et tandem in penem abit. Situs est penis ad latus sinistrum ani ibique vesica quoque hiat. In sexu feminino ovarium est, in duos abiens oviductus, qui, quo tempore ova deponunt haec Mollusca, turgescunt materiemque secernunt, qua sine dubio ova incrustantur.

Sunt plurima Mollusca ovipara, nonnulla tantum vivipara, ut Paludina vivipara, in cujus utero multi Mollusca juniora invenerunt.

Ova illorum semper substantia quaedam sunt obducta; sic ova Molluscorum Aquatilium in genere mucilagine involvuntur, cujus ope ingens copia eorum cohaeret formâque diversa prodit. Terrestrium Molluscorum ova crusta obducta sunt calcarea, neque alia quadam substantia cohaerent.

Haec quidem suffecerint de Molluscorum generatione in genere; non tamen possum, quin paucis moneam, quae tam accurate observavit C. G. Carus de evolutione Lymneae stagnalis. Quae cum ad generalia non pertineant, seorsum sequenti paragrapho exponam. Huc fere ejus observationes redeunt.

§. 11.

Cari observationes de evolutione Lymneae stagnalis.

Ovulum ex crusta constat, albumine et vitello, quod e granulis componitur. Vitellum quarto et quinto die jam in duas separatur partes, quarum altera cujus grana propius ad se invicem sunt compacta, deinde fit caput. Die nono cor jam animadvertitur.

Primis diebus globulus vitelli in albumine quiescit; quarto autem die lentum et irregularem motum incipit rotatorium, cumque eodem tempore caput in globulo discerni possit, motus ille sequenti modo describi potest.

Fingatur axis hujus globuli, qui in directione inter caput et hepar globulum secat, circum illum axin jam volvitur globulus; ita quidem ut pars, quae hepar continet, in directione versus caput volvatur.

Vocavit Carus hunc motum cosmicum, quia dependet a conditionibus cosmicis, quae sunt lux, anni tempestas, caloricum, electricitas et magnetismus.

Habet globulus ille etiam motum procedentem atque ellipsin describit aut circulum.

Duodecimo vel decimo et tertio die rotatio ad caput desinit, dum rotatio ad hepar pergit; et hinc anfractus oriuntur, qui dextri sunt, quia hepar dextrum est. Organa enim assimilationis sinistrorsum posita sunt, secretionis dextrorsum.

Sunt etiam conchylia quorum anfractus sinistri sunt, inversi igitur. quod ab inversa dependet rotatione. Item in homine aliquando organa interna inversa sunt, ut cor ad dextrum latus, etc.

Cordis pulsatio die octavo observatur. Respiratio nulla est, quamdiu animal in ovo est, et mucilago illud ambit.

Die vicesimo sexto ad octavum, quippe quo tempore animal libere in aqua fluctuet, bulla aërea per testem pellucidam observatur; tum quoque excrementa excerni incipiunt; uti etiam in foetu humano feces et urina excernuntur, postquam ille aërem respirare incepit.

Motus animalis ratione inversa efficitur ad motum Cosmicum: hic enim quando minui incipit sensimque desinit, ille incipit, idque die duodecimo. Simili modo plantas motus cosmicos habentes a luce, calorico, humiditate ortos, cum vero animalium voluntario motu prorsus careant.

§. 12.

Reproductio.

Uti in aliis multis animalibus, sic etiam in Molluscis vis reproductiva magna est; tentacula, v. g. abscissa facile reproducuntur. Hanc autem tantam esse existimavit Spallanzani, ut vel eorum capita abscissa reproduci contenderet. Nuper vero cum multi de hac Spallanzanii sententia dubitabant, praeparata Spallanzanii in spiritu vini conservata examinaverunt, quo examine reperierunt, incisionem, qua Spallanzanius se caput abscidisse putabat, cerebrum aut primum nervorum glanglium non laedisse; erat enim intra caput, et os cicatrix adhuc conspicua, itaque non caput abscissum, sed os tantum reproductum erat.

§. 13.

Vitae genus.

Vivunt plurima Mollusca in aquis, nonnulla in terra, atque in universum omnia diu sine alimentis degere possunt.

Cirripedes omnes in mari, fluviis, ceterisque aquis non stagnantibus, saxis, conchis, lignis, lapidibusque adfixi vivunt; insecta et aqua sine dubio iis sunt alimentis; eodem loco quo nascuntur, etiam moriuntur.

Acephala in aquis omnis generis reperiuntur. Acephala nuda in quadam societate quidem vivunt, ita ut in uno eodemque loco magna saepe eorum inveniatur copia; aliis corporibus fere semper adfixa sunt.

Testacea Acephala quando quiescunt partem testae, quae anum continet, terrae impressam habent, dum reliqua major pars aqua circumdatur. Vidimus jam §. 3. quomodo se moveant. Sunt vero alia, quae filorum ope aliis adhaerent corporibus; alia denique quae in lapidibus cavitates terebrant, in quibus vivant. Ad Acephalorum alimenta pertinent aqua et quae ipsi insunt substantiae animales. Continuo aquam insugunt (quae in testaceis acephalis aperta testa sponte intrat) iterumque expellunt. Hujus aquae affluxu branchiae et pallium alluuntur. Durante tempestate frigida sub arena vel limo recondita sunt, sine eo ut in torpore degant quemadmodum Gasteropoda. Haec animalia aliis etiam cibo sunt; Aquila haliaëtus cum vi testas eorum, dulcibus in aquis viventium, frangit, eoque quidem loco, quo situs est musculus a Pfeiffero humeralis dictus, qua ex re omnes Mollusco adimuntur vires.

Gasteropoda et in aquis et in terra reperiuntur. Magnus eorum est numerus. Quae in aquis vivunt ad fundum vel ad plantas reptant: Nonnulla facultatem possident fluitandi, idque ea quae sacco instructa sunt pulmonali; haec enim ad superficiem aquae aërem athmosphaericum respirare debent, quo fluitando perveniunt. Gasteropoda terrestria loca inhabitant umbrosa, nemora, ruinas, et cetera; inveniuntur etiam ad ripas aquarum, in viis, arboribusque; sed hoc vespertino, nocturno et matutino tantum tempore, quo e latibulis suis prodeunt: sunt enim nocturna haec Mollusca, quae vespere vel etiam interdiu si pluviae ceciderint, alimentorum quaerendorum causa latibula sua reliquunt et mane redeunt.

Tempore hiemali plurima eorum torpent, qui torpor incipit autumno mensibus Septembris et Octobris, tumque minores terrae cavitates petunt, sub lichenibus, frondibus, vel ad radices arborum, ibique in testas retracta, postquam hujus aperturam operculo calcareo quodam clauserunt, quo a frigore, nimia humiditate atque hostibus se tuta reddant, remanent donec, certo calores gradu redeunte, torpor desinat, vere nempe mensibus Aprilis et Maji. Caloris enim diversi gradus multum conferunt ad statum illum torpidum magis minusve diuturnum reddendum. Operculum de quo supra monuimus, primum fluidum est a pallio secretum, quod deinde aëre durescit.

Gasteropoda Aquatilia nutriuntur partim substantiis vegetabilibus, partim animalibus, cui observationi Lamarckius suam superstruxit divisionem Trachelipodum in Phytiphaga et Zoöphaga.

Gasteropoda terrestria delectantur solis vegetabilibus et preasertim lichenibus et fructibus, ut referunt auctores; saepius tamen observavi, limaces mortua Molluscorum corpora valde ligurire, quam ob rem substantiae animales quoque inter horum alimenta numerari posse videntur.

Pteropoda, Mollusca parva, exiguo numero nota sunt. Vivunt in mari, in quo, ope lamellarum alaeformium, quae ad latera oris sunt sitae vel in aliis sub pallio adfixae, singulari modo fluitant. Non autem hae lamellae sufficiunt, quibus prorepere possint, uti hoc locum habet in Cephalopodibus: verosimiliter aqua et insecta iis sunt alimentis.

Cephalopoda omnia in mari vivunt; ope brachiorum, quae ad collum sunt sita prorepunt, atque eo quidem modo, ut caput inferiora versus et cetera corporis pars, brachiis posterior, superiora versus vertatur: saepe ad sicca loca veniunt, praeterea etiam aliquomodo natare possunt; sunt autem inter illa alia, quae ob brevitatem brachiorum semper fere ad fundum maris et in saxorum sinubus remanent: sunt partim nuda, partim testacea. Peculiare quoddam notandum est in Cephalopodibus; atramentum intelligo, quod secernitur in bursa quadam hepate cincta, atque reni (14) aliorum Molluscorum analoga dicta; canalis excretorius hujus bursae in infundibulo hiat. Hoc atramento ambientem aquam obscurant, ne ab hostibus ipsos persequentibus conspiciantur. Praeparatur ex illo atramento exsiccato pigmentum nigrum, atramentum Sinense dictum. Inter ea sunt, quae magnas habent vires praesertim in brachiis; hinc natatores saepe in periculo versantur, quia Sepia loligo eorum pedem amplectitur, quo motum iis aufert. Solum regnum animale alimenta iis praebet; praecipue nutriuntur cancris, araneis, aliis; praedas branchiis compressas tenent et sic iis potiuntur, dum rostris suis durissimas diffringunt testas. — Ceterum alia Mollusca in quovis climate vivere possunt, alia vero arctioribus circumscripta limitibus, ut v. g. Acephala nuda.

§. 14.

---

(14) Vid. observata Jacobsonii et Blainvillii in Meckel's Archiv für die Phys. etc.

§. 14.

De Molluscorum testis, eorum formatione diversoque colore.

Plurima quidem Mollusca testa teguntur, quae majori ex parte constat ex carbonate calcis. Minime igitur testae Molluscorum cum ossibus sunt comparandae; praeterea ossa formantur depositione phosphatis calcis in cartilagine, dum formatio testarum fit condensatione secreti cujusdam liquoris. Sunt enim Mollusca quorum testa constat ex lamella sub pallio sita; haec quocunque examinetur numquam nexum aliquem monstrat cum partibus mollioribus, ex quo patet, illam non intus susceptione, verum condensatione effusi cujusdam liquoris formari. Dein sunt, quae testa praedita sunt externa; neque de hac dubitare possumus, quin eodem modo formetur, si attendimus ad sequens experimentum a Reaumuro institutum: testam Molluscì foramine perforavit; jam si ejus formatio eodem modo quo ossa locum haberet, nova substantia primum ad foraminis margines celeriter proditura fuisset, quod autem non accidit. Sed foramen ab omni parte simul clausum est. Dein in alia nexum inter superficiem animalis et foramen corio subtili interposito sustulit; cujus effectus fuit, ut foramen non clauderetur, sed lamella calcarea ad internam corii superficiem produceretur. Ex quo liquet, formationem illam exsudatione liquoris cujusdam fieri, neque intus-susceptione (15). Praeterea si juniorem cum adultiore comparemus testam, anfractus superiores sive primos in utraque ejusdem esse magnitudinis et formae, observamus. Dein semper novus margo antiquo margini additur, et structura testae lamellaris est; quae omnia rem satis probant; sunt tamen qui hanc sententiam infringere conati sunt, atque eo quidem fundamento, quod musculi, quibus acephala testacea testas suas claudunt, in adultioribus a cardine magis distant, quam in junioribus, atque ita testae intus-susceptione crescere debent. Quae autem oppositio facile refelli potest, si observationem Reaumurii in mentem revocemus (16), scilicet dicentis, musculi crescente Mollusco anteriorem partem continuo anfractibus recentioribus accrescere, moriente parte posteriore.

Haec de formatione ex nostro quidem proposito suffecerint, pauca tantum de diversis testarum coloribus eorumque causis monenda videntur. Sunt praecipue glandulae, sub margine pallii sitae, quae pigmentum secernunt, cumque primum semper formetur lamella externa testarum, deinde interna glandulaeque illae, crescente

---

(15) Plura experimenta hujus generis annotavit A. F. Schweigger Handbuch der Naturgeschichte der Scelettlosen ungegliederten Thiere, §. 255—257. pag. 672—684. Leipzig 1820. in 8vo.

(16) Vide ejus opus Eclaircissements de quelques difficultés sur la formation et l'accroissement des coquilles, in Mém. de l'Acad. pour l'année 1716.

Mollusco, ab antiquioribus semper removeantur anfractibus fit, ut externa tantum lamella coloretur, dum interna albida manet. Dein diversi colores a diverso, quem glandulae in quaque specie induunt, charactere, atque a diversa earundem positione pendent. Multum porro huc conferunt lux et calor, ita ut quae in locis umbrosis vivunt Mollusca, vel ad fundum maris, testes habeant minus distincte pictas. Simile quid obtinet in conchyliis regionum frigidiorum, neque aliter sese res habet in ceteris animalibus; colores varios et vividos praesertim in iis observamus, quae in zona torrida reperiuntur.

§. 15.

Expositio terminorum quorumdam in hocce opusculo adhibendorum.

Conchylia sive testas vocamus corpora formae diversissimae, cretacea, plus minusve tenuia, dura, nitide fragilia, facile conservanda, quaeque continuo cuti animalis cujusdam adhaerent.

Sunt conchylia vel univalva quorum testa ex una constat parte et nonnumquam cum parte accessoria; vel bivalva, quorum testa ex duabus constat partibus et praeterea saepe adest pars quaedam accessoria; vel multivalva; haec ex pluribus constant partibus.

Testae in genere sunt vel terrestres, vel fluviatiles, vel marinae, ex diversis, quibus degunt locis.

Quod ad mobilitatem pertinet et immobilitatem testa dicitur:

Libera cum aliis corporibus non adfixa est, neque ullum fert adhaesionis indicium.

Adfixa quando ope substantiae ipsius sui corporis vel testae aliis corporibus adhaeret.

Adhaerens, cum ope intermedii cujusdam aliis adhaeret corporibus.

Quod ad structuram pertinet testa dicitur:

Solida cum tota testa ictui satis valido resistit.

Fragilis.

Crassa, si non tota testa, sed valvae ictui satis valido resistunt.

Compacta.

Tenuis.

Papyracea, si majorem etiam tenuitatis gradum testa habet.

Hyalina ab ὑαλινὸς, vitreus, pellucidus.

Diaphana, idem sed minori gradn, a διαφαινω.

Foliacea, quando laminae quae testam componunt, minime sunt compactae.

Quod ad compositionem chemicam adtinet, testa dicitur:

Membranacea, quando testa maximam partem ex substantia constat mucosa.

Quod ad colorem pertinet:

Alba, *fulva* etc.

Quod ad dispositionem colorum attinet, dicitur:

Fasciata, quando fasciae alius coloris, quam est fundi color, superficiem testae ornant.

Radiata, idem, nempe quando locum habet in bivalvis, ut praecedens in univalvis.

Unvalva.

Horum testa, quod ad formam generalem attinet, dicitur:

Discoïdea, quae disci habet formam.

Fusiformis, quae in medio tumescit et versus ambas extremitates cuspidata est.

Spirivalvis, quae formatur sui ipsius involutione.

Dextrorsa, cujus anfractus respectu apicis, versus observatorem directi, dextrorsum decurrunt.

Sinistrorsa, cujus anfractus sinistrorsum volvuntur.

Cetera, quippe quae notiora sunt, ut *carinata*, *convoluta*, *elongata*, *orbicularis*, *oblonga* cet. non memoro.

Apex est illa pars testae, ubi incipit formatio; est testae initium.

Basis est pars apici opposita, quae plus minusve oblique dorso Mollusci incumbit.

Spira, est tota illa pars, quae formatur circumvolutione coni spiralis, quae dicitur:

> *Depressa*, quando anfractus conjuncti superficiem planam formant.
>
> *Exserta*, quae valde longa neque ampla est, et cetera. —

Anfractus, vocantur spirae circumvolutiones, qui sunt:

> *Lamellati*, qui tenuibus lamellis transversis circumdantur.
>
> *Contrarii*, sive sinistri qui sinistrorsum volvuntur, etc. —

Sutura, quando anfractus plus minusve convexi profunditate quadam sunt distincti, haec profunditas sutura dicitur.

Striae, sunt parvae lineae profundiusculae, quae dicuntur:

> *Longitudinales*, quando ab apice ad labrum decurrunt.
>
> *Transversae*, quando respectu totius testae transverse decurrunt, etc.

Sulci, sunt parvae lineae profundae, dicuntur:

> *Obsoleti*, quando fere disparuerunt, etc.

Radii. sunt parvae lineae prominulae.

Costae, sunt lineae crassae, prominulae respectu totius testae transversales.

Varices, sunt lineae prominulae, transversae, respectu anfractuum, productae a marginibus crassis antiquae aperturae inque anfractibus spirae conservatis.

Tubercula, sunt eminentiae plus minusve elevatae.

Columellae, anfractus spirae aut transversaliter et verticaliter sese tangentes aut non tangentes, in medio testae conum quemdam formant, cujus apex in apice testae est; hicce conus columella vocatur.

Umbilicus, quando anfractus spirae sese non tangunt, intra columellam cavitas quaedam relinquitur, umbilicus dicta.

Apertura, est testae introitus.

Cauda, est productio plus minusve longa columellae cum labro laterali.

Brevis, cujus longitudo ultimo anfractui non aequat.

Labrum est margo aperturae vel ultimi anfractus et formatur conjunctione superficiei externae testae cum interna.

Columellare seu *internum*, quod ad columellam situm est.

Laterale seu *externum*, columellari labro oppositum.

Acutum, quod tenue est neque aetate crassius fit; etc.

Faux est omne id, quod per aperturam intra testam conspici potest, ultimi nempe semi-anfractus interna superficies.

Operculum est illa pars vel calcarea vel cornea, quâ Molluscum suae testae aperturam claudit.

Bivalva.

Partes ex quibus testa bivalva constat valvae seu conchae vocantur.

Valva dextra dicitur quae ad dextram est Mollusci.

Valva sinistra, quae ad sinistram est Mollusci.

Margo valvarum, quae ad dorsum Mollusci sita est, *dorsalis* est, quae ad ventrem *ventralis*.

Testa bivalvorum dicitur:

Aequivalvis, quando valvae perfecte aequales sunt.

Inaequivalvis, quando valvae inaequales sunt.

Aequilatera, si anterior pars cujusque valvae aequalis est parti posteriori; *inaequilatera*, si inaequalis.

Apex, est in bivalvis idem ac in univalvis, ea nempe pars, ubi incipit testae formatio (crochet apud Lamarckium).

Tissura, adest ab anteriore apicis parte, depressio quaedam satis longa, fissura dicta (vulva apud Linnaeum).

Nates, dicuntur illae partes, quae prope apicem sitae, connexae sunt et maxime prominent, qui sunt:

Decorticati, quum epidermis detrita est.

Labia, sunt partes testae ad marginem ventralem.

Nymphae, formantur lamina paullum prominula, elongata, cui adnectum est ligamentum; dicuntur:

Prominulae, si lamina illa extus prominet.

Pubes, quando fissura cum omnibus suis partibus ovali spatio comprehenditur: illud spatium versus anteriora situm atque utrisque valvis formatum pubes vocatur. Est:

Carinata, quando formatur carina prominula.

Umbo, dicitur ceterae superficiei utriusque valvae pars maxime convexa.

Impressio muscularis, dicitur illa pars in interna valvae superficie, quae fere semper magis plana est, et in quibus striae observantur concentricae, lucidae. Sunt hae partes vestigia, ubi annecti fuerint musculi, adductores dicti (17).

Ligamentum, est illa pars cornea, elastica, quae utramque valvam ad marginem dorsalem conjungit)hymen Linnaei), quod dicitur:

Externum, quod extus conspicitur.

Internum, quod intra valvas situm est.

Posticum, quod post apicem situm est.

Cardo, est dispositio peculiaris, eminentiarum et cavitatum, in utraque valva sese invicem includentium.

Lamina cardinalis, vocatur illa pars cardinis, quae dentes sive eminentias fert.

Dentes; hoc nomine insigniuntur eminentiae cardinis.

Dens cardinalis, est qui immediate sub apice situs et primarius est.

Dens lateralis, est qui magis ab apice versus latus distans minoris quam cardinalis est momenti.

Fovea et *sinus* sunt cardinis cavitates, quae dentes recondunt; dicitur:

Cardinalis, quae dentem cardinalem recondit.

Periphaerea est summae omnium marginum.

Multivalva (Cirripedes).

Horum testa dicitur:

Adfixa, quae aliis corporibus est adfixa.

Gregalis, quando species quaedam testarum hujus generis magno semper numero in eodem loco aggregatur; quaevis earum testa gregalis dicitur.

---

(17) Secundum numerum harum impressionum Lamarckius suas conchiferas divisit in *monomyraia*, quae in utraque valva unam habent impressionem muscularem, et in *dimyaria*, quae duas habent.

Apertura, vid. pag. 24.

Operculi valvae, constant in multis Cirripedibus operculum ex pluribus partibus, valvae dictis.

Sulci, vid. pag. 23.

Radii, vid. eandem pag.

Brachia, sunt partes corporis Cirripedis, ad caput sitae, cirrisque obsessae, quas saepe inter valvas operculi extendit.

Cephalopoda.

Brachia, sunt partes carnosae, longae, quae caput Cephalopodum circumdant, quibusque ut pedibus et brachiis utuntur.

Cotyledones sunt parvi globuli excavati, carnosi, quae vox a κοτυληδὼν derivanda; quibus Cephalopodum brachia magna copia obsessa sunt.

Alae, dicuntur lamellae membranosae ad latera vaginae, quae Cephalopodum corpus continet.

PARS SECUNDA.

I. *Cirripedes*.

1. *Sessiles*.

Balanus, corpus sessile, testâ operculata inclusum, brachia numerosa, biordinata, inaequalia, articulata, ciliata, cirris gemellis pedunculo impositis composita, extra operculum exsertilia, os non prominulum: maxillis quatuor transversis dentatus; praeterea appendicibus quatuor hirsutis palpos simulantibus.

Testa sessilis, adfixa, univalvis, conica, apice trnncata: fundo lamellâ testaceâ adhaerente clauso. Apertura subtrigona aut elliptica. Operculum internum, quadrivalve; valvis mobilibus, prope basin internam testae insertis.

* *Balanus sulcatus*. Testa gregalis, albida, incurvata, longitudinaliter sulcata tranverse striata; Sulci irregulares. Pars dorsalis gibbosa.

Zeepuist. Baster Natuurkundige Uitspanningen Tab. XII. Fig. 7—10.

Lepas Balanus. Linnaeus Systema Naturae pag. 1107. — Chemnitz Conchylien Tom. VIII. p. 301. Tab. 97. Fig. 820.

Balanus sulcatus. Lamarckius Species II. Tom. V. p. 390.

Habitat mare.

Plaats. Aan het strand, op steenen, palen en schelpdieren, bij den hoek van Holland, en aan de Helder.

* *Balanus ovularis.* Testa gregalis, conica, ventricosa, truncata, alba, vel subrubra, laevis; radii laevissimi; operculi valvae subacutae tenues.

Lepas Balanoïdes. Linnaeus Syst. Nat. pag. 1108. — Chemnitz Conchyl. Tom. VIII. Tab. 97. fig. 824.

Balanus ovularis. Lamarckius Spec. VIII. Tom. V. p. 392.

Habitat aquas marinas et dulces.

Pl. Aan de kusten, op schelpdieren, in de rivieren, op steenen en hout, aan den hoek van Holland en in den Rhijn bij Leyden.

Balanus Miser. Testa gregalis, brevis, truncata; sulcata. Sulci plurimi ad basin praesertim. — Margines valvarum operculi dorsalium et ovalium, ubi hi sese recipiunt, dentati.

Chemnitz Conchyl. Tom. VIII. Tab. 97. fig. 821. — Encyclopédie Pl. 164. fig. 4.

Balanus Miser. Lam. Spec. IX. Tom. V. p. 392.

Habitat mare.

Pl. Op de steenen der zeeweringen aan de Helder in Noordholland, en bij Huisduinen op palen in de zee staande.

2. *Pedunculati.*

Anatifa. Corpus testa obtectum, pedunculo tubuloso, tendineoquè impositum. Brachia tentacularia, numerosa, longa, inaequalia, articulata, ciliata, sub corporis apice hinc exsertilia.

Testa lateralibus compressa, quinquevalvis: valvae contiguae, inaequales; laterum inferiores majores.

* *Anatifa laevis.* Testa compressa, sublaevis, radiis obsoletissimis, sulcis laevibus cum margine paralellis. Tubus elongatus, pedunculatus.

Lepas Anatifera. Linn. Syst. Nat. p. 1109. — Chemnitz Conchyl. Tom. VIII. Tab. 100. fig. 853. — Encyclopedie Pl. 166. fig. 1.

Anatifa laevis. Lamarck. Tom. V. p. 404. Sp. I.

Habitat mare.

Plaats: aan de Helder, aan de bodems der schepen uit de Oostindiën komende.

II. *Acephala.*

1. *Nuda.*

Ascidia. Corpus bitunicatum, corporibus marinis basi adfixum; tunica exterior subcoriacia, sacculum irregularem, ovatum, vel cylindraceum, superne foraminibus duobus inaequalibus, apertum, efformans: foramine altero humiliore.

Tunica interior vel propria, corporis recondens partes, cavitatem integram, sacculi non implens; ad margines foraminum sacculi extremitatibus duabus.

Ascidia ampulla. Corpus ovatum, tomentosum; orificia tubulosa, margine punctata.

Ascidium. Baster Natuurk. Uitsp. p. 84. Tab. 10. fig. 5, a. b. c. d.

Ascidia ampulla. Lam. Tom. V. pag. 124.

Habitat mare.

Pl. Aan de sluizen in vele streken van Zeeland.

2. *Testacea.*

Ordo Primus. *Dimyaria.*

Duo ad minimum musculi quorum ope testa clauditur, horum musculorum impressiones observantur prope extremitates utriusque valvae.

Sectio I. *Crassipedes.*

Pallium antrorsum perfecte aut pro parte clausum; pes crassus posticus; testa clausa, versus latera hians.

1. *Tubicolla.*

Testa aut tubulo testaceo a valvis distincto contenta aut incrustata sive partim in tubuli pariete, aut extus prominens.

Teredo. Animal praelongum, vermiforme, tubo testaceo vestitum, lignum terebrans; antice tubulos duos breves exserens, corporaque duo opercülifera lateribus tubulorum adhaerentia; postice musculum brevem testa bivalvi receptum et adfixum immittens.

Tubus testaceus, cylindricus, flexuosus, utraque extremitate pervius, a testa alienus, animal vestiens. Testa bivalvis, postica, extra tubum disposita.

Teredo Navalis. Antice palmulae duae, breves, simplices, callo operculiformi terminatae.

Teredo Navalis. Linn. Syst. Nat. p. 1267. — Encyclopédie Pl. 167. fig. 1 - 5. — Houttuin, 16de Deel bladz. 592.

——————— Lamarck. pag. 440. Sp. I. Tom. V.

Habitat mare.

Pl. In de bodems der schepen aan de Helder.

2. *Pholadaria.*

Testa absque vagina tubulosa, sive partibus munita accessoriis, distinctis a valvis, sive ab anteriore quam maxime hians.

Pholas. Animal testam bivalvem inhabitans, vagina tubulosa destitutum, tubulos duos coalitos, tegumento communi saepe vestitos, antica exserens, postice pedem vel musculum brevem crassimum apice retusum emittens.

Testa bivalvis, aequivalvis, transversa, utroque latere hians; accessoribus partibus testaceis, variis supra vel infra cardinem adjunctis. Margo inferior aut posterior valvarum superne reflexus.

Pholas dactylus. Testa elongata antice angusto-rostrata, costis anticis dentato-muricatis. Latus posticum, apice rotundatum, porrectum.

Pholas dactylus. Linn. Syst. Nat. p. 1110. — Chemnitz Conchyl. Tom. VIII. Tab. 101. fig. 859. — Encyclopédie Tab. 168. fig. 2 - 4.

——————— Lam. pag. 444. Sp. I. Tom. V.

Habitat mare et rupes ad mare sitas.

Pl. Aan het strand bij Huisduinen en Zandvoort in Noordholland.

* *Pholas crispata.* Testa ovalis parte posteriori rotundiusculo-truncata, hiantissima, crispato-striata. Sulcus a vertice decurrens unicus, submedianus.

Pholas crispata. Linn. Syst. Nat. p. 1111. — Chemnitz. Tom. VIII. Tab. 102. fig. 872 - 874. - Encyclopédie Tab. 169. fig. 5 - 7.

——————— Lamarck. p. 445. Sp. VII. Tom. V.

Habitat mare.

Pl. Aan het strand bij Katwijk en Scheveningen.

3. *Solanacea.*

Testa transversim elongata absque partibus accessoriis ad extremitates tantum hians. Ligamentum externum.

Solen. Testa bivalvis, aequivalvis, transversim elongata, utroque latere hians; natibus minimis, saepe vix perspicuis.

Dentes cardinales parvi, numero variabiles, interdum nulli, raro divaricati, in foveas rarius intrantes. Ligamentum externum.

Solen vagina. Testa linearis, recta; extremitas altera marginata; cardines unidentati.

Solen vagina. Linn. Syst. Nat. p. 1113. — Lamarckius Hist. des animaux vertèbrés, Tom. V. pag. 451. Sp. I.

Habitat mare.

Plaats: Aan de Noordhollandsche kust.

* *Solen siliqua.* Testa linearis, subrecta; cardo alter bidentatus.

Solen siliqua. Linn. Syst. Nat. p. 1113.
——————— Lamarck. Hist. Nat. Tom. V. p. 451. Spec. IV.

Habitat mare.

Pl. Aan de Noordhollandsche kust bij Zandvoort.

* *Solen ensis.* Testa subensiformis tenuis, subarcuata; cardo alter bidentatus.

Solen ensis minor et angustior. Varietas B. apud Lamarck. Hist. Nat. Tom. V. p. 425. Sp. V.

Solen ensis. Encyclopédie méthodique, Tab. 223. fig. 1, 2.

Habitat mare.

Pl. Aan de Noordhollandsche kust.

4. *Myaria.*

Ligamentum internum. Dens unicus, latior et cochleariformis, sive in quaque valva, sive in una tantum, cui inseritur ligamentum. Testa hians ad ambas extremitates laterales, vel ad unam tantum.

Mya. Testa bivalvis, transversa, utrinque hians. Dens cardinalis unicus, magnus, dilatato-compressus, rotundatus, verticaliter prominens ad valvam sinistram. Fovea cardinalis in altera valva, ligamentum internum, denti prominulo foveaeque alterius valvae insertum.

* *Mya truncata.* Testa ovata, ventricosa, postice truncata; cardinis dens retrorsum spectans rotundatus integerrimus.

Mya truncata. Linn. Syst, Nat. p. 1112. — Chemnitz Conchyl. Tom. VI. Tab. 1. fig. 1, 2. — Encyclopédie, Tab. 229. fig. 2, a, b.
——————— Lamarck. Hist. Nat. Tom. V. p. 461. Sp. I.

Habitat mare.

Pl. Aan het strand bij Scheveningen, aan de Helder en op Tessel.

* *Mya arenaria.* Testa ovata, anterius rotundata; cardinis dente magno, cochleariformi denticulo laterali aucto.

Baster Natuurk. Uitsp. Pl. VII. fig. 1, 2, 3.

Mya arenaria. Linn. Syst. Nat. p. 1112. — Chemnitz Conchyl. Tom. VI. Tab. 1. fig. 3, 4. — Encycl. Méth. Tab. 229. fig. 1, a, b.

—— —— —— Lamarck. Tom. V. p. 461. Sp. II.

Habitat mare.

Pl. Aan het strand bij Scheveningen, Katwijk, de Helder en op Tessel.

Sectio II. *Tenuipedes.*

Pallii lamellae non aut fere non conjunctae sunt ab anteriore. Pes parvus, compressus. Latera saepius non multum patent.

1. *Mactratia.*

Pes parvus, sed compressus, atque ad locomotionem aptus. Testa aequivalvis, saepius hians, ad extremitates laterales. Ligamentum internum, cum vel absque complicatione ligamenti externi.

Lutraria. Testa inaequilatera, transversim oblonga, vel rotundata, ad extremitates laterales hians. Cardo dente unico subcomplicato vel dentibus duobus: altero simplici cum fovea adjecta, deltoidea, obliqua, intus prominente. Dentes laterales nulli. Ligamentum internum, foveis adfixum.

* *Lutraria compressa.* Testa planiscula, compressa, rotundato-trigona, squalida, transversim striata.

Encycl. Tab. 257. fig. 4.

Lutraria compressa. Lamarck. Tom. V. p. 469. Sp. IV.

Habitat mare.

Pl. Aan het strand bij ter Heide in Zuidholland, en bij Huisduinen in Noordholland.

Mactra. Testa transversa, inaequilatera, subtrigona, ad latera paullisper hians; natibus prominentibus. Dens cardinalis in utraque valva compressus, plicato-canaliculatus, cum adjecta foveola intus prominula. Dentes laterales duo compressi, utrinque prope cardinem admoti, inserti. Ligamentum internum, foveolae cardinali insertum.

Mactra stultorum. Testa ovato-trigona, laevis, subdiaphana, pallide fulva; radii albidi obsoleti; facies interna albido purpurascens.

Mactra stultorum. Linn. Syst. N. p. 1126. — Chemnitz Conchyl. Tom. VI. Tab. 23. fig. 224, 225. — Encycl. Tab. 256. fig. 2, a, b.

—— —— —— Lamarck. Tom. V. p. 474. Sp. VII.

Habitat mare.

Pl. Aan het strand bij Katwijk en Scheveningen.

Mactra solida. Testa trigona, opaca, laeviuscula, subantiquata.

Mactra solida. Var. a Lamarckii.

——————— Var. b Lamarckii.

Testa cingulis, olivaceis, fuscis, aut coeruleis picta.

Chemnitz Conch. Tom. VI. Tab. 23. fig. 229.

Habitat mare.

Pl. Aan het strand bij Zandvoort en ter Heide.

4. *Nymphacea.*

Dentes duo cardinales, ad plurimum in eadem valva. Testa saepius subhians ad extremitates laterales; ligamentum externum. Nymphae in genere extus prominulae.

Tellina. Testa transversa vel orbicularis, ut plurimum planulata; latus anticum, angulatum, margine inflexum, aut plicatura irregulari, flexuosa insignitum. Dens cardinalis unicus vel dentes cardinales duo in eadem valva. Dentes laterales duo, saepe remoti.

Tellina tenuis. Testa ovato-trigona, tenuis, planiuscula, tenuissime striata, rubella vel alba: superne fasciae angustae, albicantes.

Tellina tenuis. Lamarck. Tom. V. p. 526. Sp. XXV.

Habitat mare.

Pl. Aan het strand van de Provincie Holland.

Tellina solidula. Testa orbiculato-trigona, connexa, postice subangulata, rubella, aut flavescens; fasciae concentricae, albidae, rubrae aut flavae.

Tellina solidula. Lamarck. Tom. V. p. 543. Sp. LI.

Habitat mare.

Pl. Aan het strand bij Zandvoort.

Donax. Testa transversa, aequivalvis, inaequilatera; latus anticum, brevissimum, obtusissimum. Dentes cardinales duo, vel in utraque valva, vel in altera: laterales unus sive duo, subremoti. Ligamentum externum, breve, posticum, ani loco insertum.

* *Donax trunculus.* Testa ovato-trigona, anterius subrotundata, radiis longitudinalibus, margine ventrali subtilissime dentato; extus ochracei coloris, intus albo purpurascens.

Donax trunculus. Linn. Syst. Nat. p. 1127. — Chemnitz Conchyl. Tom. VI. Tab. 26. fig. 253, 254.

——————— Lamarck. Tom. V. p. 561. Sp. XXIV.

Habitat mare.

Pl. Aan het strand bij Zandvoort.

Sectio III. *Lamellipedes.*

Pes complanatus, lamelliformis, non posterior.

1. *Conca.*

Ad minimum tres dentes cardinales in una valva, in altera dentium cardinalium idem vel minor numerus.

Conca fluviatilia.

Testa epidermide spuria tecta. Dentes laterales.

Cyclas. Testa ovato-globosa, transversa, aequivalvis; natum umbonibus tumidis; cardo dentibus minimis, inter subnullis: modo duobus in utraque valva; uno complicato; modo dente unico subcomplicato, vel lobato in unica valva, et duobus in altera. Dentes laterales transversim elongati, compressi, lamelliformis. Ligamentum externum.

* *Cyclas cornea.* Testa subglobosa, ventricosa, tenuis, tenerrime striata. Zona marginalis lutescens. Umbones obtusi.

Tellina cornea. Linn. Syst. Nat. p. 1120. — Chemnitz Conchyl. Tom. VI. Tab. 13. fig. 133, a, b.

Cyclas rivalis. Draparnaud Histoire des Mollusces de la France, p. 129. Pl. 10. fig. 4, 5.

Cyclas cornea. Lamarck. Tom. V. p. 559. Sp. II.

——————— Pfeiffer Land- und Wasser-Schnecken, pag. 120. Tab. 5. fig. 1, 2.

Habitat aquas dulces.

Pl. In de slooten bij Leyden, den Haag, enz. In de Provincie Groningen. (Initia Faunae Groninganae, p. 12, nº. 47).

* *Cyclas lacustris.* Testa subrhombea, planiuscula, tenuis, substriata, subinaequilatera; umbones obtusiusculi;

Chemnitz Conch. Tom. VI. Tab. 13. fig. 135.

Cyclas lacustris. Drap. Hist. des Moll. p. 130. Tab. 10. fig. 6, 7.

——————— Lamarck. Tom. V. p. 559. Sp. III.

——————— Pfeiffer Land- und Wasser-Sc. pag. 122. Tab. 5. fig. 6, 7.

Habitat aquas dulces.

Pl. Bij Leyden, den Haag en Losduinen in Zuidholland.

* *Cyclas calyculata.* Testa orbiculo-rhombea, subdepressa, tenuis, diaphana, albo-lutescens; nates protuberantes.

Cyclas calyculata. Drap. Hist. etc. p. 130. Tab. 10. fig. 14 et 15.
——————— Lamarck. Tom. 5. p. 559. Sp. V.
——————— Pfeiffer Land etc. p. 122. Tab. 5. fig. 17-18.

Habitat aquas dulces.

Pl. In slooten bij den Haag en Losduinen.

* *Cyclas Nucleus.* Testa glabra, ventricosa, tenuis, tenerrime striata, formam exhibens nuclei cerasi, cornea; zona marginalis lutescens. Umbones obtusi.

Habitat aquas dulces.

Pl. In slooten om Leyden en Haarlem.

Conca marina.

Dentes laterales nulli in plurimis; raro testa Epidermide tecta est.

Cytherea. Testa aequivalvis, inaequilatera, suborbicularis, trigona, vel transversa, cardo valvae dextrae dentibus quatuor, quorum tribus basi convergentibus et approximatis: unico-solitario, remotiusculo, sub avo. Cardo alterius valvae dentibus tribus divaricatis, basi approximatis cum fovea remotiuscula, margini parallela. Dentes laterales nulli.

Cytherea Chione. Testa ovato-cordata, laevis, fulva, subradiata; sulci transversi, obsoleti, anum versus sublanceolata.

Venus Chione. Linn. Lamarck. S. N. p. 1131. — Chemnitz Conch. Tom. VI. Tab. 32. fig. 343. — Encyc. Tab. 266. fig. 1. a, b.

Cytherea Chione. Tom. V. p. 566. Sp. XXII.

Habitat mare.

Pl. Aan de Kusten van Holland.

Venus. Testa aequivalvis, inaequilatera, transversa vel suborbicularis, cardo dentibus tribus, omnibus approximatis in utraque valva; lateralibus apice divergentibus. Ligamentum externum nymphas labiaqua obtegens.

* *Venus cingulatum.* Testa cordata, valde convexa, annulis transversis, arenulatis, cincta; striis intermediis, tenuissimis; maculis fuscis, subradiatis.

An Chemnitz Conch. Tom. VI. Tab. 36. fig. 386?

Venus cingulatum. Lamarck. Tom. V. p. 590. Sp. XVII.

Habitat mare.

Pl. Aan het strand tusschen Katwijk en Wijk aan Zee.

2. *Cardiacea.*

Dentes cardinales irregulares sive quod formam pertinet, sive ad situm, atque in genere uno aut duobus dentibus lateralibus comitati.

Cardium. Testa aequivalvis subcordata; nates prominuli; valvae margine interno dentatae vel plicatae. Cardo in utraque valva dentibus quatuor: duobus cardinalibus approximatis, obliquis, mutua insertione sese cruciatim excipientibus; duobus lateralibus remotis, insertio.

* *Cardium echinatum.* Testa cordata, tumida, subaequilatera, Costae convexae, linea papillifera exaratae, Papillae subtubulosae, cochleariformes aut spatulatae.

Cardium echinatum. Linn. S. N. p. 1122.
———————— Lamarck. Tom. VI. Pars I. p. 7. Sp. XII.

Habitat mare.

Pl. Aan het strand bij Zandvoort; bij Blankenberg in Zeeland.

* *Cardium Serratum.* Testa obovata, inaequilatera, laeviuscula; sulci longitudinales, obsoleti, ad latus anticum nulli. Margo interior serratus.

Cardium Serratum. Linn. S. N. p. 1123. — Encycl. Tab. 299. fig. 2.
———————— Lamarck. Tom. VI. P. I. p. 7. Sp. XIII.

Habitat mare.

Pl. Aan het strand bij Zandvoort.

* *Cardium rusticum.* Testa subcordata, ventricosa, transversa, albida aut cinerea, superne antiquata. Costae viginti tres, transversim sulcatae. Latus anticum, subhians, intus livido fuscescens.

Cardium rusticum. Lamarck. Tom. VI. P. I. p. 12. Sp. 30.

Habitat mare.

Pl. Aan het strand bij Katwijk.

* *Cardium edule.* Testa rotundata, cordata, obliqua, subantiquata, sulci 26 transversim striati, superne posticeque crenati, subimbricati.

Chemnitz Conch. Tom. VI. Tab. 19. fig. 194. — Encycl. meth. Tab. 312, fig. 2.
Cardium edule. Lamarck. Tom. VI. P. I. p. 12. Sp. XXXI.

Habitat mare.

Pl. Aan het strand aan de Helder en bij Huisduinen.

5. *Najades.*

Conchylia fluviatilia. Cardo nunc uno dente cardinali irregulari instructus. Simplici vel diviso, unoque dente laterali, sub cardinem producto; nunc dente destitutus vel juxta ejus longitudinem tuberculis irregularibus, granulosis obsessus. Impressio muscularis postica, composita; umbones decorticati saepius erosi.

Unio. Testa transversa, aequivalvis, inaequilatera, non adfixa. Nates decorticati, suberosi; impressio muscularis postica, composita. Cardo dentibus duobus in utraque valva, dens cardinalis unicus, brevis, irregularis, simplex, aut bipartitus, substriatus, alter elongatus, compressus, lateralis, infra pubem productus. Ligamentum externum.

α. Dens cardinalis, brevis, crassus, non cretaceus et substriatus.

* *Unio Margaritifera.* Testa elliptica, crassa, nigricans; nates subdepressi, decorticati; dente cardinali minuto, subconico, laterali nullo.

Mya margaritifera. Linn. S. N. p. 1112.

Unio margaritifera, junior. Draparnaud Hist. des Moll. Tab. 11. fig. 5.

Unio elongata. Lamarck. Tom. VI. p. 70. Sp. II?

Unio margaritifera. Land und Süsswasser Schnecken Pfeifferi p. 160. Tab. V. fig. 11.

Habitat aquas fluviatiles.

Pl. In den Rhijn bij Utrecht, in de Brouwerskolk bij Haarlem.

β. Dens cardinalis brevis, compressus, relevatus, et saepius cretaceus.

* *Unio rostrata.* Testa transversim elongata, postice attenuato-rostrata. Extremitas anterior subtruncata, nates rugosi, coinduti.

Unio rostrata. Lamarck. Tom. VI. P. I. p. 77. Sp. XXXI.

Unio tumida. Pfeiffer Land- und Süss-wasser Mollusken Tab. VIII. fig. 1, 2.

Habitat fluviatiles aquas.

Pl. In den Rhijn en in de Lee bij Leyden.

* *Unio pictorum.* Testa ovato-oblonga, posterius linguaeformis anterius rotundiuscula. Nates subverrocosi.

Mya pictorum. Linn. S. N. p. 1112. — Encycl. Tab. 248. fig. 4. — Sturm. Fauna Abth. VI. Heft. 2. Tab. a, b, c.

Unio Pictorum. Lamarck. Tom. VI. P. I. p. 77. Sp. XXXII.

——————— Pfeiffer Land- und Süss-wasser Moll. Tab. 5. fig. 9, 10.

Habitat aquas fluviatiles.

Pl. In den Rhijn en in de Lee bij Leyden. In de beeken bij Monster in Zuidholland. In de Prov. Groningen. (Init. Faunae Gron. p. 12, n. 46.)

* *Unio Batava.* Testa ovata, tumida, e viridi lutescens, radiata. Latus anticum, brevissimum, posticum oblique curvum, extremitate rotundatum.

Encycl. Tab. 248. fig. 5.

Unio Pictorum Var. β Drap. Hist. des Moll. p. 131. Planche XI. fig. 3.

Unio Batava. Lamarck. Tom. VI. P. I. p. 78. Sp. XXXIII.

——————— Pfeiff. L. u. Wasser Schn. Tab. 5. fig. 14.

Habitat aquas fluviatiles.

Pl. In den Rhijn bij Leyden en in de Lek.

Anodonta. Testa aequivalvis, inaequilatera, transversa. Cardo linearis, edentulus, Lamina cardinalis glabra, adnata, antice truncata aut sinu desinens, testae ba-

Basin terminet. Impressiones musculares duae, remotae, laterales, subgemellae. Ligamentum lineare, externum, extremitate antica in sinu laminae cardinalis demissum.

* *Anodonta cygnea.* Testa ovata, fragilis, antice dilatata, rodundata, sulci, transversi, inaequales. Nates retusi.

Anodonta cygnea. Lamarck. Tom. VI. P. I. p. 84. Sp. I.
——————— Pfeiffer L. u. W. Schnecken p. 111. Tab. 6. fig. 4.

Habitat aquas dulces.

Pl. In de brouwerskolk bij Haarlem. In de Provincie Groningen. (Init. Fannae Gron. p. 12. n. 44).

* *Anodonta intermedia.* Testa rhombeo-ovata, tenuis, subradiata, antice brevis, rotundata, pubis elevata, compresso-carinata, nates retusi.

Chemnitz Conch. Tom. VIII. Tab. 86. fig. 763. — Encycl. Tab. 201. fig. 2.
Anodonta intermedia. Lamarck. Tom. VI. P. I. p. 86.
————————— Pfeiffer L. u. W. Schnecken. pag. 110. Tab. VI. fig. 5.

Habitat aquas dulces.

Pl. In den Rhijn en de Lee bij Leyden. In de Brouwerskolk bij Haarlem.

* *Anodonta anatina.* Testa ovato-oblonga, fragilis, antice rotundata, postice subangulata, transversim inaequaliter sulcata, striata. Nates retusi.

Anodonta anatina. Lamarck. Tom. VI. P. I. p. 85. Sp. II.

Habitat aquas dulces.

Pl. In de Provincie Groningen. (Init. Fannae Gron. p. 12. n. 45.

* *Anodonta ponderosa.* Testa elliptico-ovalis, ventricosa, crassa; anterius et posterius rotundata, superne compressa, nates retusi. Laminae cardinalis sinus ampliatus.

Chemnitz Conch. Tom. VIII. Tab. 86. fig. 762.
Anodonta ponderosa. Pf. L. u. Sw. Moll. p. 51, Tab. 4. fig. 1—6.

Habitat aquas fluviatiles.

Pl. In den Rhijn en in de Lee bij Leyden.

* *Anodonta Zellensis.* Testa elliptico-ovata, fragilis, ventricosa, transversim sulcata, anterius rotundata, inferius subemarginata, posterius linguaeformi-producta, biangulato-subrhombea. Nates retusi.

Encycl. Tab. 202. fig. 1. a, b.
Anodonta Sulcata. Lamarck. Tom. VI. P. I. p. 85. Sp. III.
Anodonta Zellensis. Pfeiffer L. u. W. Schneck. p. 110. Tab. 6. fig. 1.

Habitat aquas dulces.

Pl. In den Rhijn en in de Lee bij Leyden. In de Brouwerskolk bij Haarlem.

Anodonta ventricosa.

Ordo Secundus. *Monomyaria.*

Unus tantum musculus qui corpus perforare videtur.

3. *Mytilacea.*

Cardinis ligamentum subexternum, marginale, lineare, quam maxime integrum, magnam marginis anterioris partem occupans. Testa raro squammifera.

Mytilus. Testa longitudinalis, aequivalvis, basi acuta, bysso saepius adfixa. Nates acuti, subrecti, terminales. Cardo lateralis, in plurimis edentulus. Ligamentum marginale, subinternum. Impressio muscularis elongata, clavata, sublateralis.

* *Mytilus edulis.* Testa oblonga; posterius curva, compresso-angulata; anterius retusa, versus basin tumidula; dentes subquaterni.

Mossel. Baster Nat. Uitsp. Tab. 11. fig. 9.

Mytilus edulis. Lamarck. Tom. VI. P. I. p. 126.

Habitat mare.

Pl. Tusschen de steenen der zeeweringen aan de Helder, Tessel, en aan de sluizen bij Katwijk.

* *Mytilus incurvatus.* Testa incurvata, superne dilatata, oblique rotundata, depressa; nates acuti.

Mytilus incurvatus. Maton Transact. of the Linnean Society. Tom. VIII. p. 107. Tab. 3. fig. 7.

——————— Lamarck. Tom. VI. P. I. p. 127.

Habitat mare.

Pl. Tusschen de steenen der zeeweringen aan de Helder, en aan het strand bij Huisduinen.

* *Mytilus lineatus.* Testa oblongo-trigona, extrorsum, dilatata; lineolis impressis, variis et obliquis, strias transversas decussantibus, intus argentea.

Chemnitz Conch. Tom. VIII. Tab. 84. fig. 753. n. 1, 2. — Encycl. Méth. Tab. 218. fig. 4.

Mytilus lineatus. Lamarck. Tom. VI. P. I. p. 128. Sp. XXXIV.

Habitat aquas fluviatiles.

Pl. In het Haarlemmer-meer, in den Rhijn en in de Lee bij Leyden, op steenen en schelpdieren.

4. *Pectinides.*

Ligamentum internum, aut semiexternum. Testa in genere regularis, compacta, non foliacea quod ad densitatem.

Pecten. Testa libera, regularis inaequivalvis, auriculata; margo inferus, transversus, rectus. Nates contigui. Cardo edentulus, foveola cardinalis penitus interna, trigona, ligamentum recipiens.

* *Pecten Maximus.* Testa inaequivalvis, superne planulata; radiis rotundatis longitudinaliter striatis.

Ostrae maxima. Linn. Syst. Nat. p. 1144. — Chemnitz Conch. Tom. VII. Tab. 60. fig. 585. — Encycl. Tab. 209. fig. 1, a, b.

Pecten maximus. Lamarck. Tom. VI. P. I. p. 163. Sp. I.

Pl. Aan het strand bij Noordwijk aan Zee.

5. *Ostreacea.*

Ligamentum internum, aut semi-internum; testa irregularis, foliaceo-imbricata, nonnumquam papyracea.

Ostrea. Testa adhaerens, inaequivalvis, irregularis, nates extus disjuncti, subdivaricati, aetate inaequalissimi. Valva superior minor, sensim durante animalis vita ad anteriorem partem progrediens. Cardo edentulus. Ligamentum semi-internum, in valvarum fossula cardinali adfixum. Fossula valvae inferioris aetate crescens, interdumque cum nate longitudinem maximam obtinens.

* *Ostrea edulis.* Testa ovato-rotundata, basi subattenuata; membranae imbricatae, undulatae; valva superior plana.

Oester. Baster. Tab. VIII. fig. 1 — 9.

Ostrea edulis. Linn. Syst. Nat. p. 1184. — Chemnitz Conch. Tom. VIII. Tab. 74. fig. 682. — Encycl. Tab. 184. fig. 7, 8.

——————— Lamarck. Tom. VI. p. 203. P. I. Sp. I.

Habitat mare.

Pl. Op de zeeweringen aan de Helder en op Tessel.

* *Ostrea hippopus.* Testa rotundata, magna, crassa; valva superior plana, lamellis transversis, creberrimis appressis.

Ostrea hippopus. Tom. VI. P. I. p. 203. Sp. II.

Habitat mare.

Pl. Aan de kusten van Noordholland en Tessel.

III. *Gasteropoda.*

1. *Tritonea.*

Branchiae externae supra pallium positae, sive ad dorsum sive ad ipsius latera. Respirant aquam.

Eolis. Corpus oblongum, repens, postice attenuato-acutum, supra convexiusculum, subtus planum, vel canaliculatum; velo nullo. Caput breve, tentaculis quatuor sive sex instinctum. Branchiae exsertae, per laminas squamiformes, papillas aut cirros, in dorso seriatim dispositae. Orificia generationis et ani ad latus dextrum.

Eolis Cuvierii. Corpus subovatum; supra lamellis serialibus deorsum incumbentibus; tentaculis sex.

Doris. Baster Nat. Uitsp. P. I. p. 81. Tab. 11. fig. 1.

Limax papillosus. Linn. Syst. Nat. p. 1082. — Encycl. Tab. 82. fig. 12.

Eolis Cuvierii. Lamarck. Tom. VI. P. I. p. 302. Sp. I.

Habitat mare.

Pl. Aan het zeewier op de kusten van Walcheren in Zeeland.

Tritonia. Corpus ovato-oblongum, dorso convexum, repens; caput brevissimum, latum, sessile; tentaculis duobus retractilibus, simplicibus aut divisis. Branchiae dorsales, fasciculato-ramosae, dendroides, biordinatae; seriebus longitudinalibus. Orificia generationis et ani in latere dextro.

* *Tritonia arborescens.* Corpus oblongum, tumidum, branchiae ramosae, distinctae utrinque quinae; posterioribus sensim minoribus; os quadrilamellosum.

Hartshoorn gelijk getakt zeeslakje. Bommen, Verhandelingen van het Zeeuwsch Genootschap te Vlissingen P. III. p. 318. fig. 1.

Tritonia arborescens. Lamarck. Tom. VI. P. I. p. 304. Sp. III.

Habitat mare.

Pl. Op het zeewier aan de kusten van Walcheren in Zeeland.

* *Tritonia coronata.* Corpus lacteum, subtus hyalinum; papillis dorsi rubropunctatis, pyramidalibus, utrinque sex apice rubris.

Het gekuifde of gekroonde zeeslakje. Bomme Verh. enz. P. I. p. 394. fig. 1, 2, 3.

Tritonia coronata. Lamarck. Tom. VI. P. I. p. 308. Sp. IV.

Habitat mare.

Pl. In het zeewier op de kusten van Walcheren.

Doris. Corpus repens, interdum natans, oblongum, modo planulatum, modo convexum aut subprismaticum, undique membrana cinctum; os anterius et subtus proboscidiforme. Tentacula quatuor duo supra corpus, antrorsum intra foramina aut tribus retractilia; alia duo ad os. Anus posterius in dorso; branchiae exsertae, lacumiato-fimbriatae stellatim anum cingentes; apertura generationis ad latus dextrum.

Doris stellata. Corpus ovale, convexiusculum, fuscenscens; supra tuberculis parvis rotundatis.

Het egelslakje met eene ster op de stuit. Bomme Verh. P. III. p. 318. fig. 4.
Doris stellata. Lamarck. Tom. VI. P. I. p. 311.

Habitat mare.

Pl. Aan het zeewier aan de kusten van Walcheren.

4. *Calyptracea.*

Branchiae in peculiari cavitate supra dorsum sitae prope collum et prominulae sive in cavitate illa tantum sive extus. Respirant aquam. Testa semper externa, obtegens.

Ancylus. Corpus repens, testa penitus tectum; tentacula duo compressa, subtruncata, oculi ad basin internam. Pes brevis. ellipticus, corpore angustior.

Testa tenuis, oblique conica, apex acutus, posterius inflexus; apertura ovalis, margines simplicissimi.

* *Ancylus lacustris.* Testa semi-ovata, membranacea; vertex subcentralis, apertura ovato-suboblonga.

Patella lacustris. Linn. Syst. Nat. p. 1260.
Ancylus lacustris. Drap. Tab. II. fig. 25-27.
—————— Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 27. Sp. I.
—————— Sturm. Fauna Abth. VI. Heft. IV. Tab. 8.
—————— Pfeiffer L. u. W. Schnecken, p. 109. Tab. 4. fig. 46.

Habitat aquas dulces.

Pl. Op de Nymphaea in de slooten bij Noordwijk binnen, Overveen, en Haarlem.

7. *Limacoïdea.*

Branchiae scandentes, sub forma retis fascularis supra parietem cavitatis particularis, cujus apertura foramen est quod animal ex arbitrio contrahit vel dilatat. Respirant aërem atmosphericum.

Limax. Corpus oblongum, nudum, repens, dorso convexum, anterius Clypeo coriaceo, subrugoso, instructum, subtus disco longitudinali plano. Tentacula quatuor retractilia; duobus posticis majoribus apice oculiferis. Cavitas branchialis, infra clypeum, orificio latere dextro ano communi. Generationis orificium prope tentacula dextra.

Limax rufus. Corpus longitudinaliter sulcatum, supra rufum, subtus album.

Limax rufus. Linn. Syst. Nat. p. 1081. — Encycl. Tab. 84. fig. 3.
—————— Drap. Tab. 9. fig. 6.
—————— Lamarck. Tom. VI. P. II. Sp. I.
—————— Sturm. Fauna Abth. VI. H. I.

Habitat loca nemorosa.

Pl. Voornamelijk op vuilnis en mesthopen en in boschaadjen, bij Leyden, en in den Hortus aldaar.

* *Limax agrestis.* Corpus albidum. Tentacula nigra. Pallium posteriora versus tumidum.

Limax agrestis. Linn. Syst. Nat. p. 1082.
——— ——— Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 50.
——— ——— Sturm. Abth. VI. H. I.

Habitat hortos et agros.

Pl. In den hortus te Leyden, en bij Alkmaar.

* *Limax ater.* Caput nigrum, rugosum. Pallium granulosum; margo pedis coloris aurei cum striis nigris.

Cochlea agrestis vel viarum. Swammerdam Tom. II. Bibliae Naturae. Tab. 9. fig. 1.
Limax ater. Linn. Syst. Nat. p. 1081.
——— ——— Sturm. Fauna Abth. VI. H. I.
——— ——— Drap. Tab. 9. fig. 4.

Habitat loca umbrosa.

Pl. Bijna overal; overvloedig rondom Leyden. In de Provincie Groningen. (Init. Faunae Iste vervolg, pag. 1.)

* *Limax cinereus.* Corpus cinereum, pallium maculatum, supra collum liberum. Corpus striis nigris cinereisque pictum (1).

Limax maximus. Linn. Syst. Nat. p. 1081.
Cochlea nuda. Swammerdam B. N. Tom. II. Tab. 8. fig. 4.
Limax cinerens. Drap. Tab. 9. fig. 10.
——— ——— Sturm. Fauna Abth. VI. H. 2.

Habitat silvas et arbores excavatas.

Pl. Bij Leyden in holle willigen, in de boschaadjen bij de ruine van Brederode bij Haarlem. In de Provincie Gron. (Init. Faunae Gron. Iste verv. p. 1.)

* *Limax albus.* Corpus album, rugosum. Tentacula interdum colorata. Margo saepe luteus.

Limax albus. Linn. Syst. Nat. p. 1081.
——— ——— Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 50.

Habitat nemora, sub foliis delapsis.

---

(1) Huic Limaci cinereo neque ceteris limacibus peculiare est, quod sub ejus pallio lamina sita sit calcarea, quae in initio ex duabus constat partibus, dein concrescentibus.

Pl. Onder het afgevallen loof aan de wortels der Beuken, in het Haagsche bosch en bij Heemskerk in Noordholland.

VITRINA. Corpus repens elongatum, limaciforme, majori parte rectum; parte postica, a pede separata in spiram contorta testa obvolvente: veli appendices plures posticae, usque ad testam se explicantes, eamque partim obtegentes, Tentacula quatuor ruticis duobus brevissimis.

Testa parva, tenuissima, depressa, spira brevi superne terminata; ultimo anfractu maximo. Apertura magna, rotundato-ovata; margine sinistro arcuato, intus leviter inflexo.

Vitrina beryllina. Testa subdepressa, tenuissima, hyalina, nitida; anfractibus tribus, apertura subrotundo-ovata.

Swammerdam pag. 67. Tab. 8. fig. 3, a.

Vitrina pellucida. Drap. pag. 119. Tab. 8. fig. 34—37.

Helico-limax. Daudebard de Ferussac p. 43.

Vitrina beryllina. Pfeiffer L. u. W. Schnecken p. 47. Tab. 3. fig. 1.

Habitat sub foliis delapsis in silvis.

Pl. Bij Overveen en Bloemendaal op mos en afgevallen loof.

8. *Helicoïdea.*

Tentacula cylindracea.

Testa spirivalvis; nullae partes prominulae, nisi striae et costulae incrementi. Margo labri externi, extus reflexus. Saepe operculum, respirant aërem atmosphericum.

HELIX. Testa orbicularis, superne convexa vel conoïdea, interdum globosa, spira parum exserta; apertura integra, transversa, perobliqua, axi contigua. Penultimus anfractus prominens, marginibus disjunctis.

* *Helix Pomatia.* Testa globosa, ventricosa, subperforata, pallida vel lutea, zonis tribus rufescentibus cincta. Anfractus verticaliter striati, labrum margine interiore pallide rubro reflexum. Umbilicus obtectus.

Cochlea opercularis seu vinearum. Swammerdam Tom. II. Tab. 4. fig. 2.

Helix Pomatia. Linn. S. N. p. 1244. — Chemnitz Tom. IX. Tab. 128. fig. 1138.

——————— Drap. p. 87. Tab. 5. fig. 20—25.

——————— Sturm Fauna Abth. VI. H. 1.

——————— Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 67.

——————— Pfeiffer L. u. W. Schneck. p. 25. Tab. 2. fig. 9.

Habitat montes et colles, silvas; etiam hortos. Plerumque tamen adlata est.

Pl. Wildlust bij Lisse, waar dezelve niet is aangebragt; in de boschaadjen bij Bloemendaal; op de bergen van Luxemburg.

* *Helix adspersa.* Testa globosa, imperforata, rugosiuscula, griseo-lutescens, flammulis caeruleo-fuscis, in zonas dispositis. Labrum margine anteriore albo reflexum.

Chemnitz Tom. IX. Tab. 130. fig. 1156—1158.

Helix adspersa. Drap. Tab. 5. fig. 23.

Habitat hortos.

Pl. In den Hortus te Leyden in groote menigte.

* *Helix arbustorum.* Testa subglobosa, subperforata solida, maculis brunneis luteisque adspersa, ultimus anfractus fascia fusca cincta, spira conoïdea, Labrum margine reflexum albo.

Helix arbustorum. Linn. S. N. p. 1245.
——————— Chemn. T. IX. Tab. 133. fig. 1202.
——————— Drap. Tab. 5. fig. 18.
——————— Sturm Fauna Abth. VI. H. 1.
——————— Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 18.
——————— Pfeif. Schnecken p. 24. Tab. 4. fig. 7, 8.

Habitat loca nemorosa.

Pl. Bijna overal, zeer menigvuldig bij Katwijk binnen en buiten. In de Prov. Gron. (Init. F. Gron. p. 11.)

* *Helix nemoralis.* Testa subglobosa, imperforata, tenuiter striata; color varius, nunc unicolor, nunc diversissime fasciata. Labrum margine interno fuscum aut violaceum.

Helix nemoralis. Linn. S. N. p. 1247.
——————— Chemn. Tom. IX. Tab. 133. fig. 1196—1198.
——————— Drap. Tab. 6. fig. 3—5.
——————— Lamarck. Tom. VI. P. 2. p. 81.
——————— Sturm Fauna Abth. VI. H. 2.

Habitat loca nemorosa.

Pl. Zeer algemeen op wegen, in bosschen en tuinen, (Init. F. Gron. p. 11.

Helix hortensis. Testa subglobosa, imperforata, glabra, color varius; nunc unicolor, nunc diversissime fasciata. Labrum margine interiore album.

Swammerd. Tom. II. p. 8 fig. 6.

Helix hortensis. Chemn. Conch. Tom. IX. Tab. 133. fig. 1199—1201.
——————— Drap. Tab. 6. fig. 6.
——————— Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 81.
——————— Sturm Faunae Abth. VI. H. 2.

Habitat loca nemorosa.

In de Provincie Groningen. (Init. F. Gron. p. 11.)

* *Helix Ericetorum.* Testa orbiculato-depressa, late umbicilicata, leviter striata, albida, rufa, aut fusca, fascia unica pluribusve cincta. Labrum simplex.

Chem. Conch. Tom. IX. Tab. 132. fig. 1193—1195.
Helix Ericetorum. Drap. Tab. VI. fig. 16, 17.
——————— Lamarck. Tab. VI. P. II. p. 84.
——————— Sturm Abth. VI. H. 2,
——————— Pfeif. Schn. p. 38. Tab. 2. fig. 23.

Habitat loca nemorosa.

Pl. In boschaadjen langs de duinen bij Bloemendaal en Overveen.

* *Helix cellaria.* Testa orbiculata, depressa, umbilicata, cornea, tenuis, pellucida. Labrum simplex, acutum.

Helix cellaria. Chemn. Tom. IX. Tab. 127. fig. 1129, (1 et 2.)
——— *nitida.* Drap. Tab. 8. fig. 23—25.
——— ——— Sturm Fauna Abth. VI. H. 3.
——— *cellaria.* Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 91.
——— ——— Pfeiffer Schn. p. 42. Tab. 2. fig. 29, 30.

Habitat loca paludosa.

Pl. Langs sloten in landerijen bij Alkmaar.

* *Helix nitida.* Testa orbiculata, depressa, umbilicata, tenuis, pellucida, cornea, fusca. Labrum simplex, acutum.

Helix lucida. Drap. Tab. 8. fig. 11, 12.
——— *nitida.* Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 91.
——— *lucida.* Pf. Schneck. p. 35. Tab. 2. fig. 19.

Habitat loca humida et umbrosa.

Pl. Onder afgevallen loof bij Leyden. In de Prov. Gron. (Init, F. Gron. 1ste Vervolg. p. 1.)

* *Helix hispida.* Testa orbiculata, convexa, subdepressa, umbilicata, pellucida, corneo-fuscescens, hispida. Apertura semi-lunaris, labrum tenue, subreflexum.

Helix hispida. Linn. S. N. p. 1244.
Trochulus hispidus. Chemn. Tom. IX. Tab. 122. fig. 1057—58.
Helix hispida. Drap. Tab. 8. fig. 20—22.
——— ——— Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 92.
——— ——— Pf. Schn. p. 36. Tab. 2. fig. 20.

Habitat nemora.

Pl. In boschaadjen langs de duinen tusschen Leyden en Haarlem. In de Prov. Gron. (Init. F. Gron. p. 11.)

* *Helix rotundata.* Testa orbiculato-depressa, connexiuscula, late umbilicata; striata, pellucida, carinata. Spira obtusissima. Labrum simplex.

Helix rotundata. Drap. Tab. 8. fig. 4—7.
——————— Sturm. Abth. VI. Heft. 3.
——————— Lamarck. Tom. VI. P. 2. p. 92.
——————— Pf. Schneck. p. 44. Tab. 2. fig. 33, 34.

Habitat loca humida, umbrosa.

Pl. In het mos aan afgehouwene boomen en aan rasterwerk bij Leyden, ruïne van Brederode, den Haag en tusschen Maassluis en Vlaardingen. In de prov. Gron. (Init. F. Gron. p. 11.)

* *Helix striata.* Testa globoso-depressa, conoïdea, vel planulata, subtus convexa, umbilicata, argute striata, albida, ad periphaeriam subangulatam rufo-fasciata. Labrum simplex.

Helix striata. Drap. Tab. 6. fig. 18—21.
——————— Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 93.

Habitat fossas.

Pl. In slooten bij Leyden.

Helix Glabella. Testa subdepressa, perforata, laevis, cornea; carina alba. Apertura semilunaris, labrum emarginatum.

Helix Glabella. Drap. p. 102. Tab. 7. fig. 6.
——————— Pfeiffer Schn. p. 54. Tab. 2. fig. 16.

Habitat loca humida.

Pl. In de Prov. Gron. (Init. F. Gron. p. 11.)

* *Helix Crystallina.* Testa depressa, umbilicata, convexiuscula, tenuissima, hyalina, nitida. Apertura semilunaris, subdepressa. Labrum simplex.

Helix Crystallina. Drap. p. 118. Tab. 8. fig. 13—20.
——————— Pf. Schn. p. 46. Tab. 2. fig. 36.

Habitat loca humida.

Pl. Bij Leyden en Haarlem op het mos aan de wortels der beukenboomen.

* *Helix pulchella.* Testa minutissima, orbiculato-depressa, umbilicata, alba, labrum margine crasso albo reflexum.

Helix pulchella Var β. Drap. p. 112. Tab. 7. fig. 33, 34.
——————— Pfeif. Schneck. pag. 43. Tab. 2. fig. 32.

Habitat loca humida.

Pl. Bij Leyden en Overveen onder steenen in het gras en in het mos; in de Prov. Gron.)Init. F. Gron. p. 11.)

Carocolla. Testa orbicularis, superne plus minusve convexa vel conoïdea, ad pe-

periphaeriam angulato-acuta. Apertura transversa, axi contigua; labro subangulato, plicis infra limbum saepe dentato.

Carocolla lapicida. Testa orbicularis, superne depressa, subtus convexior, late umbilicata, transversim striata, griseo-cornea, maculis rubentibus; labiis margine continuis, reflexis albis.

Helix lapicida. Chemn. Tom. IX. Tab. 126. fig. 1107.
————— Drap. Tab. 7. fig. 35—37.
————— Daudebard N°. 150.
Carocolla lapicida. Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 99.

Habitat montes.

Pl. Op de bergen om Namen.

Pupa. Testa cylindracea, saepissime crassa, apertura irregularis, semi-ovata, inferne rotundata, subangulosa. Margines subaequales, extus reflexi, superne disjuncti, lamina columellaris, penitus intra eos adfixa.

* *Pupa fragilis.* Testa sinistrorsa, elongata, attenuata, conica, pellucida, luteo-fuscescens. Columella subuniplicata.

Turbo perversus. Chemn. Tom. IX. p. 112. fig. 459.
Pupa fragilis. Drap. p. 68. Tab. 4. fig. 4.
————— Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 40.
————— Pfeiffer Schn. p. 56. Tab. 3. p. 16.

Habitat arbores et muros antiquos.

Pl. Buiten Leyden op de wilgen in de ruïne van Brederode.

* *Pupa muscorum.* Testa minima dextrorsa, cylindrica, elliptica, obtusa; apertura subunidentata.

Turbo muscorum. Linn. S. N. p. 1240.
————— Chemn. Tom. IX. Tab. 9. fig. 3.
Pupa muscorum. Drap. p. 59. Tab. 2. Var. β.
————— Pfeif. Schn. p. 57. Tom. 3 fig. 17, 18.

Habitat muros antiquos, et sub foliis delapsis.

Pl. In de ruïne van Brederode, onder afgevallen bladeren bij rasterwerk, bij Haarlem, Overveen en Bloemendaal.

* *Pupa unidentata.* Testa minima dextrorsa cylindrico-elliptica, obtusa; apertura unidentata.

Pupa unidentata. Pf. Schn. p. 58. Tab. 3. fig. 19, 20.

Habitat muros antiquos et sub foliis delapsis.

Pl In de ruïne van Brederode, en onder afgevallen bladen, bij Overveen.

Pupa pygmaea. Testa minima, ovata; apertura quadridentata; labii margo lateralis subangulatus.

Pupa pygmaea. Drap. p. 60. Tab. 3. fig. 80, 31.

Vertigo pygmaea. Pf. Schneck. p. 72. Tab. 3. fig. 47, 48.

Habitat ad cespites inter folia delapsa.

Pl. In de Prov. Gron. (Init. F. Gron. p. 12.)

CLAUSILIA. Testa saepissime fusiformis, gracilis, apice obtusiuscula, apertura irregularis, rotundo-ovata; margines undique connati, liberi, extus reflexi.

* *Clausilia rugosa.* Testa sinistrorsa, fusiformis, brunnea, striata; columella biplicata, margo lateralis fauces coarctans.

Clausilia rugosa. Drap. p. 73. Tab. 4. fig. 19, 20.

———————— Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 115.

———————— Pf. Schn. p. 63. Tab. 3. fig. 30.

Habitat arbores et muros muscosos, ad cespites inter folia delapsa.

Pl. In de ruïne van Brederode; onder het rasterwerk om Elzewoud bij Overveen; op de wilgen in het Bloemendaler bosch.

BULINUS. Testa ovata, oblonga vel turrita; apertura integra, longitudinalis; margines inaequalissimi, superne disjuncti. Columella recta, laevis, basi integra, non effusa.

* *Bulimus lnbricus.* Testa parva, ovato-oblonga (imperforata) laevis, cornea, nitidissima. Apertura ovata; labrum simplex.

Bulimus lubricus. Drap. p. 75. Tab. 4. fig. 24.

———————— Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 126.

———————— Pf. Schn. p. 95. Tab. 3. fig. 7.

Habitat loca umbrosa ad cespites inter folia delapsa.

Pl. In de ruïne van Brederode, onder rasterwerk om Elzewoud bij Overveen; in de Prov. Gron. (Init. F. Gron. p. 12.)

* *Bulimus acicula.* Testa exigua, fusiformi-oblonga, gracilis, imperforata, alba, laevis, nitida. Operculum simplex.

Bulimus acicula. Encyc. p. 311. fig. 22.

———————— Drap. p. 75. Tab. 4. fig. 25, 26.

———————— Pf. Schn. p. 51. Tab. 3. fig. 8, 9.

Habitat loca umbrosa, ad cespites inter folia delapsa.

Pl. Onder rasterwerk in den omtrek van Bloemendaal.

SUCCINEA. Testa ovata, vel ovato-conica. Apertura ampla; integra, longitudinalis, labrum acutum, non reflexum, cum columella laevi, attenuato-acuta; operculum nullum.

* *Succinea amphibia.* Testa ovato-oblonga, tenuissima, pellucida. Spira brevis; apertura ovata, ampla.

Helix putris. Linn. S. N. p. 1249.
——— *Succinea.* Chemn. Tom. IX. Tab. 135. fig. 1248.
Succinea amphibia. Drap. p. 58. Tab. 3. fig. 22.
Helix putris. Sturm Fauna Abth. VI. H. 1.
Succinia amphibia. Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 135.
——————— Pf. Schn. p. 67. Tab. 3. fig. 36-38.
Variet. I. *Succinia amphibia elongata.* Drap. l. c. fig. 23.

Habitant loca humida, ad ripas aquarum dulcium, ad plantas aquaticas.

Pl. Bijna overal in menigte.

9. *Lymneacea.*

Gasteropoda amphibia, in genere operculo destituta. Tentacula plana; vivunt in aquis dulcibus aëremque atmosphericum ad superficiem aquae respirant. — Testa spirivalvis saepius superficia nitida. Aperturae margo lateralis semper acutus nec reflexus.

PLANORBIS. Testa discoïdea, spira depresssa, vix prominula, anfractus omnes utrinque conspicui; apertura oblonga, lunata, ab axi remotissima. Margo numquam reflexus, operculum nullum.

* *Planorbis corneus.* Testa opaca, superne plano-depressa, subtus late umbilicata, cornea aut castaneo-fusca. Anfractus transversim striati.

Swammerd. B. N. Tom. II. p. 8. Tab. 10. fig. 3.
Helix cornea. Linn. S. N. p. 1243.
——————— Chem. Tom. IX. Tab. 127. fig. 1113-20.
Planorbis corneus. Drap. p. 43. Tab. 1. fig. 42-44.
——————— Encycl. Tab. 460. fig. 1, a, b.
——————— Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 152.
——————— Sturm Fauna Abth. VI. H. 4.
——————— Pf. Schneck. p. 77. Tab. 4. fig. 3, 4.

Habitat aquas stagnantes, paludès.

Pl. In de slooten om Leyden, Haarlem, enz.

* *Planorbis carinatus.* Testa discoïdea, superne plano-depressa, ad periphaeriam carinata, subtus magis concava, pellucida, (corneo-alba.) Anfractus infra angulum rotundati.

Helix planorbis. Linn. S. N. p. 1242.
——————— Chemn. Conch. Tom. IX. Tab. 126. fig. 1102.
Planorbis carinatus. Encycl. Tab. 460. fig. 2, a, b.
——————— Drap. p. 46. Tab. 2. fig. 13, 14.

Planorbis carinatus. Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 153.
——————— Sturm Fauna Abth. VI. H. 3.
——————— Pfeiffer Schn. p. 76. Tab. 4. fig. 5, 6.

Habitat aquas stagnantes, paludes.

Pl. In slooten om Delft; in de Prov. Gron. (Init. F. Gron. p. 12. n. 31.)

* *Planorbis spirorbis.* Testa discoïdea utrimque plano-depressa, cornea. Anfractus subcontrarii; ultimo obsolete angulato.

Helix spirorbis. Linn. S. N. p. 1144.
Planorbis vortex Var. β. Drap. p. 44. Tab. 2. fig. 67.
——— *spirorbis.* Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 153.
——— ——— Sturm Fauna Abth. VI. H. 4.
——— ——— Pf. Schn. p. 79. Tab. 4. fig. 8.

Habitat aquas stagnantes, paludes.

Pl. In slooten tusschen Leyden en Haarlem.

* *Planorbis vortex.* Testa discoïdea, subtus plana, superne concaviuscula, tenuis, cornea. Anfractus subseni; ultimo marginato.

Helix vortex. Linn. S. N. p. 1243.
——————— Chemn. Tom. IX. Tab. 127. fig. 1127, α, β.
Planorbis vortex Var. α. Drap. p. 44. Tab. 2. fig. 4, 5.
——————— Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 154.
——————— Sturm Fauna Abth. VI. H. 4.
——————— Pfeiff. Schneck. p. 79. Tab. 4. fig. 7.

Habitat aquas stagnantes, paludes.

Pl. In slooten om Leyden, den Haag, in de vaart tusschen Maarsluis en Vlaardingen, in de Provincie Gron. (Init. F. Gron. p. 12. n. 32.)

* *Planorbis contortus.* Testa discoïdea (cornea) superne centro-excavata, subtus umbilicata; anfractus seni, aut ultra, rotundati.

Helix contorta. Linn. S. N. p. 1244.
——————— Chemn. Tom. IX. Tab. 127. fig. 1126.
Planorbis contortus. Drap. p. 42. Tab. 1. fig. 39-41.
——————— Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 154.
——————— Sturm Abth. VI. H. 3.
——————— Pfeiffer Schn. p. 81. Tab. 4. fig. 11.

Habitat paludes.

Pl. In slooten buiten Leyden, in Noordholland in de slooten langs de velden tusschen Beverwijk en Castricum.

* *Planorbis maginatus.* Testa discoïdea, cornea, superne subtusque concava, ad periphaeriam marginata.

Helix complanata. Linn. S. N. p. 1242.
———— Chemn. Tom. IX. Tab. 127. fig. 1121 - 23.
Planorbis marginatus. Drap. p. 42. Tab. 2. fig. 11, 12.
———— Pf. Schn. p. 75. Tab. 4. fig. 1, 2.

Habitat paludes.

Pl. In slooten om Leyden, den Haag, Haarlem; in Noordholland bijna overal.

* *Planorbis nitidus.* Testa orbicularis, nitida, diaphana, convexa, subtus planulata, umbilicata, ad periphaeriam marginata. Anfractus quaterni.

Helix complanata. Linn. S. N. p. 4242.
Planorbis nitidus. Drap. p. 46. Tab. 2. fig. 17 - 19.
———— Pfeiffer Schn. p. 82. Tab. 4. fig. 12, 13.

Habitat paludes.

Pl. In slooten buiten Leyden.

Planorbis imbricatus. Testa discoïdea, superne plana, subtus concava, tenuis, pellucida, pallide cornea; anfractus subalterni, transversim lamellosi. Lamellae ad marginem prominentiores, imbricati.

Planorbis imbricatus. Drap. p. 44. Tab. 1. fig. 49 - 51.
———— Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 155.
———— Pfeiffer Schneck. p. 84. Tab. 4. fig. 15.

Habitat fluvios ad plantas aquaticas.

Pl. In den Rhijn bij Utrecht.

PHYSA. Testa convoluta, ovalis, vel oblonga, spira prominente. Columella tortuosa; labrum tenuissimum, acutum, subfornicatum; aperturam partim obtegens. Operculum nullum.

* *Physa fontinalis.* Testa sinistrorsa, ovalis, diaphana, laevis, luteo-cornea. Spira brevissima, acutiuscula.

Bulla fontinalis. Linn. S. N. p. 1185.
———— Chemn. Conch. Tom. IX. Tab. 103. fig. 877, 878.
Physa fontinalis. Drap. p 54. Tab. 3. fig. 8, 9.
———— Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 156.
———— Sturm Fauna Abth. VI. H. 4.
———— Pfeif. Schn. p. 94. Tab. 4. fig. 28.

Habitat aquas stagnantes.

Pl. In slooten buiten Leyden, bij Beverwijk en de Zandpoort.

Physa hypnorum. Testa sinistrorsa, ovato-oblonga, laevis, diaphana, nitida, lutescens. Spira exserta, peracuta, nigro-maculata.

Bulla hypnorum. Linn. S. N. p. 1185.
———— Chem. Tom. IX. Tab. 103. fig. 882, 883, a, b, c.

Physa hypnorum. Drap. p. 55. Tab. 3. fig. 12, 13.
———————— Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 157.
———————— Sturm Fauna Abth. VI. H. 4.
———————— Pfeiffer Schn. p. 97. Tab. 4. fig. 29.

Habitat aquas stagnantes.

Pl. In slooten bij Haarlem en Utrecht.

LYMNAEUS. Testa oblonga, interdum turrita; spira exserta. Apertura integra, longitudinalis: labrum acutum, inferne ad sinistrum revertens et adscendens; in columellam versus aperturam decurrit plicamque obliquam mentitur. Operculum nullum.

* *Lymnaeus stagnalis.* Testa ovato-acuta, ventricosa, tenuis, pellucida; longitudinaliter substriata, griseo-rufescens, ultimus anfractus superne subangulatus, spira conico-subulata. Apertura magna; labrum repandum.

Helix stagnalis. Linn. S. N. p. 1249.
———————— Chemn. Tom. IX. Tab. 135. fig. 1237, 1238.
Lymnaeus stagnalis. Drap. p. 51. Tab. 2. fig. 38, 39.
———————— Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 159.
Buccinum stagnale. Sturm Fauna Abth. VI. H. 1.
Lymnaeus stagnalis. Pf. Schneck. p. 86. Tab. 4. fig. 19.

Habitat aquas stagnantes.

Pl. In slooten om Leyden en Haarlem, Katwijk binnen en Oestgeest. In de Prov. Gron. (Init. F. Gron. p. 12.)

* *Lymnaeus palustris.* Testa ovato-oblonga, longitudinaliter et tenuissime striata. Striis remotiusculis cincta, fuscescens, interdum albido coerulescens. Spira conico-acuta. Apertura ovata.

Helix stagnalis Var. I. Chemn. Tom. IX. Tab. 135. fig. 1239, 1240.
Lymnaeus palustris. Drap. p. 52. Tab. 2. fig. 40, 41.
———————— Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 160.
———————— Pf. Schneck. p. 83. Tab. 4. fig. 20.

Habitat aquas stagnantes.

Pl. In de slooten langs landerijen tusschen Beverwijk en Castricum. In de Prov. Gron. (Init. F. Gron. p. 12.)

* *Lymnaeus auricularius.* Testa ampullacea, ventricosa, ovata, tenuis, diaphana, pallide fulva; striis longitudinalibus, tenuissimis, confertis; spira brevissima, acuminata.

Helix auricularia. Linn. S. N. p. 1250.
———————— Chemn. Tom. IX. Tab. 135. fig. 1241, 1242.
Lymnaeus auricularius. Drap. p. 49. Tab. 2. fig. 28, 29.

Lymnaeus auricularius. Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 161.
—————————— Pf. Schneck. p. 85. Tab. 4. fig. 17, 18.

Habitat aquas stagnantes.

Pl. In de slooten buiten Leyden. In de Brouwerskolk bij Haarlem.

* *Lymnaeus ovatus.* Testa subampulacea, ovalis, longitudinaliter striata, cornea. Anfractus quini, spira brevis, acuta; apertura ovato-oblonga.

Lymnaeus ovatus. Drap. p. 50. Tab. 2. fig. 30, 31.
———————— Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 161.
———————— Pfeif. Schn. p. 89. Tab. 4. fig. 21.

Habitat aquas stagnantes.

Pl. In de slooten bij Castricum en buiten Leyden. In de Prov. Gron. (Initia F. Gron. p. 12.) In de Brouwerskolk bij Haarlem.

* *Lymnaeus vulgaris.* Testa ovata, cornea, subimperforata, striata, striis albidis. Spira brevis, acuta; apertura ornata.

Lymnaeus ovatus Var. β. Drap. p. 50. Tab. 2. fig. 33.
———— *vulgaris.* Pfeif. Schn. p. 89. Tab. 4. fig. 22.

Habitat aquas stagnantes.

Pl. In de slooten buiten Leyden, en bij Beverwijk.

* *Lymnaeus fuscus.* Testa elliptico-oblonga, fusca, imperforata; spira mediocris, acuta. Apertura ovato-elliptica.

Lymnaeus palustris Var. β. Drap. p. 52. Tab. 3. fig. 2.
———— *fuscus.* Pf. Schn. p. 92. Tab. 4. fig. 25.

Habitat aquas stagnantes.

Pl. In slooten buiten Leyden, bij Oestgeest, bij den Haag en Delft.

* *Lymnaeus minutus.* Testa ovato-oblonga, acuta pellucida, (cinereo-fucescens), perforata; spira mediocris, acuta. Apertura ovata.

Helix limosa. Linn. S. N. p. 1249.
Lymnaeus minutus. Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 162.
———————— Drap. p. 53. Tab. 3. fig. 5-7.
———————— Pf. Schn. p. 93. Tab. 4. fig. 27.

Habitat aquas stagnantes.

Pl. In slooten tusschen de Beverwijk en Alkmaar.

10. *Peristomiata.*

Gasteropoda fluviatilia, operculata, aquam respirantia. Testa operculata conoïdea vel subdiscoïdea; margines aperturae juncti.

VALVATA. Testa discoïdea vel conoïdea. Anfractus cylindracei, cavitatem spiralem non deformantes. Apertura rotundata, marginibus connexis acutis. Operculum orbiculare.

* *Valvata obtusa.* Testa turbinata, umbilicata, luteo-cornea. Spira convexa, obtusa. Anfractus quatuor, ultimo ventricoso. Apertura circinata.

Cyclostoma obtusum. Drap. p. 33. Tab. 1. fig. 14.
Valvata piscinalis. Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 272.
Cyclostoma obtusum. Sturm Abth. VI. H. 4.
Valvata obtusa. Pf. Schneck. p. 98. Tab. 4. fig. 32.

Habitat aquas fluviales et stagnantes.

Pl. In den Rhijn en in slooten bij Leyden. In slooten tusschen den Haag en Losduinen.

PALUDINA. Testa conoïdea; anfractus rotundati vel convexi, cavitatem spiralem deformantes. Apertura subrotundo-ovata, oblongiuscula, superne angulata, marginibus connexis, acutis, rectis. Operculum orbiculare, corneum.

* *Paludina vivipara.* Testa ventricoso-conoïdea, tenuis, diaphana, longitudinaliter tenuissime striata, viridi-fuscescens, vel albido-virescens; fasciis transversis fusco rubris obsoletis. Anfractus quini, rotundato-turgidi; suturis valde impressis.

Helix vivipara. Linn. S. N. p. 1247.
——— ——— Chemn. T. IX. Tab. 132. fig. 1182-85.
Cyclostoma viviparum. Drap. p. 34. Tab. 1. fig. 16.
Paludina vivipara. Lamarck. T. VI. P. II. p. 173.
Nerita vivipara. Sturm Fauna Abth. VI. H. 2.
Paludina vivipara. Pf. Schn. p. 103. Tab. 4. fig. 42, 43.

Habitat aquas fluviatiles et stagnantes.

Pl. In den Rhijn en in de Lee bij Leyden, in slooten tusschen Leyden en Haarlem, en bij den Haag. In de Prov. Gron. (Init. F. Gron. p. 12. *Turbo viviparum.*)

* *Paludina Achatina.* Testa ovato-conica, tenuis, albido-virens, fasciis rubrofuscis cincta; striis longitudinalibus, tenuissimis, obliquis. Anfractus seni, rotundati (2).

Paludina Achatina. Encycl. Tab. 458. fig. 1, a, b.
Cyclostoma Achatina. Drap. Tab. 1. fig. 18.
Paludina Achatina. Lamarck. Tom. VI. p. 174.

Habitat aquas fluviatiles et stagnantes.

Pl. In den Rhijn en in de Lee bij Leyden.

---

(2) Suturae minus impressae, quam vivipara; vertex spira obtusiuscula; tota testa magis elongata; anfractus $5\frac{1}{2}$ ad 6.

* *Paludina impura.* Testa ovato-conoïdea, laevis, pellucida, corneo-lutescens; anfractus quini, ultimo ventricoso. Spira acuta.

Helix tentaculata. Linn. S. N. p. 1249.

——————— Chemn. Tom. IX. Tab. 135. fig. 1245.

Cyclostoma impurum. Drap. p. 36. Tab. 1. fig. 19, 20.

Paludina impura. Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 165.

Cyclostoma impurum. Abth. VI. H. 3.

Paludina impura. Pf. Sch. p. 104. Tab. 4. fig. 40, 41.

Habitat paludes.

Pl. In slooten om Leyden en tusschen den Haag en Delft.

* *Paludina similis.* Testa ovato-conoïdea, laevis, pellucida, corneo-lutescens, anfractus quini ventricosi, suturis valde impressis. Spira acuta.

Habitat aquas stagnantes.

Pl. In slooten om Leyden, Haarlem en Utrecht.

11. *Neritacea.*

Gasteropoda operculata, vel fluviatilia, vel marina; testa fluviatilis vel marina, semi-globosa, aut ovato-plana, absque columella. Margo columellae, semi-operculo similis.

NERITINA. Testa tenuis, semiglobosa, vel ovalis, subtus planulata, non umbilicata, apertura semi-rotunda, labio planulato, acuto; labro intus nec dentato nec crenulato. Operculum dente laterali instructum.

* *Neritina fluviatilis.* Testa parvula, ovalis, dorso convexa, glabra, lineolis, maculisque diversissime picta. Spira inclinata, lateralis. Labrum denticulatum.

Swammerd. Bib. N. Tom. II. p. 80. Tab. 10. fig. 2.

Nerita fluviatilis. Linn. S. N. p. 1253.

——————— Drap. p. 31. Tab. 1. fig. 1—4.

Neritina fluviatilis. Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 188.

——————— Pf. Schn. p. 106. Tab. 4. fig. 37 - 39.

Habitat aquas fluviatiles.

Pl. In den Rhijn bij Leyden, en in het Haarlemmer-meer op steenen.

NATICA. Testa subglobosa, umbilicata. Apertura integra, semirotunda. Labrum obliquum, edentulum, callosum; callo umbilicum coarctante, et interdum obtegente. Labrum acutum, intus laevigatum; operculum.

* *Natica Britannica.* Testa subglobosa, ventricosa, pallide ochracea, circum umbilicum alba. Spira brevis retusiuscula. Labium laterale acutum; columellare

callosum, fasciis undulosis rufis. Umbilicus callo coarctatus. Apertura semirotunda integra. Operculum corneum, pellucidum, subspirale.

Habitat mare.

Pl. Aan het strand tusschen Wijk aan zee en Scheveningen.

12. *Schalariacea.*

Plica ad columellam nulla; margines aperturae in circulum juncti.

SCALARIA. Testa subturrita. Costae longitudinales elevatae, subacutae, interruptae. Apertura rotundata; marginibus connexis, marginatis, reflexis.

* *Scalaria communis.* Testa turrita, imperforata, alba aut pallide fulva; costae crassiusculae, laeves, subobliquae.

Scalaria communis. Lamarck. Tom. VI. P. II. p. 228.

Var. *β.* Testa longior, roseo-violacea costae purpureo maculatae. Encycl. Tab. 331. fig. 3, a, b.

Habitat mare.

Pl. Aan de kusten van Noordholland, bij Zandvoort, en in Zuidholland bij Katwijk en Scheveningen.

13. *Turbinacea.*

Testa turrita vel conoïdea. Operculum rotundulum vel ovale, non diductum; marginibus disjunctis.

TURBO. Testa conoïdea, vel subturrita. Periphaeria numquam compressa. Apertura integra, rotundata, penultimo anfractu non deformato. marginibus superne disjunctis. Columella arenata, planulata, basi non truncata. Operculum.

* *Turbo littoreus.* Testa ovata, apice acuta, imperforata, longitudinaliter striata, cinerea, lineis fuscis, subfasciculatis, cincta. Ultimus anfractus ventricosus, columella alba. Faux fusca.

Cochlea marina. Swammerd. Tab. 9. fig. 14.

Alijkruik. Baster Tab. 14. fig, 1.

Turbo littoreus. Linn. S. N. p. 1132.

———————— Chemn. Conch. Tom. V. Tab. 185. fig. 1852. nº. 1-8.

————————. Lamarck. Tom. VII. p. 47.

Habitat mare.

Pl. Op de steenen der sluizen bij Katwijk aan zee; op de zeeweringen aan de Helder en Tessel.

Turbo rudis. Testa ovata, subglobosa, coloris diversi, transversim et longitudinaliter striata, imperforata, intus fusca; spira elongatula; labia alba; anfractus ultimus ventricosus.

Habitat mare.

Pl. Op de steenen der zeeweringen aan de Helder.

Turbo retusus. Testa ventricoso-subglobosa, imperforata, transversim striata, olivaceo-flavescens. Spira retusissima; apertura lateraliter dilatata. Labrum tenue, limbo interiore albo.

Nerito littoralis. Trans of the Linnean Society, Vol. VIII. Tab. 5. fig. 15.

Turbo retusus. Lamarck. Tom. VII. p. 48.

Habitat mare.

Pl. In het zeewier op de zeeweringen aan de Helder.

TUSUS. Testa fusiformis aut subfusiformis, basi canaliculata, medio vel inferne ventricosa; varicibus nullis. Spira elongata. Labrum non fissum. Columella laevis. Operculum corneum.

* *Tusus antiquus.* Testa ovato-fusiformis, ventricosa, mutica, transversim tenuissime striata, (albido-flava), in junioribus rufescens. Anfractus valde convexi. Cauda brevis. Apertura patula; labro intus laevigato.

Tusus antiquus. Encycl. Tab. 426. fig. 5.

——————— Lamarck. Tom. VII. p. 125.

Habitat mare.

Pl. Aan het strand tusschen Scheveningen en Katwijk; doch zeldzaam.

14. *Purpurifera.*

Testa canali brevi instructa, posterius adscendente vel excisione obliqua semi-canaliformi ad basin aperturae in dorsum directa.

BUCCINUM. Testa ovata vel ovato-conica. Apertura longitudinalis, basi emarginata. Canalis nullus. Columella non depressa, superne turgida, undato-curva.

* *Buccinum undatum.* Testa ovato-conica ventricosa, transversim sulcata et striata, striis longitudinalibus, tenuissimis decussata, longitudinaliter plicata, albida vel griseo-lutescens. Plicae crassae, obliquae, undatae. Anfractus convexi. Apertura alba aut flava.

Buccinum undatum. Linn. S. N. p. 1204.

——————— Encycl. Tab. 399. fig. 1, a, b.

——————— Lamarck. Tom. VII.

Habitat mare.

Pl. Aan het strand tusschen Zandvoort en Scheveningen.

* *Buccinum reticulatum.* Testa ovato-conica, longitudinaliter plicata, striis trans-

versis decussata, subgranulosa, varie colorata; anfractus convexo-plani; apertura rugosa et dentata.

Buccinum reticulatum. Lamarck. Tom. VII. p. 267. Sp. XIV.

Habitat mare.

Pl. Op aangespoeld land bij de Helder.

* *Buccinum coccinella.* Testa parvula, ovato-conica; crassiuscula, longitudinaliter et oblique plicata, transversim tenuissimeque striata, colore vario; anfractus convexi; labrum margine inflexum, crassum, intus dentatum.

Buccinum coccinella. Lamarck. Tom. VII. p. 275. Sp. XLV.

Habitat mare.

Pl. In zeewier op aangespoeld land bij de Helder.

IV. *Brachipedes.*

V. *Pteropoda.*

VI. *Cephalopoda.*

3. *Sepiaria.*

Testa nulla, sive interna sive externa. Corpus solidum, liberum, cretaceum, vel corneum in plurimis intus est.

LOLIGO. Corpus carnosum, vagina elongata, cylindracea, basi acuta, et inferna alata, exceptum. Lamina elongata, tenuis, cornea, pellucida, in dorso inclusa. Os terminale, brachiis decem cotyledonibus instructis, circumvallatum; brachiis duobus longioribus pedunculatis.

* *Loligo vulgaris.* Alae semirhombeae, extremitati caudae distinctae. Limbus vaginae trilobus. Lamina dorsalis, antice angustata.

Sepia loligo. Linn. S. N. p. 1096.

Loligo vulgaris. Lamarck. Tom. VII. p. 662.

Habitat mare.

Pl. Deszelfs ruggeplaat aan de kusten van Holland, bij de Helder en Huisduinen.

Loligo sepiola. Saccus brevis, obtusus; alae parvae et circulares, longitudinem trium pollicum non excedentes. Lamina dorsalis tenuis et acuta.

Sepia sepiola. Linn. S. N. p. 1096.
Loligo sepiola. Lamarck. Tom. VII.

Habitat mare.

Pl. Aan de kusten van Noord- en Zuidholland, en van Braband.

Sepia. Corpus carnosum, depressum, vagina postice obtusa per totam longitudinem ala angusta, marginata exceptum. Os liberum, cretaceum, spongiosum, opacum, dorso inclusum. Os terminale brachiis decem, cotyledonibus instructis, circumvallatum; brachiis duobus longioribus pedunculatis.

* *Sepia officinalis.* Corpus utrumque laeve; brachia pedunculata, praelonga. Os dorsale praelongum.

Sepia officinalis. Linn. S. N. p. 1095.
——— Encycl. Tab. 76. fig. 5, 6, 7.
——— Lamarck. Tom. VII. p. 668.

Habitat mare.

Pl. Deszelfs ruggebeen aan de kusten van bijna geheel Holland.

SYMBOLUM.

> *Si majora dices, et magis necessaria studia esse, quae hominem, uti hodie vivitur, totum requirunt; scias, me tantum hisce studiis et inquisitionibus me recreare, et oblectare, quod alii venationibus, confabulationibus, tesseris, chartis, lusibus, compatationibus insumunt, illud ego animalculis indagandis, colendis, contemplandis, impendo.*
>
> LINNAEUS.

◆

ADDENDA.

Pagina 31.

* *Lutraria elliptica.* Testa ovali-oblonga, laeviuscula; striis transversis exiguis; lateralibus rotundatis: antico longiore.

Chemnitz Conch. VI. Tab. 24. fig. 240 et 241.

Lutraria elliptica. Lamarck. Tom. V. pag. 468.

Habitat mare.

Pl. Aan het strand bij Katwijk.

Pagina 33.

* *Cyclas rivicola.* Testa subglobosa, solidula, eleganter striata, corneo-virescens, intus coerulescens; sulcis 2 vel 3 transversis, subcoloratis.

Cyclas cornea. Draparnaud h. des Moll. P. 128. pl. 10. fig. 1—3.

Encycl. Meth. pl. 302. fig. 5. a. b. c.

Cyclas rivicola. Lamarck. Tom. V. pag. 558.

——— Pfeiffer L. u. W. Schn. P. 121. Tab. 5. fig. 3, 4, 5.

Habitat aquas dulces.

Pl. In de Lee bij Leyden.

Pagina 37.

* *Anodonta ventricosa.* Testa ovato-oblonga, crassiuscula, ventricosa; anterius elevata, compresso-alata; umbonibus tumidis; natibus prominulis; laminae cardinalis sinu amplissimo.

Anodonta ventricosa. Pfeiffer L. u. Süssw. Moll. P. 30. Tab. 3. fig. 1-6.

Habitat aquas dulces.

Pl. Brouwers kolk bij Haarlem.

Pagina 48.

* *Clausilia ventricosa.* Testa ventricosa, distincte striata; columella bilamellata; lamella superiore provectiore, altera demissa; labium reflexum. Anfractus 12.

Clausilia ventricosa. Drap. h. d. Moll. p. 71. Pl. IV. fig. 14.

——— Pfeiffer L. u. W. Schn. pag. 63. Tab. 3. fig. 29.

Habitat arbores.

Pl. Op Salix alba in de ommestreken van Leyden.

ERRATA.

Pag.	5	*lin.*	16	Gasterpoda	*lege*	Gasteropoda
—	7	—	12	ducens	—	ducente
—	8	—	20	Rudolphii	—	Rudolphi
—	9	—	28	Cephalopoda tandem in finem hunc	*lege*	Cephalopoda in hunc finem
—	11	—	2	Hi aut	—	Hiant
—	—	—	10	locos	—	lobos
—	—	—	11	quamque	—	privum
—	—	—	13	adhaerescant	—	adhaerescunt
—	—	—	21	quacri	—	quaeri
—	—	—	23	unicum	—	uricum invenit
—	—	—	25	illus	—	illud
—	—	—	30	videntur	—	videtur
—	—	—	31	assimulatio	—	assimilatio
—	12	—	2	arteriorum	—	arteriosum
—	13	—	15	ipse	—	ipsa
—	—	—	26	ora	—	ova
—	14	—	4	ligamento carnoso	—	ligamenti carnosi
—	—	—	30	analoge	—	analoga
—	16	—	4	branchiae	—	branchias
—	—	—	18	collocatus	—	collocatum
—	—	—	20	Hemaphrodita	—	Hermaphrodita
—	—	—	32	geverationi	—	generationi
—	17	—	12	prostratae	—	prostatae
—	—	—	19	quaedam	—	quadam
—	18	—	21	plantas motus	—	plantas novimus motus
—	20	—	28	branchiis	—	brachiis
—	21	—	7	intus susceptione	—	intus-susceptione
—	22	—	5	testes	—	testas

FRANCISCI DOZY,

LUGDUNO-BATAVI,

PHILOSOPHIAE NATURALIS ET MEDICINAE IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA STUDIOSI,

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM CHEMICAM, A NOBILISSIMA FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM, IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA, A. MDCCCXXVI PROPOSITAM:

„ *Quaeritur expositio concinna et perspicua Elementorum Staechiometriae?*"

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT D. VIII MENSIS FEBRUARII
A. MDCCCXXVII.

RESPONSIO
AD
QUAESTIONEM CHEMICAM.

PRAEFATIO.

Quum triplex sit Historiae Naturalis studium, quorum alterum in spectandis fossilium proprietatibus versatur, atque Minerarum descriptio, sive Graeco verbo *Oryctologia* audit; alterum plantarum consideratione contineatur, atque Herbarum descriptio sive *Botania*, vel *Phytologia* vocatur; tertium denique Animalia, id est *Zöologiam* spectet; omnes quidem has partes singulas seorsum tractare possumus, nulla aliarum habita ratione, non eodem tamen modo in Chemicis res est comparata. Minerarum enim imperitissimus quisque, non sine aliquo bono eventu animalium contemplationem aggrediatur, et inversa quoque ratione; Chemiae autem hanc illamve partem frustro quis inspiciat, quin totius doctrinae amplexum intellexerit, atque universis hujus doctrinae partibus aliquam operam dederit. Non enim soli huic parti, qua continetur *Chemia officinalis*, (*Fabriekmatige Scheikunde*) studere possumus, nisi totum Chemiae ambitum cognoverimus.

Vere igitur praeclarae illius doctrinae si sectari velimus studia aliquam certe et magnam quidem operam huic parti impendere debemus, qua continetur *Stoechiometria.* Hanc rem igitur meditatus, mihi consilium fuit, huic quoque nonnulla tribuere. Ad hanc tamen tantam rem aggrediendam, saepius idonea mihi defuit occasio. Huic igitur cupiditati satisfecisse, hanc discendi occasionem egregie praebuisse Philosophiae studiosis in nostra Patria, mihi visa est Nobilissima Facultas Disciplinarum Physicarum et Mathematicarum in Academia Lugduno-Batava, proposita in certamine Literario hujus anni quaestione:

« *Quaeritur expositio concinna et perspicua Elementorum Staechiometriae?*"

Qua ad illud sum deductus, ut Stoechiometriae magnam studiorum meorum partem tribuerem, omnesque intenderem vires, ut huic quaestioni tenuiter quantumvis et inepte responderem; cujus quidem responsionis sequentia specimini inserviant.

Non magna tamen mihi fuit difficultas et selectus operis alicujus, quod mihi hujus commentationis fundamenta praeberet. Berzelium enim in primis sum secutus, cujus opus *De Proportionibus Chemicis* (*Versuch über die Theorie der Chemische Proportionen*) multorum celeberrimorum nostri seculi Chemicorum laude est ornatum.

Tam multae adsunt Stoechiometriae theoriae; tot variis modis proportiones corporum Chemicas sunt contemplati, tot diversissima de iis conjecerunt; ex virorum Clarorum tamen sententia, nullus Chemicus ad illud consilium, Illo melius ac proprius accessit, ut non solum certa statuerit praecepta in rationibus Chemicis adhibenda; sed etiam omnia illa quae antea obscuritatis velamine quasi essent obducta, luce clarius exposuerit. Si igitur tempore procedente quaedam experientiae contraria reperiantur, ne illi, verum potius notitiae nostrae compositionis quorumdam corporum imperfectiori, artisque progressui tardiori tribuantur.

Illum igitur solum potius sequi, ratus sum praestare, quam quidem traditis variis consiliis, quibus rem inspexerint alii, atque enumeratis diversissimis multorum opinionibus, argumentum obscurius redderem neminique intelligendum. Pro viribus ideo, quam luculentissime rem exponere, atque quam aptissime expromere conatus sum.

Magna tamen saepius Romanorum lingua imperitioribus nobis obvia fuit difficultas, Latinis enim vertere res, iis aut usitatas minus, aut saepius etiam incognitas. Jam statim quodammodo offendebar nostrae linguae vernaculae vocibus. *Veelvoud in volle getalen*, quos *multiplum sine fractionibus vertimus*; fateamur licet magis quidem has voces rem intelligendam exprimere, quam illa verba; tamen illis uti sum coactus ne longissima periphrasi rem torquerem quasi, intellectuive capacem minus redderem. Ut nostra *Evenredige getallen*, Franco-Gallorum *Nombres Proportionels* significarem, ea *Numeros Proportionales* sum interpretatus: et saepe etiam pro vocibus *Numeri proportionales* usus sum verbis *Pondus relativum Atomorum*, quippe idem significantibus.

Denique hanc commentationem divisimus in sex capita, quorum

I. Agit, de *Stoechiometria universe*.
II. *De doctrina Atomorum.*
III. *De Atomis corporum Anorganicorum.*
IV. *De Atomis corporum Organicorum.*
V. *De Theoria Voluminum.*
VI. *De methodo numerum relativum Atomorum in connubio aliquo inveniendi. De Pondere relativo Atomorum.*

Haec divisio idonea mihi visa est, qua argumentum illud tractarem. Caussa cur argumentum quarti capitis, illud quinti praecedit, in eo sita est, quod nempe Stoechiochiometriam corporibus Organicis semper accommodari posse longissime abest, cum contra, fere plane corporibus Anorganicis applicari possit.

Nonnulla quoque brevius nec copiose satis exposita apparebunt. Caussa est ea. Malui sequi illa, quae jam alii de hoc argumento dixerunt, quam rem tantam, praeterea difficillimam jam, depravare traditis iis, quae ipse sentirem, judex minime audiendus, atque in arte Chemica tiro.

Quod autem attinet ad regulas traditas capite tertio et quarto in his quatenus potui Berzelii fere verba, verbis sum interpretatus, ne illas redderem intellectu difficiliores. Fortasse et quoque Berzelius argumento, ut ita dicam, correptus, nonnullis in rebus temerata quodammodo proferre, atque nimis universa statuere potuit. Ad hunc tamen tantum tam praeclarumque virum dijudicandum, nec judicem satis doctum, nec arbitrum satis aequum ipse me existimavi.

In tabulis operi suo postpositis, Berzelius ab aliorum Chemicorum sententia aliquando distat, Acidum Muriaticum consideravit, ut constitutum oxygenio, et basi quadam incognita, uti et acidum Fluoricum, quamvis alii ea composita statuant alterum ex Chlorico et Hydrogenio, ex Fluore et Hydrogenio alterum; harum igitur tabularum Formulae huic sententiae innituntur.

Tam longe autem a perfectione abest Stoechiometria, ut potius eam valde imperfectam adhuc esse sit fatendum, quod inde apparet, quod non solum omnium illorum consensu sit firmatum, qui omnem laborem et studia totius fere vitae Chemiae impenderint; sed vel eorum quoque qui minimos progressus in ea fecerint; ut igitur merito adsentiamur Berzelio, dicenti:

« *Wir müssen gleich bei unserm ersten Eintritte in das Gebiet der Naturkunde, uns in der Ueberzeugung befestigen, dass wir nicht alles erklären können, und dass unsere Bemühungen desshalb oft fruchtlos sein werden.*”

Berzelius Lehrbuch der Chemie T. I. p. 22.

* * *

CAPUT PRIMUM,

DE STOECHIOMETRIA UNIVERSE.

Verbum *Stoechiometria* Graecae est originis. Στοιχιομετρία enim componitur substantivo Στοῖχειον elementum, quod a Στείχω, *scando* et μετρία, quod a μετρέω *metior*, eoque usi sunt Chemici (quorum princeps Richter qui hoc nomen illi Chemiae parti tribuit) quo significarent Doctrinam Rationum, (Proportionum), Chemicarum; est ea Chemiae pars quam etiam Chemiam Mathematicam dixerunt, vel justam cognitionem quo ordine, quibusque legibus et praeceptis, tot infinita corpora inter se mutuo conjungantur.

Statui quidem posset jam inde a Graecorum Romanorumque temporibus, Philosophos omnes vires intendisse, ut cuncta considerarent, quasi certo ordine certisque legibus essent subjecta; plurimum tamen eo consilio disciplinis Mathematicis studuerunt, ut externas corporum formas regulariter definirent; internas autem corporum proprietates nondum cognoscebant. Stricto quidem sensu Chemia nondum erat, certe hoc nomine digna vix esse videbatur. Licet scirent fundere et depurare nonnulla metalla, et quamvis nonnullis salibus uterentur, quamdiu valeret sententia Aristotelis, omnia constare ex igne, aere, terra et aqua, merito conficere licet veram Chemiam nondum exstitisse (1). Primum tempore Chemici Clarissimi *Stahl* et eorum qui post eum secuti sunt, initium Chemiae ponendum est, quae tunc demum ut scientia exerceri coepit, cum antea nonnullis tantum Chemicis praeparationibus uterentur, ut alia metalla in aurum vel argentum convertere conarentur. Celeberrimus vero Stahl novum producebat Systema *Phlogisticum*, appellatum. Tunc demum Chemia ita progrediebatur, ita increscebat, ut locum occuparet primarium in reliquarum artium numero. Ope Analyseos et Syntheseos Chemicae, innumera connubia detegebantur, quorum compositionem antea vix suspicati fuerant. Procul tamen aberat, ut rationes cognoscerent, quibus corpora conjungerentur. Deinde quidem calculo definire incipiebant, quot partibus sal hic aliusve componeretur; attamen hae defininitiones minime veritati conveniebant. Facile tamen multis Chemiae studiosis subire debebat, duos sales neutros, quando se mutuo disjungerent, duos alios sales quoque neutros oriri; solutionem tamen hujus rei dare poterat nullus, donec anno 1774, Wenzel, Chemicus Saxonicus, in opere inscripto, *Lehre von der Verwantschaft der Körper*, ejus caussam ostendere conaretur; quod nempe, proportiones relativae inter certas quantitates Alcalium et terrarum, quae datam quantitatem unius aliusve acidi saturarent, semper eadem ratione teneantur, qua ad alia acida. En primum gressum factum ad doctrinam proportionum Chemicarum.

---

(1) Hoc dictum forte temerum videatur mihi tamen liceat animadvertere scientiae nomen alicui parti tunc tantum posse tribui si et facta continet et si phaenomenorum naturam Critice dijudicare possimus, sive quando Theoriae innitatur Praxis.

Celeberrimus quoque Bergman in opere, De Diversa Phlogisti quantitate in metallis, in publicum edito Upsalii, anno 1782, ostendere conabatur, rationem Phlogisti in metallis, (Phlogiston autem hoc loco idem fere significat ac Oxygenium), interpretari quoque conabatur Phaenomenon supra dietum, duorum salium neutrorum, qui post mutuam analysin neutralitatem (ut ita dicam) retineant; attamen ejus explicatio et calculi longe aberant, ut cum iis Wenzelii compararentur.

Anno 1789. Chemicus Hibernicus *Higgens*, edidit librum inscriptum, *A comparative view of the Phlogistic and Antiphlogistic Theories;* in quo statuit, corpora composita esse ex *Atomis*, vel particulis minimis; singulis autem oxydationis gradibus adjungit particulam unicam oxygenii: e. g. Gaz oxydum Azoti statuit esse compositum, ex una particula Azoti, et duabus partibus oxygenii, Acidum Nitrosum ex tribus particulis, Acidum Nitricum ex quatuor. Hanc tamen theoriam nullis experimentis probavit, ita ut ejus opus mox oblivioni traditum sit.

Chemicus Berolinensis *Richter* fuit primus, qui definite scriberet de Chemicis proportionibus, in opere quod inscribitur, *Anfangsgründe der Staechiometrie oder Messkunst chemischer Elemente*, *Breslau* 1792; postquam in Dissertatione inaugurali *de usu Matheseos in Chymia* (1789) primas hac de re opiniones protulisset in quo opere Chemiae formam Mathematicam dare conatur. Hic quoque primum observavit si duo corpora pluribus duobus proportionibus conjungi possunt, tunc has proportiones justa quadam ratione inter se invicem contineri, ita ut una proportio alterius sit multiplicatio; estque haec una ex iis legibus, quae ut postea videbimus, primaria Stoechiometriae fundamenta constituunt. Richterus igitur verissime dici potest primum Stoechiometriae fundamentum jecisse. Illud tamen opus nondum Chemicorum animum advertebat ad doctrinam Stoechiometriae. Omnium studia attrahebantur certamine systematis Phlogistici et Antiphlogistici, quo facto, tantus campus patebat prudentiae et ingenio Chemicorum, ut doctrina proportionum aliquamdiu cedere deberet mutationibus et repertis innumeris, quae Chemiae initia tantopere firmaverunt, eique dederunt formam doctrinae maxime idoneae, quae omnibus reliquis artibus accommodaretur.

Mox tamen ubi Phlogisti aliarumque rerum vanae opiniones ad nihilum evasissent, et Chemia Antiphlogistica firmissima jecisset fundamenta, Cl. Berthollet in opere *Essai de Statique Chimique.* Paris 1802, doctrinam affinitatum phaenomenorumque ab iis pendentium exposuit; in quo opere, philosophi prudentiâ, fundamenta illustravit doctrinae Stoechiometricae, cum in illam converteret animum Chemicorum.

Non multo post, Celeberrimus *Proust* probavit, eodem modo, quo metallum proportionibus pluribus unâ oxygenio jungi posset, etiam eodem modo in sulphure obtinere.

Post aliquot tempus praeterlapsum, disciplina Stoechiometrica meliorem quodammodo formam accipiebat, quum Chemicus Anglicus *Dalton* in opere *New System of Chemical Philosophy* 1808, Stoechiometriam novis hypothesibus ornaret, quarum probabilitas, quam pluribus experimentis inquisita, dein firmata et ad veritatem redacta est.

Interea Clarissimi Viri *Humboldt* et *Gay-Lussac*, institutis experimentis in corpora gazformia, invenerunt, quemadmodum corpora solida et liquida, certa quadam Atomorum quantitate inter se conjungantur, ita quoque corpora gazosa certis voluminibus vel mensuris conjungi. Neque illi Cl. Chemici sunt omittendi, ut *Davy*, *Wollaston*, *Thomson*, *Dobereiner*, *Meinecke*, *Bischof*, et alii, qui Stoechiometriam inquisitionibus suis auxerunt, atque magno illi consilio non pauca attulerunt, ut nempe huic Chemiae parti, formam quamdam disciplinae darent.

Rationum Chemicarum disciplina magis magisque dein firmabatur, variis experimentis probabatur, et unicuique ejus utilitas patebat; quamquam multae superessent res, quae hac doctrina adhuc inextricabiles essent, donec Berzelius Chemicus Suecus, seculi nostri immortale decus, Celeberrimus et meritissimus Vir, eam multis experimentis ornaverit et exposuerit. Si quae adhuc sint in Chemia, eâ nondum explicata, haec certe sunt tribuenda, cognitioni quorumdam corporum admodum imperfectae, num quidem sint corpora composita, nec ne; quo fit, ut omnia connubia illa ex illis corporibus formata non accurate conveniant legibus Stoechiometriae.

Breve temporis spatium quo pars Chemiae mathematica originem duxit, etiam caussa praecipua est, cur nonnulla corpora proportionibus Chemicis nondum convenire videntur; nam tam brevi temporis spatio nulla doctrina ad perfectionem deduci potest. Et licet seculorum series praeterlabatur, semper quaedam imperfectiora supererunt, donec, ingenium humanum ad illud perfectionis pervenerit quo nihil ultra.

⁂

CAPUT SECUNDUM.

DE ATOMORUM DOCTRINA.

Jam ab antiquissimis inde temporibus, nonnulli Philosophi, ut *Leucippus*, *Democritus* et *Epicurus* statuerunt, materiem constitui particulis minutissimis, quas Atomorum nomine significabant, quorum opiniones celebravit *Lucretius* in carmine, *De natura rerum.* Nonnulli posteriore aevo quorum princeps philosophus *Kantius* statuebant, corpora in infinitum usque posse dividi; alii tamen aliquando certum esse punctum, quo particulae corporum desinerent esse divisibiles.

Huic autem rei innititur doctrina *Proportionum Chemicarum* vel *Stoechiometriae.* Hujus loci non est, recensere opiniones omnium horum philosophorum; tantummodo illud dicam, corpora si in infinitum sint divisibilia, nullas certas posse esse proportiones quibus conjungantur, vel confugere deberemus ad hypotheses minime probabiles. Omnia enim phaenomena optime possunt explicari theoria *Atomorum*, sive theoria *corpusculari* (a Germanis vocata *Corpusculär Theorie*): et quamvis utraque theoria fundata sit *Hypothesibus;* semper praestat tamen eam assumere, quae modo maxime probabili phaenomena explicet, eaque quam luculentissime exponat. Probabilitati multo magis conveniens et congruum est, aliquando exstare punctum, quo nulla amplius divisio mechanica, si illam perficere valeremus, institui possit.

Hae particulae quae non amplius sunt dividendae vocantur *Atomi* sive *Moleculae.* Distincte enim concipimus opinionem, certum numerum talium Atomorum posse conjungi cum certa quantitate Atomorum alius corporis, Atomoque uno plus vel minus addito, statui corpus a priore plane diversum.

Hos Atomos oculo nostro non posse cerni, neque a nobis posse ponderari, sine dubio originem trahit ex sensuum nostrorum minori perfectione, et instrumentorum quibus oculos muniamus defectu, habita ratione subtilitatis talis Atomi. Facile quidem cogitare possumus, hos Atomos formam Sphaericam affectare, quoniam talis forma plurimum convenit cum figura, quam materies potissimum assumat, quin exposita sit actioni virium alienarum. Nonnulli naturalium rerum Perscrutatores, ab experimentis institutis a Cl. *Hauy*, de formis primariis Crystallorum, in eam opinionem sunt inducti, ut crederent, formam primariam Atomorum corporum crystallisabilium, eandem quoque formam affectare. Certe constare videtur crystallorum formam corporis compositi pendere a ratione, qua Atomi in ea sint conjuncti; nam Cel.

Mitscherlich reperit, corpora ex variis principiis composita, sed ex aequali Atomorum numero, qui eadem ratione sint conjuncti, eandem crystallorum formam habere (1). Pondus relativum Atomorum profecto debet esse varium si attendamus ipsa corpora pondere differre. Secundum experimenta Dulongii et Petiti, Atomi corporum simplicium eundem habere calorem specificum. Utrum autem Atomi eadem praediti sint magnitudine, de ea re multa disputari possunt in utramque partem; ita ut praestet nos abstinere ab ea re dijudicanda; donec tempore procedente, ex theoria formarum primitivarum crystallorum, sequelas firmas conficere possumus. Berzelius tamen huic opinioni favere videtur, qua statuitur, hos Atomos magnitudinis quoque esse diversae.

Restat adhuc ut inquiramus, quomodo hi Atomi se gerant, quod ad collocationem, et quando duo corpora naturae diversae conjungantur. Ex hac re multae disputationes absurdae temporibus praeterlapsis sunt ortae. Credebant, moleculas unius corporis v. c. *acidi* habere formam acuum; moleculas alius v. c. *Alcali* cujusdam esse corpuscula spongiosa et porosa; ita ut acus unius intrarent poros corpusculi illius spongiosi, et ita conjungerentur. Opinio autem philosophorum qui negant esse Atomos, materiae penetrabilitatem assumit, qua statuunt, corporum partes dissimilares eodem modo se penetrare invicem, quo in mathematicis (ut ita dicam).

Attamen sententia maxime probabilis, eaque a pluribus Physicis assumta, videtur ea, hos Atomos juxta se invicem esse positos, atque contineri vi quadam, quae inter partes similares vocatur *Cohaesio*, inter dissimilares *Affinitas Chemica*.

De corporum Divisione, habita ratione proportionis eorum compositionis.

Quum jam in praecedentibus vidimus quid sint Atomi, assumentes hanc theoriam *Atomisticam*, pergemus exponere Elementa *Stoechiometriae* huic theoriae innitentia. Omnia igitur corpora simplicia statuamus composita ex Atomis; et connubia quae haec simplicia ineunt, etiam Atomis constituuntur: hos autem Atomos variis nominibus indicare, quo melius discernantur, omnino opus est. Atomos corporum simplicium igitur simplices vocamus; connubia horum corporum simplicium, quo magis fiant composita, dividuntur in Atomos primi, secundi, tertii et quarti ordinis.

a) *Atomum primi ordinis* vocamus moleculam connubii corporum simplicium: v. c. Metalli cujusdam cum Oxygenio.

b) *Atomus secundi ordinis* est molecula, constans ex connubio Atomorum primi or-

---

(1) Vid. Annales de Chimie et de Physique par M. M. *Gay-Lussac* et *Arago*, Tom. XXXI. Janvier 1826. p. 6.

ordinis v. g. ex conjunctione oxydi cum acido, utrisque formatis ex duobus corporibus simplicibus.

c) *Atomus tertii ordinis* constat, ex conjunctione Atomorum secundi ordinis, v. g. duorum salium. Exemplo sit *Sulphas Aluminico-Kalicus.*

d) *Atomi quarti ordinis* oriuntur, ex conjunctis Atomis tertii ordinis. Exemplo sit Sulphas Aluminico-Kalicus crystallisatus.

Quemadmodum autem corpora, in quorum comtemplatione Chemia versatur, in duas Classes dividi possunt, in *organica* nempe, et *anorganica;* in Stoechiometriae disciplina, eodem modo dividi possunt. Hanc divisionem ob sequentes rationes facere debemus. Regulae Stoechiometricae, quamquam omnibus corporibus et connubiis accommodari posse deberent; tamen invenimus, non in omnibus illud obtinere. In pluribus corporibus organicis, hae regulae non valere possunt; et vel statuere liceret, Stoechiometriam corporibus organicis non accommodari posse, nisi exspectaremus has difficultates tempore solutum iri.

Primum igitur agemus *de Atomis corporum anorganicorum*, dein de iis *organicorum corporum*, eosque dividemus in *Atomos Anorganicos* et in *Atomos organicos.*

Corpora organica numquam pluribus, quam quatuor simplicibus corporibus constituuntur, neque fere unquam minoribus, quam tribus (1). Nempe partes contuentes corporum vegetabilium semper sunt *Carbonium*, *Hydrogenium* et *Oxygenium*, quibus in connubiis animalibus *Azotum* accedit.

Contra numerus partium constituentium in Anorganicis non tam arctus est. Inveniuntur connubia, quae pluribus simplicibus, quam quatuor constituantur: sunt quoque, quae modo duobus corporibus constent. Corpora organica igitur semper sunt connubia ternaria vel quaternaria. Anorganica connubia semper sunt *binaria;* nam quamvis plura simplicia duobus saepe contineant, conjunguntur tamen bina binis. v. c. *Sulphatem* Calicum non oriri ponimus ex connubio Sulphuris, Oxygenii et Kalii; sed ex conjunctis connubiis binariis, Acido Sulphurico et Kali. Sulphatem Aluminico-Kalicum Crystallisatum, in vita communi *Alumen* vocatum, non constitui dicunt ex conjunctis ejus partibus remotis, Sulphure, Oxygenio, Aluminio, Kalio et Hydrogenio; sed constat ex conjunctis connubiis binariis, acido Sulphurico, Alumina, Kali et Aqua; vel potius, Sulphate Aluminico et Sulphate-Kalico.

Affinitas autem inter Atomos primi ordinis est major, affinitate inter Atomos secundi, di; affinitas secundi major, affinitate tertii, et sic in ceteris. Est igitur affinitas Atomorum in ratione inversa eorum compositionis.

---

(1) Secundum experimenta Cl. *de Saussure*, *Naphtha montana*, *Petroleum* (*Bergolie*, *Steenolie*) componeretur tantummodo, duabus simplicibus, *Hydrogenio* et *Carbonio.* (Théodore de Saussure, Bibliothêque Universelle. Vol. IV. p. 116).

Hoc facillime patet, si cogitemus, quo sit connubium magis compositum, eo magis etiam affinitatem debere imminui, vel eo facilius posse disrumpi, habita ratione, vis major affinitatis, qua tot partes dissimilares inter se contineri debeant. Indeque hanc sequelam facere possemus in commodum systematis juxtapositionis Atomorum; si enim penetrabilitas Chemica corporum locum haberet, praecedentem observationem non tam facile declarare possemus.

Primum videbimus quaenam locum habeant in Atomis anorganicis, dein de Organicis agemus.

CAPUT TERTIUM.

DE ATOMIS CORPORUM ANORGANICORUM.

Si cogitamus, quot innumera corpora in Regno anorganico inveniantur, quae omnia composita sunt ex corporibus simplicibus quinquaginta et uno vel ex quinquaginta duobus, si iis adjungamus Bromium nuperrime inventum a Doct. Balard, atque tot esse connubia, quae iisdem simplicibus constituantur, facile intelligimus, in horum simplicium conjunctione certas debere esse proportiones, easque certo quodam ordine debere procedere. Haec enim conveniunt quam maxime illi sapientiae, quam ubique in hoc Universo cernimus, et qua omnia tam prudenter sunt disposita.

Has proportiones principiorum constituentium connubii alicujus exsistere, nemo negabit, qui vel quodammodo Chemiae sit peritus. Sumatur v. g. sal, ut *Sulphas Kalicus*. Hic componitur 100 partibus acidi Sulphurici et fere 118 partibus Kali. Qualicumque autem modo acidum Sulphuricum cum Kali conjungatur, licet sumantur 118 partes Kali et 600 partes acidi Sulphurici, vel 200 partes Kali et 100 partes acidi Sulphurici; tamen constanter accipiemus connubium acidi Sulphurici et Kali ratione supra memorata, et residuum Acidi vel Kali in liquore mechanica mixtione remanebit.

Itaque videmus in natura, corpora omnia certis quibusdam legibus esse subjecta; etiam has proportiones, secundum quas corpora inter se conjungantur, quoque legibus debere esse subjectas. Quamvis autem hae leges sola experientia inniti debeant; tamen in doctrina proportionum Chemicarum, non semper experientiae accommodari, ri, eaque probari possunt. Attamen persaepe utendum est conjecturis, quarum probabilitas, idem valere debet, ac veritas; donec experientia nos docuerit, eas veritati omnino contrarias esse.

Illi autem qui arti Chemicae operam dederunt, in multas rationes inquisiverunt, quibus ad veram proportionum Chemicarum notitiam pervenirent. Luculentissima tamen et maxime probabilis est ratio Berzelii, ex sententia plurimorum Chemicorum celeberrimorum: Qui leges proportionum Chemicarum ita exposuit, ut cuivis facile patere debeant. Berzelium itaque sequemur, et transibimus ad regulas et leges, secundum quas Atomi corporum dissimilarium inter se conjungantur. Primum igitur loquemur,

De Atomis primi ordinis.

Atomi hujus ordinis componuntur ex conjunctis corporibus simplicibus. Connubia Anorganica hujus ordinis semper sunt connubia *binaria.* Contra, connubia organica hujus ordinis semper sunt ternaria vel quaternaria, numquam binaria. Talia autem connubia binaria Anorganica formantur certa quadam proportione. Pro unitate sumatur unum Simplicium constituentium, et statuatur, unicum Atomum unius Elementi conjungi uni, duobus, tribus vel pluribus Atomis alius Elementi: hoc plerumque locum habet. Quantus possit esse ille numerus Atomorum cujusdam corporis simplicis, qui conjungitur cum Atomo alius corporis simplicis, non cognitum est. Crederemus, inquit Berzelius, hunc numerum non posse excedere numerum duodecim Atomorum; quoniam non plures, quam duodecim sphaerae globum ejusdem magnitudinis, in medio jacentem, possunt contingere. Haec tamen opinio contraria est experientiae; nam corpora, ex duobus simplicibus composita, inveniuntur, quorum numerus Atomorum alterius partis constituentis, longe superat numerum Atomorum duodecim. v. g. Percarburetum ferri, *Graphites* in Mineralogicis dictum, et sic etiam in aliis Carburetis.

Non omnibus connubiis haec lex accommodari potest; unum Atomum partis constituentis conjungi uni, duobus, tribus vel pluribus Atomis: sunt connubia, sed non magno numero, quorum partium componentium ratio est uti 2 : 3, id est, duos Atomos unius corporis constituentis jungi tribus Atomis alius; et diversa connubia inter eos hoc modo formari. Hoc semper fit, si duo corpora maximam habeant affinitatem inter se; ita ut haec connubia teneantur inter se uti 1 : $1\frac{1}{2}$. Si igitur suboxydum vel aliud connubium componitur uno Atomo corporis unius, et uno alterius, sequens connubium debet constare ex duobus Atomis unius, et tribus Atomis alterius partis constituentis. Sed uti jam dixi, haec regulae communi excepta paucissima tantum sunt, et quamvis conati sint, facere hypotheses secundum quas haec connubia regulae communi subjicerentur; tamen simplicissimum tenere praestat, nempe eorum proportionem esse uti 2 : 3.

In quibusdam locum habet, v. c. in corpore quodam minerali, Atomos hujus sese habere = 3 : 4, id est, tres Atomos baseos jungi quatuor Atomis alius partis constituentis; sed haec exceptio rarius occurrit. Sequentes igitur regulas pro Atomis hic certas assumimus:

1.) Atomum unius corporis simplicis jungi uni, duobus, tribus, quatuor, pluribus Atomis alius corporis constituentis.

2.) In quibusdam connubiis sequentem proportionem observari, duos Atomos Elementi cujusdam, jungi tribus alterius.

3.) In paucissimiis connubiis observari, 3 Atomos unius, jungi 4 Atomis alterius.

De Atomis secundi ordinis.

Hi, uti jam supra est memoratum componuntur, ex Atomis conflatis primi ordinis, vel aliis verbis, ex duobus connubiis binariis conjunctis; v. g. Acidum Sulphuricum et Kali sunt Atomi primi ordinis; hi autem, si mutuo conjungantur, fit Atomus secundi ordinis. Pro his Atomis Berzelius observavit leges, quibus arctius etiam teneantur, quam locum habet in Atomis primi ordinis. Observavit nempe in connubiis duorum corporum oxydorum, Oxygenium unius Oxydi, semper esse multiplum sine fractionibus, Oxygenii alius corporis; vel aliis verbis ut utamur, numerum Atomorum unius Oxydi perfecte dividi posse, numero Atomorum alterius Oxydi; ita ut nulli numeri fracti supersint.

Hoc quoque obtinet in connubio duorum Sulphuretorum: tunc quoque sulphur unius Sulphureti, est multiplum sine fractionibus alterius Sulphureti. Hinc Berzelius confecit eam regulam: duos Atomos primi ordinis, qui idem habent Elementum Electro-negativum, si copulantur, numerum Atomorum elementi Electro-negativi unius, esse multiplum sine fractionibus numeri Atomorum elementi Electro-negativi alius. Hoc exemplo aliquo illustretur: Acidum sulphuricum in Sulphate aliquo, continet tres Atomos Oxygenii, et continet quoque triplum Oxygenii baseos oxydi, quocum conjunctum est. Acidum sulphurosum et Acidum carbonicum continent duos Atomos Oxygenii, et quoque duplum quantitatis Oxygenii Baseos in connubio, quod formant cum Oxydo aliquo.

Attamen nonnulla acida excipiuntur, in quibus acidum imperfectum ad acidum perfectum tenetur, ea ratione, uti 3 : 5. Haec acida sunt, *Phosphoricum*, *Arsenicicum* et *Nitricum*.

Pro connubiis quae haec acida ineant, tamen quoque regulae certae inveniuntur, nempe numerum Atomorum Oxygenii in Oxydo, unam vel plures partes quintas, aliquando decimas, numeri Atomorum Oxygenii in acido perfecto, et unam vel plures partes tertias Atomorum Oxygenii, in acido imperfecto, efficere.

Singulare tamen est si assumimus, etiam posse esse connubium incognitum, in quo basis horum acidorum continet partem quintam quantitatis illius Oxygenii, qua opus est, ut acidum perfectum formetur, haec acida iisdem legibus esse subjecta.

Modo locuti sumus de oxydis Electro-Positivis et Electro-Negativis, forte haud ab re erit, hoc loco explicare, quid his denominationibus intelligamus. Omnia corpora, considerata secundum Electricitatem, dividuntur in Electro-Positiva et Electro-Negativa; quamquam multis in casibus corpora quae pertinent ad seriem Electro-Negativorum, locum Electro-Positivorum possunt implere, et ratione quoque inversa. Fluidum Electricum autem consideratur ut compositum, ex duobus fluidis, quae vocantur fluidum *Positivum* et fluidum *Negativum*, vel Vitrosum et Resinosum. Hae Electricitates *Resinosa* et *Vitrosa* semper magnopere tendunt, se invicem copulare; contra si duo corpora, ambo Electricitate eadem, *Resinosa* vel *Vitrosa* sint donata, se mutuo repellant.

Ut autem redeamus ad explicanda ea, quae intelligantur oxydis Electro-Positivis et Electro-Negativis, haec mihi animadvertenda sunt; nempe, si connubium aliquod Chemicum apparatu Galvanico disjungitur, tunc unam partem constituentem, in qua fluidum Positivum est aggregatum, se conferre ad Polum negativum, et aliam in qua fluidum negativum est aggregatum, se conferre ad Polum positivum. Haec autem corpora, quae semper tendunt ad Polum negativum, vocantur corpora Electro-Positiva; quae vero ad positivum Polum se conferunt, vocantur Electro-Negativa. Ad priorem casum pertinent inter alia omnia oxyda, ad alterum omnia acida; sed aliquando quoque, si Oxyda quaedam debiliora sint, Oxyda fortiora erga illa quoque locum implere possunt corporum Electro-Negativorum, id est acidorum. Plura autem dicere hoc loco de actione fluidi Electrici in connubia Chemica, ad nostrum institutum nunc non pertinet, quapropter ad sequentem ordinem transeamus.

De Atomis tertii ordinis.

Huc usque pauca cognita sunt connubia, quae pertineant ad Atomos tertii ordinis. In his tamen valere possunt eae regulae:

1. Si in connubio aliquo duorum Atomorum secundi ordinis, pars constituens Electro-Negativa est eadem, (ut in duobus salibus formatis ex eodem acido, sed basi salifiabili diversa,) tunc numerus Atomorum Oxygenii partis constituentis Electro-Positivae, vel aliis verbis Baseos salifiabilis, est multiplum sine fractionibus numeri Atomorum Oxygenii alius partis constituentis Electro-Positivae; atque adeo acidum unius salis est multiplum sine fractionibus acidi alterius salis. Exemplo sit *Sulphas*

Aluminico-Kalicus. In hoc Alumina continet Oxygenii quantitatem triplo majorem, quam Kali; inde sequitur quantitatem acidi Sulphurici in sale Aluminico esse triplum illius, quae in sale Kalico est. In Tartrate Natrico-Kalico, utrumque alcali habet aequalem quantitatem Oxygenii; itaque utrumque conjunctum est cum aequali numero Atomorum Acidi Tartarici.

2. Etiam connubia sunt duorum salium, qui ex eodem basi, sed ex acidis diversis compositi sunt. In his autem numerus Atomorum unius salis, est multiplum sine fractionibus numeri Atomorum alterius, vel aliis verbis, numerus Atomorum Oxygenii acidi et oxydi conjunctorum in uno sale, est multiplum sine fractionibus numeri Atomorum Oxygenii alius baseos et acidi conjunctorum.

Haec connubia unice fere locum habent in quibusdam fossilibus, v. g. in *Datholithide*, connubio nempe Boratis et Silicatis Calcici; et in connubio, Fluato-Silicate Aluminico, in quo quantitas Oxygenii Silicae et Aluminae conjunctorum dimidio major est, Oxygenio Aluminae et Acidi fluorici. Silica quamvis oxydum sit, hoc loco acidi munere fungitur, quemadmodum illud aliquando et in aliis oxydis locum habet.

De Atomis quarti ordinis.

Hi paucissimi sunt numero, et uti jam supra diximus, hoc connubium admodum laxum est; ita ut facillime destruatur. Invenerunt tamen semper fieri, Oxygenium unius oxydi, esse submultiplum sine fractionibus, Oxygenii singulorum reliquorum oxydorum; ita ut, si numerum Atomorum Oxygenii unius oxydi dividimus singulis numeris Atomorum reliquorum oxydorum, nihil supersit.

CAPUT QUARTUM,

DE ATOMIS CORPORUM ORGANICORUM.

Omnia corpora organica sunt, uti jam diximus, connubia ternaria vel quaternaria; et haec connubia semper ex iisdem tribus vel quatuor simplicibus formantur: sunt quoque tanta numero, et hic continuo magis magisque increscit; ita ut Chemiae studioso difficillimum fiat, proprietates omnium harum materierum vegetabilium vel animalium cognoscere.

Omnia haec connubia manifesto debent differre, ratione principiorum constituentium;

tium; attamen haec differentia est tamen parva, ut quaedam corpora, habita ratione minimae hujus differentiae, ut eadem considerari possent, nisi proprietatibus Physicis ac Chemicis differrent.

Haec corpora organica dividere in Atomos primi, secundi, tertii et quarti ordinis non possumus; nam omnia connubia organica sunt Atomi primi ordinis, ex Atomis simplicibus constantes, raro invenimus atomos secundi ordinis: connubia Acidorum vegetabium et Alcaloideorum, v. c. Acetas Morphinicus, Quininicus, Strychninicus apte huic adnumerari possunt; attamen pro iis nondum regulas invenerunt. Neque in connubiis organicis simplex constituens ut unitatem assumere possumus, certe huc usque frustra illud sunt conati.

Ad haec omnia si animadvertamus, facile intelligamus quanto major sit difficultas inveniendi regulas pro his corporibus, quam in Anorganicis connubiis. Invenit tamen Berzelius certas quasdam regulas et observationes, pro proportionibus Chemicis corporum organicorum. Quaedam corpora anorganica, ut Sulphur, Kali, Soda, Phosphorus, Ferrum cetera, in quibusdam corporibus organicis adsunt, sed tam parva quantitate, ut ad haec in iis non animadvertendum sit, cum proportiones Chemicas horum corporum organicorum spectamus.

His igitur observatis, nunc transire possumus ad divisionem horum Atomorum in duas classes.

In prima sunt ea corpora, quae constant numero Atomorum minimo, et quae si unum pluresve Atomos simplicium constituentium praesentes vel absentes cogitamus, alia fiunt corpora aliis proprietatibus praedita. Talia sunt acida vegetabilia. Uno Atomo Oxygenii distinguimus acidum Citricum ab acido Succinico; acidum Aceticum ab acido Succinico differt duobus Atomis Carbonii; et acidum Aceticum ab acido Gallico differt duobus Atomis Hydrogenii.

In secunda sunt ea corpora, quae composita sunt numero maximo Atomorum simplicium, et in quibus, additis vel ablatis Atomis quibusdam, non magnum discrimen oritur, v. c. sunt multa genera Sacchari et Oleorum, in quibus ratio principiorum constituentium non est eadem; attamen omnia possumus considerare ut Saccharum et Oleum. Etiam Gummi a Saccharo paucissimum differt, ratione partium constituentium: si igitur tali modo consideraremus haec corpora, facile in illud induceremur, ut illa eadem haberemus.

Pro Atomis hujus classis regulae difficillime sunt inveniendae, quia continent magnum numerum Atomorum (1). Ob eandem rationem horum saturandi capacitas est mi-

---

(1) Sic Saccharum certe continet 43 Atomos simplices; contra acidum Tartaricum modo 14 Atomos, et Acidum Formicicum 7 tantummodo Atomos continet.

minor, illa corporum organicorum praecedentis classis.

Quando Atomi organici primi ordinis conjungantur cum Atomis anorganicis primi ordinis, illud fit secundum easdem leges, secundum quas Atomi Anorganici primi ordinis inter se junguntur; quod significat, quantitatem Oxygenii in Atomis organicis esse multiplum sine fractionibus quantitatis Oxygenii in Atomis anorganicis; e. g. Acidum Aceticum in Acetate ferrico, continet tres Atomos oxygenii; oxydum ferricum quocum conjungitur quoque continet tres Atomos Oxygenii; igitur in hoc connubio continetur quantitas acidi Acetici triplo major numero Atomorum Oxygenii in oxydo anorganico contento.

Nonnulli Chemici conati quidem sunt, facilius constituere rationes Atomorum compositorum organicorum vegetabilium, statuentes, connubium organicum componi ex connubiis binariis, uti corpora anorganica. Nempe adjungunt partem Hydrogenii Oxygenio, eadem ratione qua aqua; et aliam partem Hydrogenii Carbonio, in ratione, qua Hydrogenium percarbonatum, ab aliis percarburetum hydrogenii dictum; ita ut corpus organicum non considerent formatum et Hydrogenio, Carbonio et Oxygenio; sed ex connubiis binariis Aqua et percarbureto Hydrogenii.

Ita Alcoholem considerant, ut compositum ex uno volumine Hydrogenii percarbonati et uno volumine vaporis aquaei: aetherem autem, uno volumine vaporis aquae et duobus voluminibus Hydrogenii percarbonati: Saccharum, uno volumine Carbonii forma gazosa. Attamen illa theoria, quamvis ingeniosissima non omnibus corporibus organicis; sed paucis tantummodo accommodari potest. Igitur videmus, magnopere abesse, ut corpora organica tam simplicissimo modo, uti anorganica corpora in classes redigi possint, quod adtinet ad compositionis rationem; et magnam difficultatem superesse, quum nondum compositionem omnium corporum, secundum regulos Stoechiometriae cognoscimus.

CAPUT QUINTUM.

THEORIA VOLUMINUM (*Volumen Theorie*).

Haec theoria primum a Cll. Chemicis Gay-Lussac et Humboldt in lucem edita, et experimentis probata, solummodo refertur ad ea corpora, quibus et forma gazosa, vel eorum, quae in illum statum duci possunt.

Horum corporum proportiones definiuntur secundum volumina; ita ut, si aliter dicendum foret, tot Atomi hujus corporis junguntur tot Atomis illius; nunc dicamus, tot volumina se jungunt tot voluminibus. Volumen autem corporis gazosi est quantitas definita corporis gazosi, certo spatio inclusa, quod spatium certis quibusdam mensuris definire solemus, v. c. pede vel pollice cubico.

Proprie quidem haec theoria ab Atomorum doctrina non diversa est; nam si volumen spectamus ut Atomum, ad idem redit, quod ad proportionem. Corpus gazosum enim debet considerari, ut compositum ex Atomis solidis, qui caussa quadam tam late a se invicem sint dispositi; ut totum corpus visu non percipi queat. Caloricum vulgo habetur causa hujus rei, nempe caloricum latens; eo magis hanc sententiam assumunt, quoniam major affluxus calorici, corpus gazosum magis magisque extendit; igitur in omnibus corporibus statuere possumus exsistere duas vires, vim attractionis et vim repulsivam. In corpore solido autem vis attractionis praevalet, et in corpore gazoso vis repulsiva; in liquido autem videntur hae vires aequali vi agere. Aqua quidem videtur facere objectionem, contra convenientiam hanc theoriae corpuscularis cum theoria voluminum; quia pondere constat, una parte Hydrogenii et una parte Oxygenii; volumine tamen, duabus mensuris Hydrogenii et una mensura Oxygenii: attamen si aquam consideramus ut constitutam, uno Atomo Oxygenii et duobus Hydrogenii, haec objectio disparet et hoc facile supponere possumus.

Facile patet, leges pro connubiis corporum gazformium, habita ratione voluminum, esse easdem, quas habemus in Theoria Atomorum. Volumen aliquod datum corporis cujusdam gazosi jungitur uni, duobus, tribus vel pluribus voluminibus alius: connubia Azoti in hac re quidem exceptionem faciunt, ita quidem ut in iis numeri fracti occurrant. Si autem assumamus et demonstretur, Azotum esse corpus compositum et dimidium ejus voluminis continere Oxygenium, tunc haec exceptio non amplius locum habet.

Singularem autem observamus proprietatem in conjunctione corporum gazosorum, voluminis nempe decrementum. v. g. Si duo volumina corporis cujusdam gazosi adjungamus volumini unico alius, quod aliquam affinitatem pro illo corpore habet, inveniemus post conjunctionem, imminuta volumina remansura; sed si aequalia volumina corporum gazosorum conjungimus, nullum decrementum voluminis locum habere videtur. Causa quare hoc voluminis decrementum locum habet verosimiliter nititur eo, quod nempe Atomi unius elementi vim repulsivam Atomorum alius quodammodo deleant. Non tantum hoc voluminis decrementum locum habet in corporibus gazosis; sed saepius etiam luculenter illud observamus in duobus liquidis, vel in solutione corporis solidi in liquido. Ad priorem casum pertinet conjunctio Acidi Sulphurici cum aqua, ad alterum solutio salis cujusdam, v. c. Muriatis Natrici in aqua.

Adferamus etiam quasdam observationes de corporibus gazosis, habita ratione voluminis: nempe numerum Atomorum compositorum in connubio gazoso, ex duobus Simplicibus constante, et in quorum conjunctione nullum decrementum voluminis locum habuit, manifesto debere esse dimidio minorem numero Atomorum simplicium ante conjunctionem.

Distantiam inter Atomos corporum gazosorum compositorum, manifesto majorem esse debere, illa gazosorum corporum simplicium. Immo quidem Berzelius dicit, suspicandum esse vim repulsivam eadem ratione debere augeri, qua magnitudo augeatur Atomorum compositorum.

Longe abest ut Theoria voluminum omnibus corporibus accommodari possit, certe fere nulli connubio organico; quia haec numquam forma gazosa exsistunt, et numquam in hunc statum duci possunt. Ob hanc caussam Theoriam voluminum tantummodo accommodare possumus connubiis corporum Anorganicorum gazformium, id est Atomis primi ordinis.

CAPUT SEXTUM.

DE METHODO, NUMERUM RELATIVUM ATOMORUM IN CONNUBIO ALIQUO INVENIENDI.

In praecedentibus jam traditis regulis Stoechiometriae, et expositis methodis simplicibus, secundum quas corpora conjungantur, nunc sequuntur rationes quibus calculi facillimi ope, accurate inveniatur numerus relativus Atomorum connubii Chemici, et pondus relativum Atomorum. Primo loco dicamus de numero relativo Atomorum. In hac quoque re confugiendum est ad hypotheses, quae tantum probabilitatis gradum possident, ut probabiliores conjicere opiniones vix possemus. Primum statuebant, in corporum conjunctione singulos Atomos conjungi singulis Atomis; sed invenimus multa oxyda, quae manifesto plures duobus Atomis continere debeant; etiam in salibus videmus, acidum debere continere plures Atomos quam Oxydum.

Omnia corpora, quae magnam affinitatem inter se non habent, veluti partes constituentes quorumdam protoxydorum, v. g. protoxydi Auri, Argenti, multorum corporum gazosorum, statuere possumus esse composita ex duobus Atomis. Deutoxyda, vel illa Oxyda, quibus major quantitas Oxygenii est quam protoxydo, possumus statuere, continere in singulo Atomo baseos, duos Atomos Oxygenii. Tritoxyda id est quibus plus Oxygenii est quam Deutoxydis, debemus considerare ut continentia in singulo baseos Atomo, tres Oxygenii Atomos. Jam haec Oxyda tertii ordinis si jungantur protoxydis, Acidi munere fungi possunt et connubia salina quodammodo formare. v. c. Silica cum Kali facit connubium, quod vitrum vocamus; pertinent huc quoque quaedam Oxyda metallica, Manganii, Antimonii, et sic porro.

Acida considerare possumus, ut continentia ad minimum, tres Atomos Oxygenii in uno Atomo baseos.

Sunt quaedam regulae quibus certius definire possumus numerum relativum Atomorum connubii alicujus. Prima deducta est ex comparatione graduum oxydationis corporum. Secunda ex convenientia graduum Sulphuretorum cum gradibus oxydationis, et Tertia est quasi sequela proportionis Oxygenii Oxydorum Electro-Negativorum, cum ea Oxydorum Electro-Positivorum in connubio Chemico. Hae regulae sunt sequentes.

1.) Inquiratur. in quot proportiones Basis cum Oxygenio jungi possit; comparentur inter se, et reducantur ad numerum Atomorum quantum fieri possit simplicissimum v. c. Antimonium habet tria oxyda, quae inter se hac ratione sese habent = 3, 4, 5; nam protoxydum Antimonii componitur ex 100 partibus metalli, et 18, 6 partibus Oxygenii. Deutoxydum ex 100 metalli, et 24,8 Oxygenii partibus; Tritoxydum ex 100 metalli, et 30,993 Oxygenii partibus.

Si nunc hos numeros, nempe 118,6. 124,8. 130,993 reducere velimus ad numeros simpliciores, eos dividamus per numerum 106, et habebimus fere 3, 4, 5; nam

118, 124, 130, = 3 , 4 , 5.

Exinde conficere possumus in his oxydis, unum Atomum baseos continere tres, quatuor, quinque Atomos Oxygenii. Hoc modo semper debemus agere in numero relativo Atomorum inveniendo.

2.) Comparentur connubia Sulphuris alicujus corporis cum gradibus oxydationis; v. g. Arsenicum cum Oxygenio jungitur in ratione unius Atomi baseos cum tribus et quinque Atomis Oxygenii; Sulphur autem cum Arsenico jungitur duabus proportionibus, in prima unus Arsenici jungitur duobus Atomis Sulphuris; in altera unus Atomus Arsenici jungitur tribus Atomis Sulphuris: Sulphur autem in Sulphuretis in eadem ratione est uti Oxygenium in oxydis. Exinde conficere possumus, gradum oxydationis Arsenici minorem etiam debere existere, in quo Oxygenium sese habet cum Arsenico = 1 : 2, et igitur oxydationis gradus Arsenici esse = 2, 3, 5.

3. Quando Oxyda Electro-Negativa conjunguntur Electro-Positivis, tunc quantitas

Oxygenii unius est multiplum sine fractionibus Oxygenii alterius. v. g. Acidum Sulphuricum continet tres Atomos Oxygenii et quoque triplicem quantitatem Oxygenii baseos Oxydi, quocum conjungitur et salem neutrum format. Acidum Sulphurosum et Carbonicum continent duos Atomos Oxygenii, et quoque duplicem quantitatem Oxygenii baseos in connubio. Hac enim regula, quadam securitate veram rationem Atomorum statuere possumus. Acidum aceticum in sale acetico neutro continet quantitatem Oxygenii triplicem Oxygenii baseos; ita ut statuere liceat, Acidum aceticum tres Atomos Oxygenii continere.

Si denique basis quaedam habeat duos gradus Oxydationis, quae se habent ea ratione, ut in prima tres, et in secunda quinque Atomi Oxygenii contineantur, quoque conficere possumus, haec Oxyda in duobus Atomis baseos, continere tres et quinque Atomos Oxygenii; et ita illud ex regula communi exciperetur. Non multa tamen Oxyda in hoc casu sunt, Acida Azoti iis annumerantur (1), quum autem sit probatum Azotum, huc usque habitum corpus simplex, esse Oxydum, compositio Acidorum memoratorum esset in eadem ratione, qua compositio aliorum.

Definito igitur hunc in modum numero Atomorum relativo in connubio, Berzelius et alii, quo faciliorem redderent usum Stoechiometriae, illum tabulis expressum ediderunt, ex quibus videre licet, quot Atomi connubio quodam contineantur; quas tabulas ut intelligamus, prius communicanda sunt signa quibus utantur, ut singula connubia significent.

Semper igitur in iis signis utendum est lingua Latina, ut omnibus Chemicis intelligantur. *Metallum*, vel aliud corpus simplex, Berzelius significat litera initiali: B. *Boron* vel *Borium*. C. *Carbonium*. K. *Kalium*. L. *Lithium*. Si duo corpora ab eadem litera incipiant, aliam addit. A u. *Aurum*. A g. *Argentum*. A s. *Arsenicum*. S. *Sulphur*. S i. *Silicium*.

Ut significet quantitatem Atomorum Oxygenii connubii cujusdam, literae priori baseos imponit tot puncta, quot Atomi Oxygenii ei juncta sint. $\ddot{B}a$. *Oxydum Baryticum*. $\ddot{S}$. *Acidum Sulphuricum*. $\ddot{S}$. *Acidum Sulphurosum*. $\dot{C}$. *Oxydum Carbonicum*. $\ddot{C}$. *Acidum Carbonicum*.

Corpora magis composita ita significantur. *Sulphas Cupricus* his signis indicatur $\ddot{C}u\ \ddot{S}^2$. Hoc significat, duos Atomos Oxygenii Cupro esse conjunctos, Sulphur tribus Oxygenii Atomis, et per numerum 2 (quem in Arithmetica vocamus *Exponent*) indica-

---

(1) Repertum novissimum in Anglia Ammoniam nasci, si certo quodam caloris gradu cum potassa committatur fluxus Hydrogenii, satis est admirandum; nam phaenomenon locum habebat, adhibita quidem potassa depuratissima. Si hoc verum est et novis experimentis aliorum Chemicorum probatur, conficere possumus Azotum in quodam statu, fortasse ut Oxydum, cum Potassa intime esse esse conjunctum.

catur unum Atomum Oxydi cuprici, conjunctum esse duobus Atomis Acidi Sulphurici.

Signum $\dot{K}\,\ddot{B}^2$ indicat *Boratem Kalicum* et $\ddot{A}\dot{u}\,\ddot{C}^3$ *Carbonatum auricum* et sic porro.

Atomos tertii ordinis indicamus hoc modo; exemplo sit. *Sulphas Aluminico-Kalicus* $\dot{K}\dddot{S}^2 + 2\,\ddot{A}\dot{l}\,\dddot{S}^3$. Numerus 2 (in Arithmetica *Coëfficient* vocatus), indicat Sulphatis Aluminici duos Atomos, uni Atomo Sulphatis Kalici esse conjunctos.

Ut significetur Atomus quarti ordinis ita procedimus, ex. gr. in *Sulphate Aluminico-Kalico crystallisato* signis indicando, ita agendum est $\dot{K}\dddot{S}^2 + 2\,\ddot{A}\dot{l}\,\dddot{S}^3 + 48\,H^2O$, vel pro posteriore signo $+\ 48$ A q ponere possumus.

Ut corpora organica significet, Berzelius lineolam imponit primae literae connubii; v. g. *Acidum Aceticum* hoc modo significat. $H^6\,C^4\,O^3 = \bar{A}$. *Acidum Citricum* $H^4\,C^4\,O^4 = \bar{C}$. *Acidum Formicicum* hoc modo: $H^2.\ C^2.\ O^3. = \bar{\bar{F}}$. In iis connubiis, in quibus duo Atomi corporis cujusdam simplicis junguntur uni Atomo Oxygenii, Berzelius utitur litera O, pro puncto; v. g. *Acidum Nitricum*, $N\,O^6$, literam N pro Nitrogenio vel Azoto sumens; et quum in connubio Aqua pars constituens est, hoc signo Aq. utitur.

Sunt quidem Chemici qui alia signa proposuerunt; sed haec signa quae modo explicavimus, et quibus Berzelius atque multi celeberrimi Chemici utuntur, perspicuo modo, aliquod connubium significare possunt; et etiam faciliora signa haec intellectu sunt aliis magis complicatis ex. gr. iis ex opere de Stoechiometria edito a Chemico *Meinecke*.

Si igitur quodammodo his signis assueverimus, facile patebit, ea magnam facilitatem praebere in significandis proportionibus Chemicis. Hae tabulae autem non eam solam habent utilitatem, ut ex iis videre possimus, quanam proportione in connubio aliquo, unius corporis constituentis Atomi ad alterum teneantur; sed etiam ut ex iis pateat, quanam proportione corpora jungantur quod ad pondus. Quamobrem nunc transeamus ad alteram hujus Capitis partem, quae agit.

De pondere relativo Atomorum.

Hoc pondus certis quibusdam numeris indicatur, quos etiam vocamus numeros proportionales, *Nombres Proportionels*, et horum ope, Stoechiometria immensam utilitatem Chemiae praebet; quoniam compositionem connubii quod ad pondus, satis accurate cognoscere possumus, solas tabulas memoratas inspicientes. Conjunctis duobus numeris proportionalibus corporum simplicium vel compositorum, habebimus numeros proportionales illius connubii; vel aliis verbis, pondus relativum unius Atomi corporis compositi; v. g. Numeri proportionales, vel potius pondus unius Atomi aquae indicatur numeris 112,4354. Hunc numerum habebimus, si conjungimus pondus relativum unius Atomi Oxygenii cum pondere relativo duorum Atomorum Hydrogenii; quia aqua componitur ex uno Atomo Oxygenii et duobus Atomis Hydrogenii, ita:

Atomus Oxygenii = 100
Duo Atomi Hydrogenii = 12,4354
Pondus relativum Atomi Aquae 112,4354.

Sic quoque pondus relativum Atomi Sulphatis Kalici inveniemus, si pondus unius Atomi Potassae jungitur duobus Atomis Acidi Sulphurici; nam hic sal formatus est ex uno Atomo Potassae et duobus Atomis Acidi Sulphurici, ita:

Atomus Potassae = 1179,83
Duo Atomi Acidi Sulphurici = 1002,32
Pondus relativum Atomi Salis 2182,15

Hoc Pondus autem relativum Atomorum simplicium corporum, facillime inveniri potest, uti vidimus supra; ea compositorum invenimus, conjunctis ponderibus relativis duorum corporum, si attendamus tantum ad numerum Atomorum in connubio.

Pro unitate assumatur Oxygenium, quia hoc in plerisque connubiis obvium est, et quia numeri ponderum Atomorum corporum cum eo comparati, simpliores sunt quam si aliud corpus pro unitate assumamus. Pondus autem Atomi Oxygenii ponatur = 100, et regulis supra memoratis, sequenti modo procedatur: (Alii Chemici ponunt pondus Atomi Oxygenii = 10; sed hoc ad idem redit).

Ut igitur calculo definiatur, pondus Atomi argenti, modo adhibeatur regula trium. 100 Partes Argenti ut oxydentur, junguntur partibus Oxygenii 7,3986. Hoc Oxydum possumus statuere uti in tabulis indicatur, componi ex uno Atomo Argenti et duobus Atomis Oxygenii; dein ita pergatur

Oxygenium. Pondus. rel. Oxygenii. Argentum. Pondus rel. Argenti.

$$\frac{7,3986}{2} = 3,6993 \quad : \quad 100 \quad = \quad 100 \quad : \quad 2703,21.$$

Quia duo Atomi Oxygenii in hoc connubio sunt = 7,3986, inde sequitur unum Atomum Oxygenii esse = 3,6993. Quum autem pondus relativum unius Atomi Oxygenii sit = 100, modo multiplicemus 100 partes Argenti cum hoc pondere relativo et dividamus per numerum 3,6993, tum habebimus numerum 2703,21, pondus relativum unius Atomi Argenti.

Aliud exemplum:

Ut inveniatur pondus Hydrogenii, sequenti modo agendum est. Secundum experimenta Berzelii est Dulongii, 100 partes Oxygenii formant cum partibus 12,435 Hydrodrogenii, partes 112,435 aquae. In aqua unus Atomus Oxygenii conjungitur cum duobus Atomis Hydrogenii; inde oritur sequens comparatio:

Oxygenii.		Pond. Rel. At. 1. Oxyg.		Hydrogenii		Pondus rel. 1. Atomi Hydrogen.
100	:	100	=	6,2175	:	6,2175.

Chemicus Cl. *Meinecke* (1) etiam hoc observavit, pondera relativa corporum fere semper posse dividi pondere relativo Hydrogenii, ut nihil supersit; atque hanc observationem tradit ut regulam, qua videre possumus, utrum pondera relativa corporum recte calculo sint definita; sed quia pondus relativum Hydrogenii tam parvum sit, nempe 6,2177, hoc pondus relativum facile potest dividere pondera relativa aliorum corporum; ita ut nullam certam regulam exinde conficere possimus.

Multum tamen abest, ut pondus relativum Atomorum semper accuratum sit, dependet enim solummodo a numero Atomorum, quem in aliquo connubio adesse statuimus; ita ut verisimile sit, in his tabulis tempore procedente, nonnulla minus accurata repertum iri. Quamdiu autem non patuerit rem aliquam esse veritati contrariam, vel minus probabilem, praestare videtur eam assumere.

In Chemia practice tractanda igitur, Stoechiometriae ope carere vix possumus. Quonam enim modo sciamus, in corpore aliquo componendo, quantitatem partium constituentium quibus haec compositio fiat; vel si Analysin connubii alicujus peragere velimus, quantitatem corporis disjungentis, quo opus est ut analysis fiat. Nonnulla hujus rei exempla adferamus.

1. Si Oxydum aliquod restituere velimus in statum metallicum v. c. Oxydum Zincicum, videmus ex tabulis illud constitui duobus Atomis Oxygenii et uno Zinci. Haec compositio ut disjungatur, opus est Carbonio et calore intenso, ut Carbonium Zinco Oxygenium auferens, in Oxydum vel Acidum Carbonicum convertatur. Pondus autem relativum Atomi Zinci est = 806,45. Pondus relativum duorum Atomorum Oxygenii = 200; Pondus relativum Carbonii = 75,33; et unus Atomus Carbonii jungitur uni Atomo Oxygenii ut fiat Oxydum Carbonicum. Igitur ut partes 1006,45 (Pondus relativum Atomi Oxydi Zincici) disjungantur, opus est 150,66 partibus, (Pondus relativum duorum Atomorum Carbonii) si nempe statuimus Carbonium plane in Oxydum converti.

2. Exemplum connubii magis compositi:

Si inquirere velimus in quantitatem acidi Nitrici, contentam sale aliquo Nitrico neutro, cujus basis est incognita, sumatur Acidum v. c. Acidum Sulphuricum; si tunc ponamus formari salem Sulphuricum neutrum, quaeratur differentia ponderis horum salium.

Ponamus salem Sulphuricum 26, 55 partibus esse minus ponderosum sale Nitrico;

---

(1) In opere quod inscribitur *Chemische Messkunst.* II Theil. pag. 19. 20. 21.

pondus autem baseos manet idem; igitur differentia inter pondera relativa Atomorum Acidi Sulphurici et Acidi Nitrici, erit ad pondus Atomi Acidi Nitrici, uti differentia ponderis duorum salium ad pondus quaesitum, hoc modo:

176,10 : 677,26 = 26,55 : 102,07.

3. *Acetatem Kalicum* adipisci volunt Analysi duplici, Sulphatis Kalici et Acetatis Plumbici, atque ut illud fiat, adhiberi volunt 25 partes Sulphatis Kalici.

Ut igitur sciamus quaenam quantitas Acetatis Plumbici requiratur, ut 25 partes Sulphatis Kalici plane divellantur; et quaenam quantitas Acetatis Kalici hac operatione obtineatur, sequenti modo agendum est. Quaeratur in tabulis pondus relativum Atomi Sulphatis Kalici, hoc redit ad 2182,15; et pondus relativum Atomi Acetatis Plumbici crystallisati, quod redit ad 4745,85. Pondus relativum Atomi Sulphatis Kalici ad pondus ralativum Atomi Acetatis Plumbici tenetur eadem ratione, qua 25 partes Sulphatis Kalici ad quantitatem quaesitam Acetatis Plumbici, hoc modo:

2182,15 : 4745,85 = 25 : 54,37.

Ut antem inveniatur quantitas Acetatis Kalici, quae hac Analysi obtinetur, quaeratur pondus relativum Atomi Acetatis Kalici, quod est 2462,07; et sequenti modo pergatur.

Pondus At. Sulph. Kalici. P. At. Acet. Kalici. Sulph. Kal. Acet. Kalic.
2182,15 : 2462,07 = 25 : 28,20.

His quidem multa exempla addere possemus; ex praecedentibus tamen satis jam videre licet, quam late patet Stoechiometriae utilitas in Chemia practica exercenda, neque pronuntiare timemus, Chemiam illa carere non posse.

His igitur jam Clarissimi Judices! officio satisfecisse, atque quaestionis vero consilio pro viribus respondisse, putamus; atque omnia de hoc argumento exposuisse, quae ad illud pertinerent. Ne aliter tamen hanc commentationem inspicere velitis, quam continentem fundamenta illius partis hujus egregiae doctrinae, cujns tanta est copia, ac tam late patet si reliquis artibus accommodatur.

TANTUM.

⁂

JANI HENRICI HOLWERDA,

HAGANI,

PHILOS. THEOR. ET LITER. HUMAN. CANDIDATI ET THEOL.
IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA STUDIOSI,

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM A CLARISSIMO PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM ORDINE IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA, A. MDCCCXXVI PROPOSITAM:

„ *Quaenam fuit veterum Scepticorum sententia de veri judicio? Quibus argumentis eam tueri conati sunt adversus Dogmaticos, inprimis Socraticos, et Stoicos? Quomodo denique Sceptica philosophandi ratio, observatâ hominis indole, naturâ, atque ingenii progressione, explicanda et coërcenda videtur?*"

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT D. VIII MENSIS FEBRUARII
A. MDCCCXXVII.

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM LITERARIAM.

PROLEGOMENA.

Quod Simonides de natura Deorum interrogatus, respondisse fertur: *quanto diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior:* idem dici posse videtur de quaestione illa gravissima, et qua nulla latius patet, quibus finibus ingenium humanum contineatur, quatenus verum invenire, et inventum dijudicare possit? De qua tam variae sunt tamque diversae veterum philosophorum sententiae, ut, quaenam earum sit verissima, dubitantes, omnem fere veritatem desperare cogamur. Sed tamen haud scio an nulla sit historiae Philosophiae pars, quae tantam habeat, ad animi agnitionem vel pulcritudinem vel utilitatem. Etenim cui non pulcrum videtur, quae ab ingeniosissimis viris de re gravissima cogitata sunt, cognita habere atque perspecta? Quae cognitio, quid aliud efficit quam ut ex animis nostris affirmandi temeritas eruatur?

Quae cum ita sint, neminem fore arbitror, cui non magnopere placeat quaestio, a Cl. ordine Philosophiae Theoreticae et literarum humaniorum ad disceptandum proposita, quae ita se habet:

Quaenam fuit veterum Scepticorum sententia de veri judicio? Quibus argumentis eam tueri conati sunt adversus Dogmaticos, inprimis Socraticos et Stoicos? Quomodo denique Sceptica philosophandi ratio, observata hominis indole, natura, atque ingenii progressione, explicanda et coërcenda videtur?

Ad ad hanc igitur quaestionem ita respondere conabor ut, si minus doctrinae copiam et varietatem afferre possim, at industriae certe aliquam laudem assequar.

Disputationis triplicem feci divisionem eam, quam ipsa quaestio demonstrat: prima parte Scepticorum de veri judicio sententia continebitur: secunda pars consumetur in argumentis, quibus hanc sententiam defendere consueverant, exponendis: tertia denique in eorum philosophandi ratione explicanda et coërcenda versabitur.

Sed ut palam fiat, quanam de re disputetur, neque oratio nostra incerta vagetur, videamus, quid veteres intellexerint *verum*, quid *judicium?*

Et ad *verum* quidem quod attinet, Sexti Emperici exemplum secuti, Stoicorum definitionem afferemus (1). Hi igitur *verum* intelligebant τὸ ὑπάρχον καὶ ἀντικείμενόν τινι, *id, quod existit et alicui rei oppositum est*, id est, *cujus oppositum falsum est*. Quo sequitur *Falsum* nihil aliud esse, quam τὸ μὴ ὑπάρχον καὶ μὴ ἀντικείμενόν τινι, *id quod non existit, neque alicui rei oppositum est*, hoc est, *cujus oppositum non falsum est* (2). *Verum* triplici modo distinguebant a *veritate*. Primum οὐσίᾳ· verum enim est incorporeum, quippe pronuntiatum et enunciatum (ἀξίωμα καὶ λεκτόν). Veritas est corpus, quippe nihil aliud, quam scientia omnium verorum. Scientia autem est animi principatus (ἡγεμονικὸν) *quodammodo se habens* (3). Animi principatus secundum eos est πνεῦμα, ideoque corpus (4). Haec ut melius intelligantur, tenendum est, Stoicos statuisse, omne quod movet, vel movetur corpus esse; quod non movet, neque movetur, incorporeum existimabant (5). Deinde verum a veritate distinguitur συστάσει; cum verum sit simplex, veritas composita et pluribus partibus constans, utpote scientia. Differunt igitur ut cives a civitate, ut species a genere (6). Denique δυνάμει inter se differunt verum et veritas: quandoquidem haec tantum cadere potest in perfectum illum Stoicum sapientem, veri contra et stultus est particeps, et infans, et insanus (7).

Ut autem verum a falso distinguatur opus est κριτηρίῳ. Quod latine *judicium* appellare licet, auctoribus Cicerone (8) et Seneca (9): quamvis hanc vocem graecae minus respondere arbitrati sunt Picus Mirandulanus (10), et, cujus major est his in rebus auctoritas, M. A. Muretus (11). Cicero autem et aliis formulis promiscue usus est: v. c. *id, quo omnia judicantur, veri falsique nota, veri falsique regula* caet. (1). Sed missis his levioribus ad rem ipsam, criterii nomine designatam, definiendam accedamus.

---

(1) Cf. *advers. Math.* VII. 38 edit. Fabricii.

(2) *Galenus. De Hist. Phil.* Opp. tom. II. pag. 26. A, B. edit. Charterii. Liceat mihi ignotum hujus libelli auctorem facilitatis causa Galenum appellare.

(3) *Seneca* Epist. 113.

(4) Cf. *Sext. Emperic.* P. H. lib. II, 81. *adv. Math.* VII. 39 et 38. — *Galenus* ll.

(5) Cf. *Diog. Laërt.* VII, 55. ibique Menagius. — *Aul. Gell. Noct. Attic.* V. 15. — *Pseudo-Plutarch. De placitis philosoph.* IV. 19, 20. p. 292—294 edit. Tauchnitz.

(6) Cf. *Sext. Empir.* P. H. II, 82. *advers. Math.* VII, 40—42. — *Galenus* l. l.

(7) Cf. *Sext.* P. H. II, 83. *Adv. Math.* VII, 43—45. — *Galenus* l. l.

(8) *Acad. quaest.* II, 8. alibi. (9) *Epist.* 81.

(10) *In examine vanitatis doctrinae gentium.* In utriusque Pici opp. Basileae. 1573 et 1601. tom. II. p. 816.

(11) Ad laud. Senecae locum. Opp. tom. III. p. 70. edit. Ruhnk.

Criterium in universum nihil aliud est, quam, *πράγματος διαγνωστικὴ κατανόησις* (2) et duplex distinguitur, ad vitam regendam alterum, alterum ad verum falsumque dijudicandum. Sextus Empiricus: *αὐτίκα τοίνυν*, inquit, *κριτήριον λέγεται πρῶτον μὲν διχῶς· καθ' ἕνα μὲν τρόπον, ᾧ προσέχοντες, τὰ μὲν ποιοῦμεν, τὰ δὲ οὐδαμῶς· καθ' ἕτερον δὲ, ᾧ προσέχοντες τὰ μὲν ὑπάρχειν φαμὶν, τὰ δὲ μὴ ὑπάρχειν, καὶ ταυτὶ μὲν ἀληθῆ καθεστάναι, ταυτὶ δὲ ψευδῆ* (3).

De illo posteriori veri criterio potissimum in hac disputatione agendum erit, quod rursus triplici modo dicitur: *κοινῶς*, *ἰδίως*, *ἰδιαίτατα*. Et *κοινῶς* quidem criterium dicitur, omnis comprehensionis mensura, quam a natura accepimus, v. c. visus, auditus, gustus, caet.: *ἰδίως*, omnis comprehensionis mensura, quam arte nobis praeparavimus v. c. cubitus, circinus caet.: denique *ἰδιαίτατα*, criterium est omnis mensura, qua res incerta (*ἄδηλος*) comprehenditur. Huc autem praesertim ea pertinent, quae ad verum dijudicandum Dogmatici afferunt (4).

Aliquantum ab his differt Galeni ratio, qui duplex tantum distinxit criterium, *φυσικὸν naturale* alterum, alterum *τεχνικὸν artificiale;* quorum hoc nobismet ipsi paravimus, ut circinus; illud naturae acceptum referimus, ut sensus et ratio (5). Igitur, quod Sexto fuit *κοινῶς* et *ἰδιαίτατα* dictum criterium, id Galeno est *naturale*: quemadmodum rursus Sexti *ἰδίως* vocatum criterium Galeni *artificiali* respondet.

Nondum in dividendo criterio subsistebatur. Nam illud *ἰδιαίτατα* dictum criterium rursus triplici modo distingui potest. Est enim aliquod criterium *ὑφ' οὗ*, *a quo*, ut *ἄνθρωπος*: aliud *δι' οὗ*, *per quod*, ut *αἴσθησις*, *διάνοια*: tertium denique *καθ' ὅ*, *secundum quod*, ut *ἡ προσβολὴ τῆς φαντασίας* (6).

Fuerunt autem, qui primum illud criterium *ὑφ' οὗ*, ut supervacaneum, rejicerent, cum potius sit ipse judex, non id, quo judicetur. Quorum rationem probavit Gassendus, vir eximius (7). Ita autem fecit Galenus, qui illud suum *naturale* criterium duabus constare putavit partibus, quarum unam criterium *δι' οὗ*, *per quod* vocavit, alterum criterium *καθ' ὅ*, *secundum quod*. Illud nihil aliud est, nisi facultas a natura data, per quam rem cognoscamus, ut *sensus* vel *intellectus*: hoc est ipsa hujus facultatis ac-

---

(1) *Acad. quaest.* II. 10, 11, 12. alibi.

(2) *Galenus. De hist. phil.* p. 25. F.

(3) *Adv. Math.* VII. 29. — Cf. P. H. I, 21. II, 14. — *Galenus* l. l.

(4) Cf. *Sext. Empir.* P. H. II, 15. — *Galenus* l. l.

(5) Cf. *De optima doctrina contra Favorinum.* c. IV. pag. 19. B. C.

(6) Cf. *Sext. Emp.* P. H. II, 16. — *Adv. Math.* VII, 35 — 37. de quibus locis cf. *Gassendus*, *De logicae fine.* Opp. tom. I. p. 69.

(7) l. l.

actio sive operatio, veluti *sensio* et *intellectio* (1). Cum Galeno in rejiciendo criterio *a quo* consensisse videtur Potamo Alexandrinus, Eclecticorum auctor; certe apud Diogenem Laërtium non nisi duo criteria statuit *per quod* et *secundum quod* (2). Alcinous autem haec duo confudisse et uno nomine *τὸ δι' οὗ* comprehendisse videtur, cum tamen aliud adjecerit *τὸ ὑφ' οὗ*, idque mentem esse dixerit: (*τὸ δὲ κριτήριόν*) *ἐστι διττὸν, τὸ μὲν ὑφ' οὗ κρίνεται τὸ κρινόμενον, τὸ δὲ δι' οὗ· ὧν τὸ μὲν ἂν εἴη ὁ ἐν ἡμῖν νοῦς, τὸ δὲ δι' οὗ ὄργανον φυσικὸν κριτικόν* (3). Haec de criterio dicta sufficiant.

Ejusmodi autem criterium, quo verum a falso distinguatur, utrum existat, nec ne magna fuit inter philosophos contentio. Eorum tria potissimum facit genera Sextus Empiricus: *Dogmaticorum*, qui et esse verum et percipi posse statuebant: *Academicorum*, qui et esse verum et percipi posse negabant. Inter quos medii interjacent *Sceptici*, qui nihil statuunt, sed quaerunt et dubitant (4). In qua divisione illud mihi minus probatur, quod Academicos a Dogmaticis diversos facit. Nam aeque Dogmaticus est is, qui veri judicium tollit, ac qui ponit. Quamobrem Dogmatici putandi sunt ii, qui vel statuunt, vel negant verum et esse et percipi posse: Sceptici, qui assessionem cohibent, et nihil in utramque partem statuunt (5). Nostrae tamen disputationis ratio postulare videtur, ut Dogmaticos eos intelligamus, qui aliquid veri judicium statuebant, Scepticos et eos, qui illud omnino tollebant, et eos, qui de eo non statuebant, sed assensionem cohibebant: praesertim cum, ut postea videbimus, hi nomine tantum differant, re congruant. Ejusmodi fere est Diogenis Laërtii philosophorum divisio, qui *τῶν δὲ φιλοσόφων*, inquit, *οἱ μὲν γεγόνασι δογματικοὶ, οἱ δὲ ἐφεκτικοί. Καὶ δογματικοὶ μὲν ὅσοι περὶ τῶν πραγμάτων ἀποφαίνονται, ὡς καταλήπτων· ἐφεκτικοὶ δὲ ὅσοι ἐπέχουσι περὶ αὐτῶν, ὡς ἀκαταλήπτων* (6). Quod autem ad antiquiores illos attinet philosophos, Xenophanem, Empedoclem, alios, qui, neque Sceptici, neque Dogmatici appellari possunt, minime absurdum videtur, hos a reliquis sejungere, eorumque tertium facere genus ex utroque mixtum. Galenus, Dogmaticorum et Scepticorum facta mentione, *μικτὴν δὲ*, inquit, *αἵρεσιν προσειρήκασιν· τὴν τισι μὲν δόγμασι κατατιθεμένην, περὶ πολλῶν δὲ ἠπορηκυῖαν καὶ μὴ πάντα διεξιοῦσαν συνκαθετικῶς*. Et paullo post *τοὺς δὲ κατὰ μικτὴν αἵρεσιν μετεληλυθότας ὑπάρχειν φασὶ Ξενοφάνην — Δημόκριτον* caet. (7).

---

(1) Cf. *Galenus. De optim. doct.* c. IV. p. 16. D. F.

(2) Cf. *Diog. Laërt. Prooem.* s. 21.

(3) *De doctr. Plat.* c. IV. p. 91 edit. quam Fischerus Platonis dialogis a se editis praefixit.

(4) P. H. I, 1 et 2.

(5) Cf. Cl. *Nieuwenhuis* in *Orat. de varia philosophandi ratione, cum mentis humanae indole et progressibus comparata.* pag. 19.

(6) Cf. *Diog. Laërt. prooem.* s. 15.

(7) *De hist. phil.* pag. 24. F.

Superest, ut fontes indicemus, e quibus hujus contentionis cognitio haurienda est. Et primum quidem memorandae sunt egregiae illae, neque unquam satis laudandae Sexti Empirici disputationes, quae secundo Pyrrhoniarum Hypotyposeon et Septimo adversus Mathematicos libro continentur. Eodem loco habendi sunt Ciceronis Academicarum quaestionum libri, quos, si integros haberemus, multis de rebus certius judicare possemus. Galeni liber De Optima doctrina, pauca de quaestionis historia habet, et ad unius Favorini rationem pertinet. Ad eam paucitatem veterum scripta, in quibus data opera de criterio agebatur, temporum injuria redacta sunt; quo diligentius ea colligenda sunt, quae hac de re sparsa inveniuntur, apud alios scriptores: Plutarchum, Eusebium, Diogenem Laërtium, Photium, alios, quos suo quemque loco laudabimus. Ceterum ex iis, qui perditi sunt, nullius jacturam tantum dolemus, quantum Posidonii περὶ κριτηρίου libri (1), tum quod ex eo Dogmaticorum rationes ab ipso Dogmatico eoque clarissimo propositas cognoscere possemus, tum quod in eo haud pauca ad historiam quaestionis pertinentia fuisse videntur, ut ex Diogenis Laërtii l. l. conjicimus. Reliquorum perditorum de criterio librorum titulos, qui nobis innotuerunt, hic recensere nihil attinet, quia in ipso disputationis cursu nonnullorum mentionem faciemus. Illud tantummodo memorandum videtur, exstare adhuc ineditam Nicephori Gregrorae de veri judicio contra Scepticos disputationem; cujus rei notitiam Fabricio (2) debemus.

E recentioribus dedita opera veterum philosophorum de veri judicio sententias tractavit Picus Mirandulanus, in *Examine vanitatis doctrinae gentium*, qui temporum, quibus vixit, ratione habita, sua laude non fraudandus est. Hunc secutus est Gassendus, in libro *De fine logices*, qui majori linguae Graecae scientia instructus, Picum longo post se intervallo reliquit. Memorandus quoque Huëtius, *Traité de la foiblesse de l'esprit humain.* Amstel. 1723. qui in eo reprehendendus esse videtur, quod omnes fere philosophos ad Scepticorum sectam referre studeat. Denique breviter pro instituti ratione hunc locum tractavit Wyttenbachius Vir Cel. in *PraeceptisLogices*, Part. III. cap. II. p. 81 — 98. ed. 2.

Haec sunt quae praemonenda habui.

---

(1) *Diog. Laërt.* VII, 54.— De hocce libro videatur *J. Bake vir Cl. in Posidonii Rhodii reliquiis doctrinae* pag. 247.

(2) Ad *Sext. Empir.* P. H. II, 18. not. Z.

⁂

PARS PRIMA,

QUA SCEPTICORUM DE VERI JUDICIO SENTENTIA CONTINETUR.

CAPUT PRIMUM,

DE IIS PHILOSOPHIS, QUORUM SENTENTIA INTER DOGMATISMUM ET SCEPTICISMUM VACILLAT.

Antiqui illi sapientiae studiosi, ut Xenophanes, Empedocles, alii, cum primum philosophari coeperunt, saepius et sensuum fallacitatem experiebantur, et aliis difficultatibus in rebus explorandis impediebantur. Quo factum est, ut interdum omnem veritatem desperarent, ideoque vehementissimas ederent querelas. Contra si quid invenissent, tanquam certum sumebant, verum inveniri posse, et Dogmatice assentiebantur. Quae ratio diu in philosophia invaluit. Multae difficiles quaestiones jam explicatae erant et pertractatae, antequam de mentis humanae facultatibus cogitari coepit. Hinc factum est, ut idem philosophus nunc Sceptice, nunc Dogmatice de veri judicio pronuntiasse diceretur. Quo et alia accedebat causa. Fuit enim omnium philosophorum communis ex pervulgatus mos, ut placita sua ad eos referrent auctores, qui antiquitus sapientiae laude floruissent. Quae res saepius ad ridiculum agitata est, inprimis a Stoicis, qui Homerum, Hesiodum et alios ita interpretabantur, ut plane Stoici fuisse viderentur (1). Idem faciebant Academici et Pyrrhonii (2). Statim igitur contentiones oriebantur, utrum aliquis ex iis antiquioribus Dogmaticus fuerit,

---

(1) Cf. *Cicero*, *De nat. Deorum.* I, 15. Hocce ad antiquos illos provocandi negotium fortasse jam reprehendere voluit Plato, cum Socratem ita inducit, ut, si quid ipse pronuntiet, id Diotimae, Medicis Thracibus aliisque acceptum referat. Cf. *Symp.* pag. 201. D. *Charmid.* 156. D. In eo etiam loco ubi illud Heracliti placitum *omnia fluere* ad Homerum et Epicharmum refert, manifesta est ironia. *Theaet.* pag. 152. D. Animadverti quoque debet Sextum Empir. a hujus morbi contagione omnino liberum fuisse, et contra vehementer studuisse ut ostenderet Pyrrhonios ab omnibus aliis philosophis diversos esse. cf. inprimis P. H. I. 210 — 241.

(2) Cf. *Cicero*, *Acad. quaest.* II, 5, 6, 23, 24. — Diog. *Laërt.* IX, 70. seqq.

rit, an Scepticus (1)? Hujus dicta et placita utrique in suam sententiam interpretabantur, et, ut facile intelligitur, nonnunquam corrumpebant.

Quo haec pertineant apparet: non sejungendam esse Dogmatismi et Scepticismi tractationem, antequam ad ea ventum sit tempora, quibus uterque ad perfectionem esset adductus. Continebit igitur haec nostrae disputationis pars utriusque initia et incrementa. Inprimis autem operam dabimus, ut illius, qua veri judicium tollitur, sententiae vestigia diligenter colligamus.

Exordium capiamus ab *Homero*, quem Sceptici sectae auctorem esse voluerunt (2). Laudantur quidam hujus versus, qui Scepticismi speciem prae se ferunt, et quos Pyrrho saepe multumque usurpasse dicitur (3). Sed hoc superstitiosae cuidam reverentiae, qua tota antiquitas Homerum persequebatur, tribuendum esse existimem. Et ut hoc loco poëtas complectamur; *Euripides* et *Archilochus* (4) in illis versibus, qui a Scepticis laudantur tamquam ex ipsorum doctrina petitis, quidvis aliud quam incomprehensibilitatem rerum cogitasse videntur. Nam qui poëtae dictum ad eandem normam ac philosophi placitum exigere velit, ineptus sit. Sequuntur septem illi, qui antiquitus sapientes sunt dicti et habiti, quos Sceptici suae *αἱρέσεως* faciunt propter celebria illa dicta *μηδὲν ἄγαν* caet. (5). Quod quam leve sit, et per se intelligitur, et magis intelligetur, cum ea, quae *Anacharsidi* tribuit Sextus, diligentius consideraverimus. *Καὶ Ἀνάχαρσις, ὥς φασιν, ὁ Σκύθης, πάσης τέχνης τὴν κριτικὴν κατάληψιν ἀναιρεῖ. Σφόδρα γὰρ ἐπιτιμᾷ τοῖς Ἕλλησι, ταύτην ἀπολείπουσι· τίς γάρ ἐστι, φασὶν, ὁ κρίνων τι τεχνικῶς; ἆρά γε ὁ ἰδιώτης, ἢ ὁ τεχνίτης; ἀλλ' ἰδιώτην μὲν οὐκ ἂν εἴποιμεν· πεπήρωται γὰρ πρὸς τὴν γνῶσιν τῶν τεχνικῶν ἰδιωμάτων, καὶ ὡς οὔτε τυφλὸς λαμβάνει τὰ τῆς ὁράσεως ἔργα, οὔτε κωφὸς τὰ τῆς ἀκοῆς, οὕτως οὐδὲ ὁ ἄτεχνος ὀξυωπεῖ πρὸς τὴν κατάληψιν τοῦ ἀποτελεσθέντος. Ἐπεί τοι ἐὰν καὶ τούτῳ μαρτυρῶμεν τὴν τινος πράγματος τεχνικοῦ κρίσιν, οὐ διοίσει τῆς τέχνης ἡ ἀτεχνία· ὅπερ ἐστὶν ἄτοπον· ὥστε οὐχ' ὁ ἰδιώτης ἐστὶ κρίτης τεχνικῶν ἰδιωμάτων. Λείπεται ἄρα λέγειν τὸν τεχνίτην· ὃ πάλιν ἐστὶν ἀπίθανον. Ἤτοι γὰρ ὁ ὁμόζηλος τὸν ὁμόζηλον, ἢ ὁ ἀνομόζηλος τὸν ἑτερόζηλον κρίνει· ἀλλ' ὁ ἑτερόζηλος οὐχ' οἷός τε ἐστὶ κρίνειν τὴν ἑτερόζηλον. Τῆς γὰρ ἰδίας τέχνης ἐστὶν ἐπιγνώμων, πρὸς δὲ τὴν ἀλλότριαν ἰδιώτης καθέστηκεν. Καὶ μὴν οὐδὲ ὁ ὁμόζηλος τὸν ὁμόζηλον δύναται δοκιμάζειν· αὐτὸ γὰρ τοῦτο ἐζητοῦμεν, τίς ἐστιν ὁ τούτους κρίνων ἐν μιᾷ δυνάμει τὸ ὅσον ἐπὶ τῇ αὐτῇ τέχνῃ καθεστῶτας. Ἄλλως τε, εἴπερ οὗτος ἐκεῖνον κρίνει, γενήσεται τὸ αὐτὸ κρῖνον τε καὶ κρινόμενον, πιστόν τε καὶ ἄπιστον.*

---

(1) Talis contentio fuit de Xenophane *Sext. Empir.* P. H. I, 223. — De Platone, idem ibid. §. 221. — *Diog. Laërt.* III, 51. — *Cicero Acad. quaest.* I, 13. II, 5. — Item de aliis.

(2) *Diog. Laërt.* IX, 67. quem secutus est *Suidas* voce Πυῤῥώνειοι.

(3) Cf. *Sext. Empir. adv. Math.* I. 272 et 281. VII, 128.

(4) *Diog.* et *Suidas* ll. *Sext. Empir. adv. Math.* I. 281. VII, 128.

(5) *Diog.* et *Suidas* ll. — De Septem autem sapientibus peculiariter egit *Diog. Laërt.* I, 13, 30, 40, ibique *Menagius*. — Cf. *Heindorf ad Plat. Protagoram* p. 343. A. ad *Charmidem* pag. 165. A.

Ἢι μὲν γὰρ ὁμόζηλός ἐστιν ὁ ἕτερος τῶν κρινομένων, κρινόμενος καὶ αὐτὸς ἄπιστος ἔσται· Ἢι δὲ κρίνει, πιστὸς γενήσεται. Οὐ δυνατὸν δὲ τὸ αὐτὸ καὶ κρῖνον καὶ κρινόμενον, καὶ πιστόν καὶ ἄπιστον ὑπάρχειν. Οὐκ ἄρα ἐστί τις ὁ κρίνων τεχνικῶς· διὰ δὲ τοῦτο οὐδὲ κριτήριον. Τῶν γὰρ κριτηρίων, τὰ μὲν ἔστι τεχνικὰ, τὰ δέ, ἰδιωτικά. Οὔτε δὲ τὰ ἰδιωτικὰ κρίνει, ὥσπερ οὐδὲ ὁ ἰδιώτης· οὔτε τὰ τεχνικὰ, ὥσπερ οὐδὲ ὁ τεχνίτης, διὰ τὰς ἔμπροσθεν εἰρημένας αἰτίας. Τοίνυν οὐδέν ἐστι κριτήριον (1). Locum quamvis longiorem retuli, quia vererer, ne, si in compendium eum redegissem, argumentationis vim et perspicuitatem corrumperem. Unus autem Sextus haec habet; apud alios veteres nil huc pertinens reperitur, nisi forte hoc Anacharsidis apophtegma: θαυμάζειν δὲ, ἔφη, πῶς παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἀγωνίζονται μὲν οἱ τεχνῖται, κρίνουσι δὲ οἱ μὴ τεχνῖται (2). Hinc autem Gassendus Sextianae narrationi fidem facere conatus est (3): equidem potius credam hocce dictum Sexto ansam praebuisse, ut talem disputationem fingeret, et Anacharsidi tribueret: cui suspicioni illud, ὥς φασιν, quod ille narrationi suae praefixit, favere videtur. Praeterea totius hujus disputationis dialectica subtilitas ab Anacharsidis aetate prorsus aliena est.

Hactenus de septem sapientibus. E quibus *Thales* primus scholam condidit eam, quae Jonica appellata est. Memoratu dignum est, quod de hujus scholae philosophis annotavit Sextus: πρῶτοι δ' ἔδοξαν οἱ ἀπὸ Θάλεω (4) φυσικοὶ τὴν περὶ κριτηρίου σκέψιν εἰςηγήσασθαι· quo loco σκέψιν non de dubitatione Sceptica intelligendum esse, sed potius Dogmaticam tractationem significare bene monuit Fabricius (5). Videamus autem quo haecce Sexti animadversio pertineat. Omnes illi, qui, ut Thales primum philosophari coeperunt, sola ἐμπειρίᾳ ducebantur, et cum nondum virium suarum periculum fecissent, profecto in eos dubitatio non cadebat, utrum homo verum invenire et inventum dijudicare possit, nec ne. Sed progrediente inquisitione Empirismus ipse se destruxit, et eos docuit multa obesse, quominus homo ad veritatem pervenire posset. Quotidie sensuum fallacitatem experiebantur. Hos igitur reliquerunt, et ad unam rationem se contulerunt (6).

Inprimis hoc fecit *Anaxagoras*, ὡς ἀσθενεῖς διαβάλλων τὰς αἰσθήσεις. Ὑπὸ ἀφαυρότητος αὐτῶν, φησὶ, οὐ δυνατοί ἐσμεν κρίνειν τἀληθές. Argumentum, quo hoc conficere studebat, petitum erat ex τῇ παρὰ μικρὸν τῶν χρωμάτων ἐξαλλαγῇ. Εἰ γὰρ δύο λάβοιμεν χρώματα, μέλαν καὶ λευκὸν, εἶτα ἐκ θατέρου εἰς θάτερον κατὰ στάγονα παρεκχέοιμεν, οὐ δυ-

---

(1) *Sext. Empir. adv. Math.* VII. 55 — 59.

(2) *Diog. Laërt.* I, 103. Simile quid habet *Plutarchus in Solone* c. V. in fine. p. 81. edit. Francof.

(3) Opp. Tom. I. p. 71.

(4) *Adv. Math.* VII, 89. — Per se patet et hoc loco monuisse sufficiat, cum de antiquis illis ejusmodi voces τεχνικαὶ usurpantur, has a recentioribus ad illorum placita accommodatas esse.

(5) Ad l. l. not. X.

(6) Cf. *Sextus* l. l.

δυνήσεται ἡ ὄψις διακρίνειν τὰς παρὰ μικρὸν μεταβολὰς, καίπερ πρὸς τὴν φύσιν ὑποκειμένας (1). Eodem pertinet notissimum illud paradoxon: nivem sibi albam non videri, *quia sciret aquam nigram esse, unde illa concreta esset* (2). Quod non ex animi sententia eum dixisse putem, sed ut festive sensus reprehenderet: nam Cicero l. l. Academ. 23. diserte testatur: eum non fuisse *sophistam*, (*sic enim appellantur ii, qui ostentationis aut quaestus causa philosophantur*) *sed maxima et gravitatis et ingenii gloria virum.* — Ceterum κοινῶς τὸν λόγον ἔφη κριτήριον εἶναι (3).

Haud minori, quam Physici illi, sapientiae laude et opinione floruerunt *Italici* sive *Pythagorei.* Nec tamen melius de mentis humanae facultatibus investigandis meruisse censendi sunt. Nam quantum quidem de iis nobis innotuit, constat eos nullam Dialecticae operam dedisse (4). De criterio igitur veri non cogitarunt, nedum ut voluit Huetius (5), Sceptice dubitarunt: sed viribus suis, quas nondum experti erant, nixi ad rerum investigationem sese dederunt. Hoc de antiquissimis Pythagoreis dictum sit. Sed qui non modo Pythagoreorum disciplinam, sed omnem philosophiam, quam maxime auxit et inventis suis illustravit, fuit *Empedocles:* quae causa fuit, cur nonnulli a Pythagorae eum schola separarent, et in philosophiae historia peculiarem illi locum tribuerent (6). Quorum rationem non est cur sequamur. Videamus potius quid de vero judicando statuerit. Et vero alii aliter ipsius sententiam explicarunt: eam rationem ut simpliciorem probavit Sextus (7), qua sex criteria induxisse dicitur. Vult igitur Empedocles duas esse causas rerum efficientes, φιλίαν et νεῖκος. Materiam quadruplicem fecit, terram, aquam, aërem, ignem (8). Cum autem similia similibus cognoscantur, quae etiam communis fuit Physicorum sententia, sequitur et sex illa elementa totidem esse criteria. En ipsa Empedoclis verba:

---

(1) *Sext. Emp.* l. l. §. 90.

(2) Cf. *Cicero Acad. Quaest.* II, 34. Cf. etiam c. 23. — *Sext. Empir.* P. H. I. 33.

(3) *Sext. adv. Math.* VII, 92. — Ita fere explicanda videtur Anaxagorae sententia. Cf. *Meiners, Grundriss der Weltweisheit* pag. 46. idem. *Geschichte der Wissenschaften in Gr. u. R.* I. 682 seqq. Quod autem *Buhlius in comm. de veterum philos. Gr. ante Aristotelem in arte log. conaminibus.* In commentat. Soc. Goett. vol. XI. p. 242. affirmat, Anaxagoram statuisse *res tales esse, quales unicuique videantur*, id, auctore Aristotele, traditum *Metaphysic.* III. 4. cum reliquis Anaxagorae placitis conciliavit *Stäudlinus, Geschichte und Geist des Scepticismus* I. p. 199.

(4) Hoc satis, opinor, ostendit *Buhlius comm. laud.* p. 236. 237.

(5) *Traité de la foiblesse* etc. *Livr.* I. *ch.* 14. p. 100.

(6) Cf. *Krug, Geschichte der Philosophie alter Zeit, vornehmlich unter Gr. u. R.* p. 188. not. n.

(7) *Adv. Math.* VII, 115 — 121.

(8) Praeter laudatum Sexti locum cf. ejusdem *adv. Math.* IX, 10. X, 317. ubi leguntur etiam Empedoclis fragmenta. — *Plutarch. in Stromat.* ap. *Eusebium* P. E. I, 24, C. *Pseudo-Plutarchus de placitis Philosoph.* I. c. 3. p. 234. *Diog. Laërt.* VIII, 76. *Origenes* ἐν φιλοσοφουμένοις c. 3. edit. *J. C. Wolff. Hamb.* a. 1716. — Ad hocce Empedoclis placitum respexit quoque *Plato Sophist.* p. 242. C. *Lysid.* 214. B. ubi Heindorf laudat *Aristot. Ethic.* VIII. 1.

γαίᾳ μὲν γὰρ γαῖαν ὀπώπαμεν, ὕδατι δ' ὕδωρ,
αἰθέρι δ' αἰθέρα δῖον, ἀτὰρ πυρὶ πῦρ ἀΐδηλον,
στόργην δὲ στόργῃ, νεῖκος δέ τε νείκεϊ λύγρῳ (1).

Hoc est: terram percipimus μετουσίᾳ terrae, aquam aquae μετουσίᾳ, et sic porro.

Alii autem dixerunt secundum Empedoclem κριτήριον εἶναι οὐ τὰς αἰσθήσεις, ἀλλὰ τὸν ὀρθὸν λόγον (2). Et Empedoclem sensus quidem rejecisse communis est veterum vox (3). Quod autem ad illum ὀρθὸν λόγον attinet, eum secundum Empedoclem vel divinum vel humanum esse; hunc proferri, illum non proferri posse, id apud unum tantum Sextum inveni.

Mirandum videtur Sextum, qui talia studiose collegit, mentionem non fecisse *Epicharmi*, poëtae Siculi et Pythagorei, cujus, teste Diogene, non modo poëmata, sed et libri de philosophia fuerunt: οὗτος ὑπομνήματα καταλέλοιπεν, ἐν οἷς φυσιολογεῖ, γνωμολογεῖ, ἰατρολογεῖ (4). Hic, si quis alius, sensibus fidem negavit, mentem esse voluit rerum judicem. Νοῦς, inquit,

νοῦς ὁρῇ, καὶ νοῦς ἀκούει· τἄλλα κωφὰ καὶ τυφλά (5).

Magis ad antiquam Pythagorae doctrinam comparata erat sententia *Philolai*. Sextus Empiricus: οἱ δὲ Πυθαγορικοὶ τὸν λόγον μέν φασιν (κριτήριον εἶναι)· οὐ κοινῶς δὲ, τὸν δὲ ἀπὸ μαθημάτων περιγιγνόμενον, καθάπερ λέγει καὶ ὁ Φιλόλαος, θεωρητικόν τε ὄντα τῆς τῶν ὅλων φύσεως (6). Quod ut intelligatur, tenendum est, similia similibus cognosci: λόγος autem et ἡ τῶν ὅλων φύσις ex Pythagoreorum sententia sunt similia, utpote uterque ἀριθμός. Ergo ἡ τῶν ὅλων φύσις cognoscitur λόγῳ (7). Ita fere in hocce Sexti loco singula accipienda et connectenda esse videntur. Primum illud, similia similibus cognosci, jam tractavimus, cum de Empedocle dicebamus. De ista autem rationis cum rerum natura similitudine observandum est, Sextum hanc sententiam Pythagoreis tribuere auctore Posidonio, in ἐξηγήσει τοῦ Τιμαίου Πλάτωνος (8). Ad quod confirmandum

---

(1) Eosdem versus et aliis locis laudat Sext. Empir. v. c. *adv. Math.* I, 303. VII, 29. — Similia similibus cognosci placuit etiam, si Sexto fides habenda, Democrito et Platoni.

(2) *Sext. Empir. adv. Math.* VII. 122 — 125.

(3) *Cicer. Acad. quaest.* II. 5, 23. — *Plutarch. de audiend. poëtis* pag. 39. *Diog. Laërt.* IX, 73.

(4) *Diog. lib.* VIII, 78.

(5) Hocce dictum multis veterum locis adductis illustravit *Wyttenbachius Vir. cel.* ad *Plat. Phaedonem* ann. pag. 150, 151.

(6) Cf. *Sext. Empir. adv. Math.* VII. 92.

(7) *Sext.* l. l. 92 — 93.

(8) Cf. *vir Cl. J. Bake de Posidonio* p. 238 seqq.

dum disputationem addidit de numeris Pythagoricis longiorem quam ut hic referatur, qua efficitur e Pythagoreorum sententia: *ὑγιὲς εἶναι τὸ*

. . . . *ἀριθμῷ τε πάντ' ἐπέοικε,*

τοῦτ' ἔστι, τῷ κρίνοντι λόγῳ καὶ ὁμοιογενεῖ τοῖς τὰ πάντα συνεστάκοσιν ἀριθμοῖς (1). Et vero in eo consentiunt veteres, quod scripsit Cicero: *Pythagorei ex numeris et Mathematicorum initiis proficisci volunt omnia* (2).

Longissime a Pythagoreorum disciplina recedebat *Eleaticorum* ratio, quibus haud parvus locus in haece disputatione debetur. Nam inventionem artis logicae ad eos referendam esse non est, quod dubitemus (3). Nonnihil tribuitur Xenophani (4), sed inprimis de inventionis laude certant Zeno et Parmenides (5). Sed non nostrum est tantas componere lites, nec ad praesentem quaestionem necessarium; illud apparet philosophos illos magis jam cogitasse de humani ingenii finibus constituendis viribusque explorandis. Videamus igitur, quid effecerint.

Sed antequam antiquorum locos afferamus, monendum est, diligenter nos attendere oportere, utrum in iis universae Sectae an peculiaris alicujus philosophi sententia tradatur. Qua animadversione loca, quae sibi invicem plane pugnare videntur, conciliari posse arbitror (6). Universam igitur Sectae sententiam, ita descripsit Aristocles: *ἄλλοι δ' ἐγένοντο τούτοις τὴν ἐναντίαν φωνὴν ἀφιέντες· οἴονται γὰρ δεῖν τὰς μὲν αἰσθήσεις καὶ τὰς φαντασίας καταβάλλειν, αὐτῷ δὲ μόνον τῷ λόγῳ πιστεύειν. Τοιαῦτα γάρ τινα πρότερον μὲν Ξενοφάνης καὶ Παρμενίδης καὶ Ζήνων καὶ Μέλισσος ἔλεγον* caet. (7). Ad quam sensuum reprehensionem ita eos pervenisse statuunt viri docti, Bayleum secuti (8): Eleatici putabant *τὸ πᾶν εἶναι ἓν καὶ ἀκίνητον* (9): quod cum pugnet cum multis illis mu-

---

(1) Cf. *Sext.* l. l. 94—109.

(2) *Cicero*, *Acad. quaest.* II. 37. Cf. *Sextus* P. H. III, 152 seqq. *adv. Math.* IV, 2 seqq. X, 248 seqq. *Pseudo-Plutarch. de placitis philos.* I, 3. p. 233. *Diog. Laërt.* VIII, 25.

(3) *Buhlius in comm. laud.* pag. 238.

(4) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 14. ibique *Fabricius* not. K. *Aristocles* ap. *Eusebium.* P. E. XI. 510. C.

(5) *Diog. Laërt. Prooem*, 18. idem. IX, 25. ibique *Menagius.* — *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 7 et 193. *Suidas* voce Ζήνων. *Aristocles* ap. *Eusebium* XI. 509. D. *Buhlius* comm. laud. p. 239, 240. *Stäudlin Geschichte und Geist des Scepticismus* pag. 203, 204. *Bayleus*, *Dict. hist. et critique.* art. *Zenon* not. B.

(6) Monui propter Bayleum qui l. l. art. *Xenophane* not. E. cum Aristoclis et Plutarchi locos mox laudandos invicem pugnare videbat, Aristoclem reprehendit ut Xenophanis sententiam minus accurate proponentem. Sed nostra admissa ratione, reprehensio facile dilui potest.

(7) Apud *Eusebium* P. E. lib. XIV. p. 756. B.

(8) *Dict. art. Xenophane* not. B. *Meiners Gesch. der Wiss. in Gr. u. R.* I. 610, seqq. *Buhlius*, *De ortu et progressu Pantheismi* in comm. Soc. Gött. V. p. 162 seq. *Tennemann Grundriss der Geschichte der Philosophie* 979. p. 70. edit. 4. Ab his tamen dissentit *Stäudlin* l. l. p. 180 et 181.

(9) *Plato Theaet.* p. 180. E. *Sophist.* p. 242. D. *Parmenid.* 127. E. 128. A. *Plutarchus adv. Colot.* c.

mutationibus et vicissitudinibus, quas quotidie in rerum natura videmus, nihil relinquebatur, nisi ut has e fallacitate sensuum oriri dicerent. Ita communis Eleaticorum sententia, *in sensibus non esse veritatis judicium, sed in ratione* explicanda esse videtur.

Nunc de singulis hujus sectae philosophis agamus, et si quam habent propriam sententiam exponamus. Et *Xenophanes* quidem cum reliquis in repudiando sensuum testimonio consentit, sed etiam de rationis fide quodammodo dubitasse videtur. Plutarchus: ἀποφαίνεται δὲ καὶ τὰς αἰσθήσεις ψευδεῖς, καὶ καθ' ὅλου σὺν αὐταῖς καὶ αὐτὸν τὸν λόγον διαβάλλει (1). Quatenus vero rationem rejecerit, de eo est aliqua sententiarum discrepantia. Sunt autem haec ipsius Xenophanis verba:

καὶ τὸ μὲν οὖν σαφὲς οὔτις ἀνὴρ ἴδεν, οὐδέ τις ἔσται
εἰδὼς ἀμφὶ θεῶν καὶ ὅσα λέγω περὶ πάντων.
εἰ γὰρ καὶ μάλιστα τύχοι τετελεσμένον εἰπὼν,
αὐτὸς ὅμως οὐκ οἶδε· δόκος δ' ἐπὶ πᾶσι τέτυκται (2).

Hos igitur versus nonnulli sic interpretabantur, ut dicerent, Xenophanem Criterium statuisse τὸν δοξαστὸν λόγον (3): quae interpretatio et cum Plutarchi loco laudato optime convenit, et vero cum alio Xenophanis dicto, quod idem nobis servavit Plutarchus:

ταῦτα δεδοξάσθαι μὲν ἐοικότα τοῖς ἐτύμοισι (4).

Convenit etiam alius Sexti Empirici locus, ubi dixit, secundum Xenophanem, hominem nihil scire posse, sed tantum opinari (5). Quem locum mihi quidem dubium non est, quin ob oculos habuerit Epiphanius: Ξενοφάνης εἶναι τὰ πάντα ἔφη οὐδὲν ἀληθές. Οὕτως τὸ ἀτρεκὲς ἡμῖν ἄδηλον, δόκησις δὲ ἐπὶ πᾶσι τέτυκται μάλιστα δὲ τῶν ἀφανέων (6). Ex his omnibus apparet, hanc fere fuisse Xenophanis sententiam, hominis scientiam magna pro parte esse opinabilem, neque ita certam, ut dubitationi nullus relinquatur locus.

Quamobrem mirandum non est, alios ita philosophi verba accepisse, quasi omne

om-

---

c. 13. p. 239. idem *in Stromat. ap. Eusebium* P. E. I, p. 23. A. C. *Sext. Empir.* P. H. I, 224. *Aristocles ap. Eusebium* P. E. XIV, 756. C. *Origines* in φιλοσοφ. c. 11. *Galenus*, *De hist. philos.* p. 24. F.

(1) *Plutarch. in Strom. ap. Euseb.* P. E. I. 23. B.

(2) Hi versus exstant apud *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 49, 110. VIII, 326. *Plutarchus de audiend. poetis.* p. 39. *Origines* φιλοσοφ. 13. *Diog.* IX, 72. Explicantur a *Füllebornio*, *Beiträge zur Gesch. der Philos.* St. 7. n. 1.

(3) *Sext. Empir. adv. Math.* VII. 110.

(4) *Plutarch. Symp. quaest.* IX. *Quaest.* 14. c. 7. p. 456.

(5) *Adv. Math.* VIII, 326.

(6) *Epiphanius*, *Expos. fidei* tom. I. p. 1087. laud. a *Fabricio ad Sext.* P. H. II, 18. not. B.

omnino criterium veri sustulisset (1): quae tamen ratio recte displicuisse videtur, et ipsi Sexto et Diogeni Laërtio: *φησὶ δὲ Σωτίων πρῶτον αὐτὸν (Ξενοφάνην) εἰπεῖν ἀκατάληπτα εἶναι τὰ πάντα, πλανώμενος* (2). Quae verba quavis alia virtute commendantur, quam perspicuitate: nam duplici modo accipi possunt: si illud *πλανώμενος* refertur ad *πρῶτον*, sensus erit: Sotion errat, cum dicit Xenophanem auctorem fuisse *ἀκαταληψίας*. Sin ad *ἀκατάληπτα*, tum Diogenem negantem habemus, Xenophanem incomprehensibilitatem rerum docuisse: quae posterior ratio mihi, cum Menagio (3) et Bayleo (4) praeferenda videtur. Cum Sotione facit Origenes: *οὗτος* (Xenophanes) *ἔφη πρῶτος ἀκαταληψίαν εἶναι πάντων* (5). Cicero: *Parmenides, Xenophanes minus bonis quamquam versibus, sed iis tamen versibus, increpant arrogantiam eorum, qui cum sciri nihil possit, audeant se scire dicere* (6).

Cum Xenophane conjungamus *Xeniadem Corinthium*, qui vel ante Democritum vel cum Democrito vixit, fuitque adeo diversus a Xeniade illo, qui Diogenem emisse dicitur (7). Non autem ad Eleaticorum sectam pertinuit, nec tacentibus antiquis ad quam pertinuerit sectam definire possumus. Sed ejus sententiam de criterio non ita multum a Xenophanis diversam fuisse auctor est Sextus. *δύναμει*, inquit, *τῆς αὐτῆς ἔχεται τῷ Ξενοφάνει στάσεως* (8). Voluit enim *πάντ' εἶναι ψευδῆ, καὶ πᾶσαν φαντασίαν καὶ δόξαν ψεύδεσθαι, καὶ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος πᾶν τὸ γιγνόμενον γίγνεσθαι καὶ εἰς τὸ μὴ ὂν πᾶν τὸ φθειρόμενον φθείρεσθαι* (9). Illud autem *μὴ ὂν*, ut recte monuit Fabricius (10), non premendum est, sed ita intelligendum, ut aliquid incipiat esse res. quae antea non fuerat. v. c. ex ligno fieri pomum, et rursus ex pomo sanguis vel terra. Igitur Xeniades statuebat, res in perpetua esse mutatione et eatenus ad Heracliti sententiam accedebat, a Xenophanis recedebat, qui ut vidimus omnia immutabilia esse volebat: in sententia de veri judicio cum eo conveniebat, si quidem eos sequamur, qui Xenophanem omne criterium tollere affirmant (11). Haec Sextus, e quodam Democriti libro hausisse se profitetur (1): quo confirmari quodammodo potest, quod de Xeniadis aetate supra posuimus.

Xenophanis discipulus fuit *Parmenides*. Hujus viri opera philosophia mirum quantum

---

(1) *Sext. adv. Math.* VII, 49 — 52. cf. P. H. II, 12.

(2) *Diog.* IX, 20.

(3) *Ad Diogenis* l. l.

(4) *Diction. art. Xenophane* not. E initio.

(5) φιλοσοφουμ. c. 14.

(6) *Academ. Quaest.* II. 33.

(7) Cf. *Menagius ad Diog.* VI, 274. *Fabricius ad Sext.* P. H. II, 28. not. A.

(8) *Adv. Math.* VII, 53.

(9) *Sext. adv. Math.* VII, 53 — 55, 338, 389. VIII. 5.

(10) Ad *Sext. adv. Math.* VII, 53. not. E.

(11) Hancce differentiam Xeniadem inter et Xenophanem attigit jam Picus Mirandulanus in *Exam. vanit. doctr. gentium*, II. c. 3. p. 826. optime explicavit *Krugius*, *Gesch. der Phil. alter Zeit* p. 12. §. not. a.

(1) *Sext. adv. Math.* VII. l. l. Xeniades, οὗ καὶ Δημόκριτος μέμνηται. ibique Fabricius not. D.

tum progressa est. Etenim primus, quod sciamus, cognitionem humanam distinxit ratione habita fontis ex quo oritur, in *rationalem* et *empiricam*. In hac tantummodo est opinio, illius est verum; quod cum recentiores observaverint (1), miror eos fugisse locum Plutarchi, ubi diserte hujus distinctionis mentionem fecit (2): ὁ δὲ (Parmenides) ἀναιρεῖ μὲν οὐδετέραν φύσιν, ἑκατέρᾳ δ' ἀποδιδοὺς τὸ προσῆκον, εἰς μὲν τὴν τοῦ ἑνὸς καὶ ὄντος ἰδέαν τίθεται τὸ νοητὸν, ὂν μὲν ὡς ἀΐδιον καὶ ἄφθαρτον, ἓν δὲ ὁμοιότητι πρὸς αὑτὸ καὶ τῷ μὴ δέχεσθαι διαφορὰν, προςαγορεύσας· εἰς δὲ τὴν ἄτακτον καὶ φερομένην, τὸ αἰσθητὸν· ὧν καὶ κριτήριον ἰδεῖν ἐστιν.

Ἠ μὲν ἀληθείης εὐπειθέος ἀτρεκὲς ἦθορ

τοῦ νοητοῦ καὶ κατὰ ταὐτὰ ἔχοντος ὡςαύτως ἁπτόμενον,

Ἠ δὲ βρότων δόξας, αἷς οὐκ ἔνι πίστις ἀληθὴς,

διὰ τὸ παντοδαπὰς μεταβολὰς καὶ πάθη καὶ ἀνομοιότητας δεχομένοις ὁμιλεῖν πράγμασιν. Ex quo loco explicandus et explendus est Diogenes Laërtius, qui eadem sed non satis diligenter retulit: δίσσην τε (Parmenides) ἔφη εἶναι φιλοσοφίαν, τὴν μὲν κατ' ἀλήθειαν· τὴν δὲ κατὰ δόξαν (3). Optime cum his convenit Sextus: ὅδε γνώριμος αὐτοῦ (Xenophanis) Παρμενίδης, τοῦ μὲν δοξαστοῦ λόγου κατέγνω, φημὶ δὲ τοῦ ἀσθενεῖς ἔχοντος ὑπολήψεις· τὸν δ' ἐπιστημονικὸν, τοῦτ' ἔστι τὸν ἀδιάπτωτον ὑπέθετο κριτήριον, ἀποστὰς καὶ τῆς τῶν αἰσθήσεων πίστεως (4). Recte igitur Diogenes Laërtius: κριτήριον δὲ τὸν λόγον εἶπε, τάς τε αἰσθήσεις μὴ ἀκριβεῖς ὑπάρχειν (5). Minus autem recte Cicero: *Parmenides, Xenophanes minus bonis quamquam versibus, sed tamen illis versibus increpant arrogantiam eorum, qui cum nihil sciri possit, audeant se scire dicere* (6). Quod autem habet Seneca: *Parmenides ait ex his, quae videntur nihil esse in universum* (7), id, dictum etiam a Colote, refutat Plutarchus loco supra laudato.

De *Zenone Eleate*, Parmenidis discipulo, agentes, primum exhibeamus locum Plutarchi, quo ut mihi quidem videtur, nullus aptior ad quaestionem, quae de hocce philosopho est agitata, utrum Scepticus fuerit, an Dogmaticus, explicandam: Ζήνων δὲ ὁ Ἐλεάτης ἴδιον μὲν οὐδὲν ἐξέθετο (scilicet περὶ τῆς τῶν πάντων συστάσεως) διεπόρησε δὲ περὶ τούτων (intell. sententias Xenophanis et Parmenidis) ἐπὶ πλεῖον (8). Ex hacce phiautem dubitandi consuetudine apud alios in Scepticismi suspicionem venit, atque adeo a Galeno inter Scepticos numeratur (1). De quo quid statuendum sit, jam apparet (2). Idem fere statuimus de altera quaestione, num Sophista fuerit Zeno (3). Cum enim illius magna esset in disputando facilitas, ut, quod modo defenderat, statim refutare posset, (4), quid mirum, si ab aliis Sophista habitus fuerit? Accedebat et alia causa. Plutarchus Zenonem descripsit, ut ἐλεγκτικήν τινα καὶ εἰς ἀπορίαν κατακλείουσαν ἐξασκήσαντα ἕξιν (5). Ejusmodi ratio, quam sit apta ad hominum animos exacerbandos, Socratis discimus exemplo. Quidni igitur statuamus, Zenonem, cum multos in colloquendo reprehenderet et ad ἀπορίαν redigeret, ab iis invidioso Sophistae nomine appellatum fuisse? Quod autem ad quaestionem de veri judicio attinet existimem, eum, ut in aliis, sic hac in re, communem Eleaticorum sententiam secutum esse; quin etiam probabile videtur, eum, quae a prioribus de sensuum fallacia dicta erant, novis iisque Dialecticis rationibus confirmasse (6). At dicat aliquis, auctore Seneca (7), *Zeno Eleates omnia negotia de negotio dejecit, ait nihil esse:* nonne sic omnis tollitur cognitio? Respondeo, Bayleum (8), et post eum Stäudlinum (9) egregie ostendisse Zenonem tale quid numquam dixisse, et siquidem dixit, non ex animi sententia hoc fecisse.

---

(1) *Stäudlin* l. l. tom. I. p. 185. *Tennemann Grundriss der Gesch. der Phil.* p. 72. *Krug* l. l. pag. 112.

(2) *Adv. Colot.* c. 13. p. 239, 240. Cf. idem *in Stromat. ap. Eusebium* P. E. I, 23. C. D.

(3) Lib. IX, 22.

(4) *Adv. Math.* VII, 111 — 114. Quo loco insigne fragmentum ex Parmenidis ἔπεσι περὶ φύσεως continetur et explicatur, cum aliis hujus operis fragmentis collectum a *Fülleboruio*, *Beiträge st.* 7. n. 1.

(5) l. l. (6) *Acad. quaest.* II, 23. (7) *Epist.* 88.

(8) *Plutarchus in Stromat. ap. Eusebium* P. E. I, 23. D.

Post Zenonem qui Eleatici nomen tueri posset, unus fuit *Melissus*, isque quod ad quaestionem de veri nota attinet, a reliquis non dissensit (10). Solent autem et alii ad Eleaticorum scholam referri, ut Leucippus et Democritus, sed hi tantum ab Eleatica disciplina recesserunt, ut proprium sibi locum vindicarent. Unam illam de atomis doctrinam si nominavero, qui contradicat, arbitror fore neminem (11). Malim tamen eos cum antiquioribus *Democritios* vel *Democriteos*, quam cum recentioribus *Atomisticos* appellare.

Et *Leucippus* quidem atomorum auctor (12) de veri judicio nihil praeter alios memomoratu dignum statuisse videtur. Tacent certe veteres. Sed eo majorem locum *Democrito* dare possumus, cujus de veri regula sententiam ita retulit Sextus: δύο φησὶ (Democritus) εἶναι γνώσεις, τὴν μὲν διὰ τῶν αἰσθήσεων, τὴν δὲ διὰ τῆς διανοίας· ὧν τὴν μὲν διανοίας γνησίην κατάγει, προςμαρτυρῶν αὐτῇ τὸ πιστὸν εἰς ἀληθείας κρίσιν, τὴν δὲ διὰ τῶν αἰσθήσεων σκοτίην ὀνομάζει, ἀφαιρούμενος αὐτῆς τὸ πρὸς διάγνωσιν τοῦ ἀληθοῦς ἀπλανές. Obscurum igitur non est Democritum *rationem* veri criterium statuisse (1). Caeterum tam acer sensuum reprehensor exstitit, ut postea Scepticis, nullum magnopere contra eos argumentum inveniendum relinqueret; quod et abunde apparet ex fragmentis, quae nobis servavit Sextus, et ab eodem saepius aliis in locis significatur; v. c. nihil, inquit, Democritus in sensibus ponebat, nisi opinionem, verum tantummodo in atomis et vacuo (2). Sed in hac ipsa sensuum reprehensione, nonnunquam ejusmodi ei exciderunt, quibus omnem omnino cognitionem humanam tollere videretur. Sextus Empiricus, postquam retulerat ejusmodi Democriti dictum: καίτοι δῆλον ἔσται ὅτι ἐτεῇ οἷον ἕκαστον γινώσκειν ἐν ἀπόρῳ ἐστιν: hancce addidit animadversionem καὶ δὴ ἐν μὲν τούτοις πᾶσαν σχεδὸν κινεῖ κατάληψιν καὶ μόνον ἐξαιρέτως καθάπτεται τῶν αἰσθήσεων (3). Secundum hanc Sexti animadversionem accipienda sunt et alia Democriti dicta, v. c. ἐν βύθῳ ἡ ἀλήθεια: non autem cum Cicerone aliisque (4) ita interpretanda sunt, quasi ad omne veri judicium tollendum pertinerent (5). Eadem Democrito Scepticismi suspicio venit ex eo, quod τῶν πραγμάτων ἕκαστον οὐ μᾶλλον τοῖον ἢ τοῖον εἶναι dixerit (6). Fuerunt igitur, qui illud οὐ μᾶλλον Scepticam vocem esse arbitrarentur: sed eam aliter a Democrito, aliter a Scepticis adhiberi ostendit Sextus: ἐκεῖνοι (οἱ ἀπὸ Δημοκρίτου) μὲν γὰρ ἐπὶ τοῦ μηδέτερον εἶναι τάττουσι τὴν φωνὴν· ἡμεῖς δὲ ἐπὶ τοῦ ἀγνοεῖν πότερον ἀμφότερα ἢ οὐδ' ἕτερόν τί ἐστι τῶν φαινομένων (7). Colotes, qui ex hocce dicto Democritum existimabat, sublato veri criterio, *τὸν βίον συγκεχυκέναι*, optime refutatur a Plutarcho argumentis, quae dicuntur ad hominem (1).

---

(1) *De hist. phil.* tom. II, 24. F.

(2) Hancce quaestionem suo quisque modo tractarunt *Stäudlin* l. l. p. 215., 216. et *Tiedemannus* in peculiari dissertatione: *Utrum Scepticus fuerit an Dogmaticus Zeno Eleates?* in Nova bibl. phil. et crit. vol. I. fasc. II.

(3) Sophistam eum fuisse dicunt *Bayleus* Dict. art. Zenon. *Meiners Geschichte der Wissenschaften in Gr. R.* I. 710. f. Cf. *Stäudlin* l. l. I. p. 204 seqq.

(4) Hinc Plato eum Ἐλεατικὸν Παλαμήδην vocavit, *Phaedro* 251, D.

(5) Vita *Periclis* c. 3. p. 154.

(6) *Stäudlin* l. l. p. 209.

(7) *Epist.* 88.

(8) *Dict. art. Zenon* not. D. Δ.

(9) l. l. pag. 208.

(10) Vid. *Aristocles* apud *Eusebium* P. E. XV. p. 757. B. C.

(11) Vid. *Krug Gesch. der Phil. alter Zeit* p. 110. not. b. et pag. 123.

(12) Posidonius atomorum inventionem refert ad Moscho sive Moschum Sidonium cf. vir Cl. *J. Bake*, *de Posidonio* pag 177 et 178, quem si inspexissent *Krugius*, *Geschichte der Phil. alter Zeit* pag. 55. et *Tennemann*, *Gesch. der Phil.* p. 50. multo accuratius hanc rem referre potuissent.

---

(1) *Sext. Empir. adv. Math.* 138, 139.

(2) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 135—137. Quo loco, ut bene monuit *Krugius*, *Geschichte der Phil.* p. 141, νόμος non *lex* sed *opinio* verti debet. Porro cff. ejusdem libri §. 368. P. H. I. 214. *adv. Math.* VI, 53, VIII, 6, 180. *Diog. Laërt.* IX, 44. Ex vehementi hac sensuum reprehensione, nata est sine dubio illa fabula Democritum se ipsum oculis privasse propter ipsorum pravitatem: quod narrat *Aul. Gellius* N. A. X, 17: falsum esse pronuntiat *Plutarchus de curiositate* c. XII. pag. 393: veluti dubitans retulit *Cicero*, *de Finibus*, V, 29.

(3) *Sext. adv. Math.* VII, 137.

(4) Cf. *Cicero Acad. Quaest.* I, 13. II, 5, 23. *Seneca* ep. 88. *Diog. Laërt.* IX, 73.

(5) Recte jam *Picus Mirandulanus. Exam. vanit. doctr. gentium* II, 11. p. 839.: „illud certe omnibus fere „notum eruditis et multis proditum locis de Heraclito et Democrito quod alter in profundo antro, alter in puteo ja„cere veritatem affirmaverit, quasi aenigmate insinuatum vellent, haberi quidem veritatem posse, sed magno cum „labore."

(6) *Plut. adv. Colot.* c. 4 et 5. p. 226—228.

(7) *Sext.* P. H. I. 213. Cf. *Diog. Laërt.* IX, 75. qui quatuor modis hancce vocem usurpari posse ostendit 1. θετικῶς. 2. ἀναιρετικῶς, ut Democritus faciebat. 3. θετικῶς καὶ ἀναιρετικῶς. 4. ἀναιρετικῶς καὶ θετικῶς, quod erat Scepticorum.

Superest ut Diotimi rationem afferamus, qui putabat Democritum tria statuisse criteria: *τῆς μὲν τῶν ἀδήλων καταλήψεως τὰ φαινόμενα, ὥς φησιν Ἀναξάνορας, ὃν ἐπὶ τούτῳ Δημόκριτος ἐπαινεῖ· ζητήσεως δὲ τὴν ἔννοιαν, περὶ παντὸς γάρ, ὦ παῖ, μία ἀρχὴ τὸ εἰδέναι περὶ ὅτου ἔστιν ἡ ζήτησις· αἱρέσεως δὲ καὶ φυγῆς τὰ πάθη, τὸ μὲν γὰρ ᾧ προσοικειούμεθα, τοῦτο αἱρετόν ἐστιν, τὸ δὲ ᾧ προσαλλοτριούμεθα, τοῦτο φευκτόν ἐστιν* (2).

Et *Metrodorus Chius*, Democriti discipulus vel ut alii Nessi (3), inter eos refertur a Sexto, qui veri judicium prorsus tollebant (4), propter ejusmodi dictum: *οὐδὲν ἴσμεν, οὐδὲ αὐτὸ τοῦτο ἴσμεν, ὅτι οὐδὲν ἴσμεν* (5). Idem habent Diogenes Laërtius l. l. et Cicero (6); Eusebius addidit Pyrrhonem ex hocce dicto ansam arripuisse de omnibus dubitandi (7). Cum hocce, ut animadverterunt Bayleus (8) et Krugius (9) repugnat id, quod veteres tradunt, Metrodorum de rerum principiis idem statuisse, quod Democritus et Πλῆρες et Κενὸν adscivisse (10). Magis etiam repugnat id, quod apud Eusebium Aristocles refert, quodque a Bayleo et Krugio neglectum esse miror, Metrodorum cum Protagora sensibus fidem tribuisse (11).

Metrodori auditor fuit *Anaxarchus*, Alexandri M. amicus, Pyrrhonis magister (12). Et hunc criterium sustulisse affirmat Sextus (13), quia *σκιαγραφίᾳ* (14) *ἀπείκασε τὰ ὄντα*.

Sequatur jam *Heraclitus*, qui temporum ratione habita priori loco ponendus erat; sed, cum neque ad Eleaticos, neque ad Democriteos pertinere videretur, ejus sententiam separatim explicandam esse duximus. Heraclitus igitur cum aliis in repudiando sensuum testimonio, consensit: *κακοὶ μάρτυρες*, inquit, *ἀνθρώποισιν ὀφθαλμοὶ, καὶ ὦτα βαρβάρους ψυχὰς ἐχόντων* Veri judicem facit *τὸν λόγον, οὐ τὸν ὁποῖον δήποτε, ἀλλὰ τὸν κοινὸν καὶ θεῖον*. Sed quis est ille *θεῖος λόγος*? Id ex reliquis viri placitis explicandum est. Nam *διάνοιαν* sive mentem extra corpus posuit, eamque vocavit *τὸ περιέχον ἡμᾶς λογικόν τε ὂν καὶ φρενῆρες*. Hancce autem externam *διάνοιαν* interna mens (*ὁ ἐν ἡμῖν νοῦς*) attrahit *δι' ἀναπνοῆς*. Quo facto intelligimus. Ita existit *θεῖος* ille *λόγος* qui tum demum criterium veri putandus est cum sit *κοινὸς* h. e. cum omnes eum homines communem habeant (1). Vidimus jam de aliis philosophis, qui sensuum reprehensione Scepticismum praeparaverant, ideoque a posterioribus inter Scepticos sunt relati: idem Heraclito evenit (2). Et revera in eo magna erat ad Scepticismum proclivio, et ejus philosophandi ratio a Scepticorum haud longe recedebat. Statuebat v. c. *τὰ ἐναντία ὑπάρχειν περὶ τὸ αὐτὸ*· cum igitur Sceptici quam maxime hoc evincere conentur, *τὰ ἐναντία φαίνεσθαι περὶ τὸ αὐτὸ*, Aenesidemus Scepticismum quasi viam ad Heracliti philosophiam esse pronunciavit, quamobrem reprehenditur a Sexto (3). Sed de Aenesidemi cum Heraclitea philosophia conjunctione infra dicemus. Eadem Heracliti Sceptica ratio cernitur etiam in pervulgato illo placito: *πάντα ῥεῖν ποταμοῦ δίκην* (4): quod nascentem jam scepticismum dici vix potest quantum corroboraverit, ut videbimus, cum de Protagora dicemus (5).

---

(1) *Plut. adv. Colot.* l. l. Cf. *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 389.

(2) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 140.

(3) *Diog. lib.* IX, 58.

(4) *Sext. adv. Math.* VII, 48.

(5) *Sext.* l. l. §. 88. *Diog.* l. l.

(6) *Acad. quaest.* II, 23.

(7) P. E. XIV, 763. D.

(8) *Dict. art. Metrodore* not. A.

(9) l. l. p. 142. not. a.

(10) *Bayleus* et *Krugius* l. l. laudant *Aristoclem* apud *Eusebium* P. E. XIV, 765 D. *Simplicium in Phys. Aristotel.*: quibus addantur *Plutarchus in Stromat.* apud *Eusebium* P. E. I, 24. D. *Pseudo-Plutarchus de plac. philosoph.* I, 5. p. 239.

(11) P. E. XIV, 766. C.

(12) *Diog. Laërt.* IX, 58—60. Praeterea de eo conferri possunt *Cicero*, *Tusc.* II, 21 ibique *Davisius*. *De nat. Deorum* III, 33.

(13) *adv. Math.* VII. 41 et 88.

(14) Ita in *Sexti* l. l. cum Gatakero ad M. Antoninum legendum videtur non *σκιογραφίᾳ* ut voluit Fabricius cf. hujus nota G. Cf. *Platonis Theaet.* p. 208 E. *De Republ.* X. 602. C, D. *Parmenid.* p. 165 C.

Sophistarum leve et inane philosophandi genus recte a veteribus, inprimis Platone, reprehenditur. Quamvis negari nequit, Platonem cupidius hoc fecisse, quam verius. Nam eloquentiae, ingenii et doctrinae laus omnino illis tribuenda est (6). Causae cur ejusmodi philosophandi ratio hominum animos occuparet, potissimum positae sunt tum in divitiis, quibus pleraeque Graeciae civitates affluebant, et in luxuria morumque pravitate, quae inde oriebantur, tum in democratica regiminis forma (7). Quantum vero a Sophistis effectum sit ad Scepticismum procreandum, jam apparet ex communi illa professione contra omnia disputandi: quae professio hac fere formula continebatur *τὸν ἥττω λόγον κρεῖττον ποιεῖν* (8). Huc referebant inventam ab Eleaticis Dialeclecticam, eamque auxerunt futilibus argumentandi generibus, quae ab auctoribus Sophismatum nomen invenerunt (1). Prae caeteris hoc loco nobis memorandus est *Gorgias Leontinus*, cujus apud Aristotelem (2) et Sextum (3) ejusmodi servata est disputatio, qua omne veri judicium penitus tollitur. Exstitit autem in libro Gorgiae Περὶ τοῦ μὴ ὄντος, ἢ περὶ Φύσεως et tribus continebatur capitibus. Ἓν μὲν καὶ πρῶτον ὅτι οὐδέν ἐστι· δεύτερον, ὅτι εἰ καί ἐστιν, ἀλλ' ἀκατάληπτον ἀνθρώπῳ· τρίτον, εἰ καὶ καταληπτον ἀλλὰ τοίγε ἀνεξοιστὸν καὶ ἀνερμηνευτὸν τῷ πέλας (4). Argumenta, quibus hoc efficere conabatur, extremis quasi punctis notasse sufficiat. I°. *Nihil est:* nam si quid est aut ὂν est, aut μὴ ὄν, aut utrumque: atqui nihil horum est: ergo nihil est (5). II°. *Etiamsi quid sit, tamen comprehendi non potest.* Nam si comprehendi posset, tum cogitationes nostrae aut cum rebus cogitatis convenire, aut ipsae res cogitatae esse deberent: atqui neutrum fieri potest: caet. (6). III°. *Si vel maxime comprehendi possit, tamen aliis enunciari nequit.* Nam si aliis posset enunciari, tum sermonem nostrum res ipsas efficere oporteret, certe in variis subjectis easdem cogitationes excitare (7). In hacce disputatione, quod animadvertere operae pretium est, primam videmus distinctionem factam inter cogitationem, cogitandi objectum et cogitandi signum (8). Apparet etiam judicium veri a Gorgia plane sublatum esse; quod confirmatur iis, quae contra sensuum fidem et intellectus auctoritatem ab ipso dicta leguntur apud Sextum (9).

---

(1) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 126—134, 349. VIII, 286. *Pseudo-Plutarchus de plac. phil.* IV, 3. p. 282. Ad sensuum reprehensionem pertinuisse videtur illud Heracliti dictum *πάντα εἶναι καὶ μὴ εἶναι*. *Sext.* P. H. II, 53. Neque audiendus est Aristoteles qui Metaph. IV. 7. illud dictum significare ait, *omnia esse vera*. Cf. Krugius l. l. p. 128. not. C.

(2) *Diog. Laërt.* IX, 73.

(3) *Sext.* P. H. I, 210—212.

(4) *Diog. Laërt.* IX, 8. *Sext. Empir.* P. H. III, 115. *Pseudo-Plutarchus de plac. phil.* I, 23. p. 252. *Seneca*, Epist. 58. *Plato Theaet.* p. 152 D. coll. 281. A. *Cratyl.* 402. *?*. Cf. *Wyttenbachius ad Plut. de S. N. V.* p. 76.

(5) De Heraclito, e recentioribus cf. potest *Meiners*, *Grundriss der Geschichte der Weltweisheit*, p. 50. *Stäudlin*, l. l. p. 187—192.

(6) Cf. *Ständlin*, l. l. p. 223 sqq.

(7) Cf. *Meiners*, *Geschichte der Wiss. in Gr. u. R.* II. 1—127. De Sophistarum philosophandi ac docendi ratione. cf. potest *De Geer Diatribe in Politices Platonicae principia* p. 4—33.

(8) *Plato Apol. Socrat.* p. 19. B. *Aristophanes Nub.* vs. 111—114.

Cum Gorgia conjungamus *Protagoram*, qui licet haud minus, quam reliqui a Platone reprehenditur, tamen majori quam isti fuisse videtur modestia et accuratius in rebus explorandis versabatur (10). Hujus autem viri quanta in universum ad Scepticismum proclivio fuerit, abunde apparet ex iis, quae de Diis scripsit: περὶ μὲν θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι, εἴθ' ὡς εἰσίν, εἴθ' ὡς οὐκ εἰσίν. Πολλὰ γὰρ τὰ κωλύοντα εἰδέναι, ἥ τε ἀδηλοτης καὶ βραχὺς ὢν ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου (11). Praeterea primus illud παντὶ λόγῳ λογον ἴσον ἀντικεῖσθαι in philosophiam invexit (12), quod postea Scepticismi fuit principium (ἀρ-

---

(1) Cf. *Stäudlin*, l. l. p. 220 et 225.

(2) Cf. *De Xenoph. Zenone et Gorgia* c. 5, 6.

(3) *Sext. ad. Math.* VII 56—86.

(4) Cf. *Sext.* l. l. §. 65. P. H. II. 59.

(5) *Sext. adv. Math.* l. l. §. 66—76.

(6) *Sext.* l. l. §. 77—82

(7) *Sext.* l. l. §. 83—86.

(8) Cf. *Krug*, l. l. p. 147. not. e.

(9) P. H. II, 57—64.

(10) Cf. *Stäudlin*, l. l. p. 226.

(11) *Diog. Laërt.* IX, p. 51. Plato Theaet. 262. D. E. *Sext. Empir. adv. Math.* IX, 56 et apud eundem *Timon Phliasius* l. l. §. 57. *Eusebius* P. E. XIV, 776. A. *Cicero de Nat. Deorum* I, 12, 23. *Suidas* voce Πρωταγόρας. *Philostratus* auctor est, Protagoram hocce ex Persarum disciplina sumsisse. *Vitis Sophistarum* p. 498. ed. Morellii. 2°. 1608.

(12) *Diog. Laërt.* IX, 51. ibique *Menagius* p. 243. f.

(*ἀρχὴ συστάσεως*) (1). Ex his jam conjici licet qualis ipsius de vero ejusque judicio fuerit sententia, quam prodidit in libro, cui titulum fecit, *Ἀλήθεια* (2). Sequebatur nempe Heraclitum, et omnia fluere existimabat, sed praeterea addebat: sensus nostros ad hanc se rerum mutationem ita accommodare, ut semper et in quibusvis temporibus cum iis convenirent. Itaque *πάντων χρημάτων*, inquit, *μέτρον ἄνθρωπος, τῶν μὲν ὄντων ὡς ἐστὶ, τῶν δὲ μὴ ὄντων, ὡς οὐκ ἐστίν.* Haec fere fuit Protagorae ratio, qua omne omnino veri judicium tolli, manifestum est. Nam secundum eam, omnes opiniones sunt verae, omnesque phantasiae. Quo sequitur, *veritatem* non esse *per se*, sed *ex iis, quae referuntur ad aliquid* (*τῶν πρός τι*) (3). Atque hoc ipsum erat, quod Sceptici pedibus, ut ajunt, manibusque evincere conabantur, ut rerum fidem veritatemque frangerent.

Sequantur *Euthydemus* et *Dionysodorus*, fratres Thurii celebres Sophistae, qui haud parvam operam dialecticis dederunt studiis (4). Hos Sextus auctor est, eandem habuisse ac Protagoram sententiam, et *omnia referri ad aliquid* statuisse (5). Sed hac in re Sexto fidem non habendam esse verosimile est. Nam ipse hoc veluti dubitans retulit: *τοιοῦτοι δὲ γεγονέναι λέγονται καὶ οἱ περὶ Εὐθύδημον καὶ Διονυσόδωρον* (6). Praeterea Plato, qui in eo, ut illis Sophistis aetate proximus majorem quam Sextus habet auctoritatem, Plato igitur in Cratylo diserte Protagorae et Euthydemo diversas sententias tribuit: illi quam recensuimus (7), Euthydemo hanc: *πᾶσι πάντα ὁμοίως εἶναι ἅμα καὶ ἀεί* (8). Haec propter Sextum monui, aliter Euthydemi mentionem non fecissem. Nam ejusmodi fuit Sophista, qui omnia defendenda vel refutanda arriperet, modo gloriam adipisceretur et lucrum. Quod tum ex modo laudato ipsius Sophismate, tum ex alio: *πάντα καὶ ἀεὶ ἕκαστον ἐπίστασθαι* (9): abunde cognosci potest. Multum hac in re differt a Protagora qui magis philosopham rationem sequebatur.

Sophistarum disputationes, licet quam maxime fuerint perniciosae, tamen philosophiae magno fuerunt bono, cum *Socratem* excitarent, qui optimam philophandi rationem induxit, ad communem hominum captum magis accommodatam. Hic igitur praecipue moralem philosophiae partem tractavit (1). Quamvis dialecticae amplificandae nullam certe exiguam navavit operam, tamen disputationes suas ad dialecticam rationem direxit (2). Hujus viri disserendi ratio quodammodo fuit Sceptica, frequenterque usurpabat illud *se nihil scire* (3). In quo solita ipsius cernitur *εἰρωνεία*, ut bene apud Ciceronem Lucullus monuit (4). Minime igitur is fuit qui veri criterium tolleret quamvis neque disertis verbis poneret. Hinc explicandum esse videtur, quod nusquam a Sexto in tota illa de criterio disputatione memoratur.

---

(1) Cf. *Sext. Emp.* P. H I, 12. §. 202, 205.

(2) Cf. *Plato Theaet.* p. 161 C. ibique Schol. *Plato* ibid. p. 171. C. *Cratyl.* 386. C.

(3) In Protagorae sententia explicanda secuti sumus *Sextum Empiricum* P. H. I, 216—219. *Adv. Math.* VII. 59—64 collatis 369—388. *Platonem*, qui in *Theaeteto* primum Protagotae sententiam non modo proposuit, sed etiam accurate defendit p. 151. E — 160. E, deinde eam subtilissime refutavit p. 161—186 E. Videndus quoque *Aristocles*, qui et Protagorae sententiam retulit, et Platonis contra eum disputationem excerpsit apud *Eusebium* P. E. XIV. 766. C. — 768 C. Cf. denique *Diog. Laërt.* X, 51. Cicero Acad. II. 46.

(4) *Sext. Empir. adv. Math.* VIII, 13. De ipsorum rebus cf. *Plato Euthyd.* p. 271. E.

(5) *Adv. Math.* VII, 48, 64.

(6) l. l.

(7) *Cratyl.* p. 385. E.

(8) *Cratyl.* p. 386. D.

(9) *Plato in Euthyd.* p. 294 E. seqq.

Idem dicendum est de germanis Socratis discipulis, qui magistri rationem constanter tenuerunt, Xenophonte, Simmia, aliis. Illud animadversione dignissimum est, exstitisse ipsorum libros, in quibus de veri judicio agere potuerunt. Sic Critonis libri memorantur: *Περὶ τοῦ μαθεῖν*, *Περὶ τοῦ γνῶναι*, et *Περὶ ἐπιστήμης*, *τί τὸ ἐπίστασθαι* (5). Simonis coriarii, *Περὶ ἐπιστήμης*, *Περὶ κρίσεως*, *Περὶ τοῦ διαλέγεσθαι* (6). Simmias Thebanus inter alia etiam scripsit *Περὶ λογισμοῦ* et *ἀληθείας* (7).

Major locus debetur *Euclidi Megareo* a quo *Megarici* sunt dicti, qui postea vocati sunt *Eristici*, deinde *Dialectici* (8). Hic ita a Socratis ratione deflexit ut Eleaticos inprimis Parmenidem sequeretur. Diog. Laërt. *οὗτος*, inquit, *καὶ τὰ Παρμενίδεια μετεχείριζετο* (9). Hinc factum est ut veteres saepius Eleaticos et Megaricos confunderent (10). Itaque et Aristocles eandem utrisque de veri judicio sententiam tribuit: *τοιαῦτα·* (non sensibus sed rationi esse credendum) *γάρ τινα πρότερον μὲν Ξενοφάνης καὶ Παρμενίδης καὶ Ζήνων καὶ Μέλισσος ἔλεγον· ὕστερον δ' οἱ περὶ Στίλπωνα καὶ τοὺς Μεγαρικούς* (11). Cicero qui, omnes qui sensuum auctoritatem negabant, ut Xenophanem, Empedoclem, alios in Acatalepticorum numerum refert, his etiam addidit Megaricos: *habeo molestos vobis sed minutos, Stilponem Diodorum, Alexinum, quorum sunt aculeata quaedam Sophismata: sic enim appellantur fallaces conclusiunculae* (12).

---

(1) *Xenoph. Memorab.* I. cap. 1. §. 11 seqq. ed. *Schneid.* aliisque locis. *Sext. Empir.* adv. *Math.* lib. VII. §. 7, 10. *Cic. in Bruto*, 8. *Tusc.* III. c. 4. V, 3, 4.

(2) *Xenoph. Memorab.* IV, 6. *Arrian. Dissert. Epict.* I. 17. lin. 12. Ed. *Schweig.*

(3) Apud *Xenophontem* et *Platonem* singulis fere paginis. *Cic. Acad. Quaest.* I. 4. *Plutarch. adv. Colot.* c. 18. p. 246. *Numenius apud Euseb.* P. E. XIV. p. 728. B. C.

(4) *Acad. Quaest.* II. 5.

(5) *Diog. Laërt.* II, 121. postrema verba retuli ex Casauboni emendatione. *Suidas* voce Κρίτων.

(6) *Diog. Laërt.* II, 123.

(7) *Diog. Laërt.* II, 124.

(8) *Diog. Laërt.* II, 106.

(9) Idem ibid.

(10) *Cic. Acad. quaest.* lib. II, 42. quo loco adhibeatur *Aristocles apud Euseb.* P. E. XI, 510. C.

(11) Apud *Euseb.* P. E. XIV, 756. C.

(12) *Acad. quaest.* II, 24. H. l. illud *minutos* non ad universam Megaricorum reprehensionem pertinet, sed ad ip-

Eodem modo accipiendus est Seneca: *circa eadem*, inquit, *fere Pyrrhonii versantur et* Megarici *et Eretrici et Academici, qui novam induxerunt scientiam nihil scire* (1). Haec igitur illi de veri judicio. Quod autem Sextus in VII. adv. Math. libro nullam Megaricorum mentionem fecit, id communi illo veterum errori, quo Megaricos et Eleaticos eosdem esse existimabant, tribuendum esse videtur.

Caeterum Megaricorum philosophandi ratio si qua alia, scepticismum praeparavit; quin etiam ejusmodi ipsorum memorantur sophismata, quae omni veritati interitum minantur. Qua de re paucis dicendum est.

Spinosum sequebantur et aculeatum disserendi genus; brevibus utebantur conclusiunculis quibus adversarios retunderent (2). Quam fuerint ligitiosi facile conjici potest ex eo quod de Euclide habet Diogenes: ταῖς ἀποδείξεσιν ἐνίστατο, οὐ κατὰ λήμματα, ἀλλὰ κατ' ἐπιφοράν (3). Quod recte ita explicavit Gassendus: *Euclides quidem solitus est aliorum demonstrationes, non sumtionibus impugnare sed conclusionibus duntaxat, quasi consecutiones forent satis perspicuae* (4). Hoc loco nobis memorandi sunt, isti ἐρωτήσεως λόγοι, quos multos invenerunt Megarici v. c. τὸν ψευδόμενον, διαλανθάνοντα, Ἤλεκτραν, ἐγκεκαλυμμένον, σωρείτην, κερατίνην, φαλακρόν (5). Recte igitur miratur Buhlius istiusmodi litigatores ex modesta Socratis disciplina profectos esse (6). Illud minus mirandum est ejusmodi rationem, sponte ad scepticam ducere dubitationem (7). Hinc factum est, *ut in hoc ipso quod in elementis dialectici docent, quomodo judicare oporteat, verum falsumne sit, si quid ita connexum est, ut hoc: si dies est, lucet — tanta esset inter eos contentio* (8). Ajebat *Philo*, negabat *Diodorus* (9). Hinc factum est, ut *Stilpo* τὰ εἴδη tolleret (10), et ἕτερον ἑτέρου μὴ κατηγορεῖσθαι (11) statueret. Quae sane placita omni dialecticae vim inferunt (12).

Alius

---

ipsorum subtilem disputandi rationem. Quod patet ex loco Giceronis quem supra laudavimus, ubi *de nobili Megaricorum disciplina* loquitur.

(1) *Epist.* 88.

(2) *Cic.* l. l.

(3) *Cic.* II. 59. D.

(4) *Operum.* tom. I. p. 35. cf. *Bayleus. Dict.* Art. *Euclide* not. C.

(5) Horum inventio tribuitur Eubulidi: cf. *Diog. Laërt.* II, 108. *Sext. adv. Math.* VII. §. 13. Alii τὸν ἐγκεκαλυμμένον et τὸν κερατίνην referunt ad Diodorum. *Diog.* II, 111. Caeterum cff. *Cic. Acad. quaest.* II, 16, 29, 30. *De divin.* II, 4. *Seneca Epist.* 45. *Lucian. in vitarum auctione* c. 22. p. 308. ed. Tauchn. *Aul. Gell.* lib. XVI, 2. *Menagius ad Diog. Laërt.* l. l. p. 74. *Gassend.* l. l.

(6) *Comment. laud.* p. 234 seq.

(7) Hoc egregie demonstravit Bayleus. *Dict. art. Euclide* not. E. art. *Ghrysippe* not. E, T, Q.

(8) *Cic. Acad. quaest.* II, 47.

(9) Cf. *Sext. Empir.* P. H. II. §. 110. *adv. Math.* VIII. 112 — 117.

(10) *Diog. Laërt.* II, 119.

(11) *Plutarch. adv. Colot.* c. 22. p. 251.

(12) Haec Stilponis effata egregie explicuerunt *Bayleus, Dict. art. Stilpon.* not. H. *Stäudlin*, l. l. p. 244 - 246.

Alius Socratis auditor, qui a magistri ratione deflexit, fuit *Aristippus*, auctor sectae Cyrenaicae. Hic magno cum amore voluptatis ad Socratis disciplinam venit (1). Quod dici vix potest, quantam vim habuerit ad ipsius doctrinam informandam. Eatenus magistri rationem sequebatur, quatenus Ethicae philosophiae plurimum tribuebat; Dialecticae tantum, quantum ad disserendi usum sufficiebat; Physicae nihil (2). Caeterum omnia ad *πάθη* referebat: horum tria faciebat genera: jucunda, quorum finis voluptas; molesta, quorum finis dolor; media, quorum finis nec bonum nec malum (3). Haecce *πάθη* sola statuebat esse *κατάληπτα* et *ἀδιάψευστα*, non res a quibus oriebantur, in iisque et vitae regendae normam et veri judicium posuit (4). Sed si laudatos locos accurate inspexerimus, statim videbimus secundum hanc rationem veri criterium fere tolli, et ista *πάθη* ad nihil aliud apta esse, nisi ad vitam regendam (5). Minime igitur mirandum est, fuisse jam antiquitus, qui Cyrenaicos et Scepticos eosdem esse existimarent; sed simul apparet, qualis inter eos fuerit differentia, utrisque veri judicium tollentibus, sed his *τὸ φαινόμενον*, illis *τὰ πάθη* in vita sequentibus. Alias etiam inter eos differentias notavit Sextus: *prima* in finium doctrina est posita, nam Cyrenaici *τὴν ἡδονὴν*, Sceptici *τὴν ἀταραξίαν* finem esse voluerunt: *altera* ad hoc ipsum, de quo agimus, incomprehensibilitatis placitum pertinet: *ἡμεῖς* (Sceptici) *μὲν*, inquit, Sextus, *ἐπέχομεν ὅσον ἐπὶ τῷ λόγῳ περὶ τῶν ἐκτὸς ὑποκειμένων· οἱ δὲ Κυρηναϊκοὶ ἀποφαίνονται φύσιν αὐτὰ ἔχειν ἀκατάληπτον* (6). Superest, ut Diogenis locum afferamus eumque cum iis, quae dicta sunt, in concordiam redigamus. Cyrenaici, inquit, *ἀνῄρουν καὶ τὰς αἰσθήσεις, ὡς οὐκ ἀκριβούσας τὴν ἐπίγνωσιν* (7). Hoc autem non de ipsis sensibus, quatenus *παθέων* sunt causae, intelligendum est, sed de opinione et judicio ex eorum perceptione ferendo, ut recte monuit Fabricius (8).

Talis ergo fuit Cyrenaicorum sententia de veri judicio, quam omnes Aristippi successores, licet in reliqua ipsius doctrina quaedam novarent, constanter tenuisse videntur (9).

Ex Socratis schola quoque prodiit Antisthenes, auctor Cynicorum. His, ut per se patet, nullus fere in hac disputatione locus esse potest. Unus *Monimus* a Sexto inter eos, qui criterium veri sustulerunt, refertur, propterea quod, ut Anaxarchus, *σκιαγραφίᾳ ἀπείκασε τὰ ὄντα* (1). Aliud etiam ejus dictum memoratur: *τύφον* h. e. opinionem esse omnia (2). Haec sane ostendunt, adfuisse in Monimi mente semina quaedam Scepticismi.

---

(1) *Xenoph. Memor.* II. cap. I. III, 8. *Diog. Laërt.* II, 66.

(2) Cf. *Sext. Emp. adv. Math.* VII. 11. 15. *Diog. Laërt.* II, 92.

(3) *Sext. adv. Math.* VII. §. 99.

(4) *Sext. Emp. adv. Math.* VI, 53. VII, 190 — 198. *Aristocles* apud *Euseb.* P. E. XIV. p. 764 C. — 765. C. *Diog. Laërt.* II, 92. *Cic. Acad. quaest.* VII, 24, 46. *Plut. adv. Colot.* cap. 14. p. 252.

(5) Cf. *Gassend. Oper.* I. p. 72.

(6) *Sext. Emp.* P. H. I, 225.

(7) *Diog. Laërt.* II, 95.

(8) Ad *Sextum Emp. adv. Math.* VII, 191. not. R.

(9) Hos diligenter recensuit *Diog. Laërt.* II, 85, 86.

Venio jam ad *Platonem*, non modo reliquorum Socraticorum, sed omnium philosophorum facile principem. Hujus viri cum tantum esset nomen tantaque auctoritas, mirandam non est, varios antiquitus philosophos vehementer studuisse, ut eum suae fuisse opinionis evincerent. Hinc illa quaestio, utrum Dogmaticus fuerit an Scepticus Plato. Fuerunt tamen alii, inter quos ii, quibus hujus rei notitiam debemus, qui Platonem in aliis Sceptice, in aliis Dogmatice pronuntiasse statuerent (3). Recte illi et vere. Efficiunt autem id, quod volunt, exemplis ex Platonis doctrina afferendis, sed causam, cur Plato ita fecerit, animadvertere supersederunt. Platonis philosophia nihil aliud est nisi veri studium: hinc perfectus philosophus ab eo definitur *ὁ τοῦ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ὡσαύτως ἔχοντος δυνάμενος ἐφάπτεσθαι* (4). Ex hocce veri quaerendi instituto, nonne sponte sequebatur id, quod in Platonis scriptis reperimus, nunc Sceptica cautio, ne quid temere affirmetur, nunc Dogmatica *συγκάθεσις*? Praeterea ex hoc ipso discimus, Platonem de vero non cum Scepticis sensisse. Qui enim philosophiam veri esse studium voluit, in eoque studio totam vitam consumsit, quomodo hic de veri existentia vel comprehensibilitate dubitare potuit? Si igitur explicuerimus, quanam in re veritatem poneret et quibus quasi instrumentis eam assequi conaretur, quaestioni nostrae satisfactum erit, et Platonis de veri judicio sententiam habebimus.

Plato igitur tria rerum principia statuit: *Deum* et *materiam*, quibus adjungantur *ideae*, menti divinae adhaerentes, secundum quas Deus materiam informavit (5). Res autem e materia effectae, quas sensibus percipimus (*τὰ αἰσθητὰ*), quemadmodum ipsa materia, sunt mutabiles, ut potius *γίγνεσθαι* quam *εἶναι* dici possint. Haec ex Heracliti doctrina sunt petita. Cum igitur sensus nostri illis mutationibus fallantur, et unam eandemque rem variis percipiant modis, consentaneum erat, ut hi a veritatis judicio ex-

---

(1) *Sext. Emp. ad Math.* VII, 88.

(2) *Sext.* l. l. 35. — *Menander* apud *Diog. Laërt.* lib. VI, 83. Conferri quoque potest *Marcus Anton.* II, 15. quem ad laud. Sexti locum citat *Fabricius.* not. M.

(3) *Sext. Emp.* P. H. I, 221 — 225. *Diog. Laërt.* lib. III, 51, 52. IX, 72. *Cic. Acad. quaest.* I. 13. V. 3. *August. contra Academ.* III, 17. p. 453. a. b. ed. Frobeniana.

(4) *Plato de Rep.* VI, 484. b.

(5) Cf. *Plato Tim.* p. 27 D — 29 C. Cic. in hujus dialogi versione. *Sextus adv. Math.* IX. 364. X. 258. *Diog. Laërt.* III, 76. ibique Menagius. *Pseudo-Plut. de placitis philosophorum.* I. 3. p. 236. Ex his locis explicandus est *Cic. Acad.* I. 8. II. 37.

excluderentur (1). Oportet igitur hominem quam fieri potest maxime mentem a corporis conjunctione liberare, ut ipsa per se res intueri possit (2). Sed hacce mentis a corpore disjunctione nihil in judicando vero proficeremus, nisi quoque res contemplari possemus tales, quales revera per se sint, id est, liberas ab illis mutationibus. Refugiendum igitur ad ideas, h. e. rerum formas seu exemplaria, quae sunt immutabilia, et perfecte nobis ostendunt quales res sint, quippe quae secundum ipsas a Deo informatae sunt (3).

Haec fere est Platonis de veri nota sententia, in qua delineanda, fortasse quis mirabitur, quid sit, cur Sexti loco non usus sim, in quo hic Platonis de criterio sententiam tractavit (4). Causa haec est, quod ille l. l. non genuinam proposuit Platonis sententiam sed accommodatam, ut videtur, ad Neoplatonicorum interpretationes et additamenta. Cujus rei indicia haec sunt. Primum, e Platonis dialogis unus laudatur Timaeus, in cujus obscuritate, quantum sese jactaverint Neoplatonici, omnibus notum est. Tum §. 143 diserta Πλατωνικῶν occurrit mentio. Denique si ipsa Sexti verba, quibus summam Platonis sententiae proposuit, adscripsero, qui dubitet, arbitror fore neminem: *προδήλως*, inquit, (*ὁ* Πλάτων) *κριτήριον ὥρισε τῆς τῶν πραγμάτων γνώσεως τὸν λόγον συμπεριλαβὼν αὐτῷ καὶ τὴν διὰ τῆς αἰσθήσεως ἐνάργειαν.*

Qui Platonem secuti sunt philosophi habebant jam certum philosophandi genus, ut dubitari non possit, utrum Sceptici fuerint an Dogmatici. Itaque Scepticismi et Dogmatismi tractatio separanda est; quare huic capiti finem imponamus.

---

(1) Cf. *Theaetet.* 152. D. seqq. *Cratyl.* 402. A. *Sextus Emp.* P. H. III. 54. 115. *adv. Math.* VII. 53. VIII. 6. 7.

(2) Phaed. p. 65. A — 67. C.

(3) Totam suam de ideis doctrinam explicavit Plato praeter laud. Tim. loc. in Parmenide toto. *Phileb.* p. 14. d. — 15 c. ubi cf. Stalbaum in Prolegg. p. XX seqq. de *Repub.* VI. 509. d. seqq. X. 586. a seqq. cf. etiam *Meno* et *Phaedo.* Caeterum cff. *Sext. Empir. adv. Math.* IV. 11 — 14. *Plut. adv. Colot.* XV. seq. p. 241. *Pseudo-Plut. de placitis Philos.* I. 19. p. 247. *Cic. Orator.* cap. 3. *Tusc.* I. 24. *Acad.* I. 9.

(4) *Adv. Math.* VII. 141 — 144.

◆

CAPUT SECUNDUM,

DE PYRRHONIIS.

Veniamus jam ad *Pyrrhonios*, qui et *Ephectici* et *Zetetici* et *Aporetici* appellabantur (1). Horum de criterio sententia ut recte intelligatur, omnis ipsorum philosophandi ratio paullo altius repetenda videtur.

Pyrrhonii igitur omnia referebant ad ἐποχὴν, ad *assensus retentionem*. Quam in eo positam esse censebant, ut nihil vel affirmetur, vel negetur. Sextus Empiricus: ἐποχὴ δ' ἔστι στάσις διανοίας, δι' ἣν οὔτε αἴρομέν τι, οὔτε τίθεμεν (2). Ad quam ἐποχὴν ita perveniebant. Omnis Scepticismus continetur sensibilibus et intelligibilibus quocunque modo sibi invicem opponendis, unde ita apud Sextum definitur: ἔστι δὲ ἡ σκεπτικὴ δύναμις ἀντιθετικὴ φαινομένων τε καὶ νοουμένων, καθ' οἷον δήποτε τρόπον (3). Hujus Scepticae facultatis principium hoc est: παντὶ λόγῳ ἴσον λόγον ἀντικεῖσθαι (4). Ex hacce autem intelligibilium et sensibilium oppositione nascebatur ἰσοσθένεια, h. e. ἡ κατὰ πίστιν καὶ ἀπιστίαν ἰσότης (5), h. e. paria esse in contrariis rationibus momenta. Haecce ἰσοσθένεια sponte eos duxit ad *assensus retentionem*, per quam ad finem suum, sive ἀταραξίαν, sive ἡσυχίαν, sive ἀφασίαν (6), sive ἡδονὴν (7) tendebant.

Ex hac assensus retentione sponte sequitur, Pyrrhonios nulla posuisse decreta, (sic enim, auctore Cicerone (8), δόγματα appellamus), certe si decretum intelligamus τήν τινι πράγματι τῶν κατὰ τὰς ἐπιστήμας ζητουμένων ἀδήλων συγκάθεσιν. Falluntur enim qui credunt Scepticum nulli omnino rei assentiri: τοῖς γὰρ κατὰ φαντασίαν κατηνεγκασμένοις πάθεσι συγκατίθεται: v. c. cum calet aut friget minime dicit: *videor mihi non ca-*

---

(1) De variis Scepticismi nominibus vid. quos laudat *Thorbecke* vir. Cl. in comm. ad quaestionem: „Quaeritur in Dogmaticis oppugnandis, numquid inter Academicos et Scepticos interfuerit? Quod si ita sit, quae fuerit discriminis causa?" Ann. Acad. L. B. a. 1820. pag. 14. Quibus addantur *Diog. Laërt.* IX, 70. *Tenneman* l. l. p. 105.

(2) P. H. I. 10.

(3) l. l. 8.

(4) *Sextus* l. l. §. 12 et 202—205. cff. quae supra de Protagora diximus.

(5) *Sextus* l. l. 10.

(6) *Sextus* l. l. 10, 25, 205, 232. III. 235 seqq. *adv. Math.* XI. 1, 111 seqq. *Diog. Laërt.* IX, 107. *Aristocles* ap. *Eusebium* P. E. XIV, 758 d.

(7) Hoc erat Aenesidemi. cf. *Aristocles ap. Eusebium* l. l.

(8) *Acad. quaest.* II. 9 alibi.

calere aut frigere (1). Cum igitur quid pronuntiat, πάθος suum narrat, h. e. dicit, quomodo affici se sentiat (2). Ad quam rem variae excogitatae sunt formulae, quas φωνὰς appellant. Sunt autem sequentes: οὐ μᾶλλον· τάχα, οὐ τάχα· ἔξεστι, οὐκ ἔξεστι· ἐνδέχεται, οὐκ ἐνδέχεται· ἐπέχω· οὐδὲν γνωρίζω· πάντα ἐστιν ἀόριστα· πάντα ἐστιν ἀκατάληπτα· ἀκαταλήπτω· οὐ καταλαμβάνω· παντὶ λόγῳ λόγος ἴσος ἀντικεῖται (3). His autem vocibus ἀδοξάστως utitur Scepticus, i. e. non ponit eas revera esse, sed cum alias res, tum se ipsas circumscribere: v. c. vox, *omnia sunt falsa*, cum aliis et se ipsam falsam esse dicit, quemadmodum medicamenta purgatoria non tantum humores ejiciunt, verum etiam ipsa cum iis exeunt (4).

Universa Pyrrhoniorum philosophandi ratione exposita, sequitur, ut ipsorum de criterio veritatis sententiam declaremus. Quae qualis fuerit jam facile intelligitur. Non quidem negabant esse criterium, sed omnibus Dogmaticorum rationibus rejectis et refutatis, non statuebant, sitne criterium, nec ne. Sextus Empiricus: εἰδέναι δὲ χρὴ, inquit, ὅτι οὐ πρόκειται ἡμῖν ἀποφήνασθαι, ὅτι ἀνύπαρκτόν ἐστι τὸ κριτήριον τὸ τῆς ἀληθείας (τοῦτο γὰρ δογματικὸν) ἀλλ' ἐπεὶ οἱ Δογματικοὶ πιθανῶς δοκοῦσι κατεσκευακέναι, ὅτι ἔστι τι κριτήριον ἀληθείας, ἡμεῖς αὐτοῖς τοὺς πιθανοὺς δοκοῦντας εἶναι λόγους ἀντεθήκαμεν, οὔτε ὅτι ἀληθεῖς εἰσι διαβεβαιούμενοι, οὔτε ὅτι πιθανώτεροι τῶν ἐναντίων, ἀλλὰ διὰ τὴν φαινομένην ἴσην πιθανότητα τούτων τε τῶν λόγων, καὶ τῶν παρὰ τοῖς δογματικοῖς κειμένων τὴν ἐποχὴν συνάγοντες (5). Quae ratio, etsi verbis ac specie spem aliquam veritatis dijudicandae relinquit, tamen revera omne judicium tollit ac penitus evertit. Hinc et ipse Sextus, alio loco (6), enumeratis, qui criterium tollebant, philosophis, ἐν τούτοις δὲ, inquit, εἰσὶ καὶ οἱ ἀπὸ τῆς σκέψεως. Diogenes Laërtius: ἀνῄρουν δὲ καὶ τὸ κριτήριον λόγῳ τῷδε caet. (7). Aulus Gellius: (*Sceptici*) *omnium rerum fidem veritatemqne mixtis confusisque veri falsique signis imprehensibilem videri ajunt* (8). Et sic alii veteres, quorum locos infra exhibebimus, de singulis Scepticis tamquam criterium revera tollentibus loquuntur. Ex quo apparet illam ἐποχὴν ideo a Scepticis inductam esse, ut temeritatis nomen et invidiam fugerent, et modestiae laudem adipiscerentur.

---

(1) *Sext. Empir.* P. H. I, 13—16. *Aenesidemus* ap. *Photium, in Bibl. cod.* 212. p. 544 ed. Hoeschelii et Scotti.

(2) Cf. *Sext.* l. l. §. 15. coll. §. 4, 193, 197, 200, aliis.

(3) Has voces suo more discripsit *Diog. Laert.* IX, 74 seqq. Copiosius et accuratius *Sext.* P. H. I. 187—205. Cf. *Aul. Gellius* N. A. XI, 5. *Aristocles* ap. *Eusebium* P. E. XIV. 758 D. *Suidas* voce μᾶλλον et οὐδὲν μᾶλλον. *Photius* l. l.

(4) *Sext.* P. H. §. 14 sqq. §. 206—209. *Diog. Laërt.* IX, 76. *Aristocles* ap. *Eus.* P. E. XIV, 762. B.

(5) *Sext.* P. H. II. §. 79.

(6) *Adv. Math.* VII. 48.

(7) *Lib.* IX, 94.

(8) N. A. XI. 5.

Sed cum, veri nota sublata, omnis e vita tollitur actio: fieri autem non potest, ut homo prorsus actionis sit expers (1): excogitanda erat aliqua regula, secundum quam vita regeretur. Adsciverunt igitur *τὸ φαινόμενον*. Timon Phliasius in *ἰνδαλμοῖς*:

Ἀλλὰ τὸ φαινόμενον παντὶ σθένει οὗπερ ἂν ἔλθῃ (2).

Quae doctrina quam late patuerit et quantopere a Scepticis culta sit, apparet ex Diogene Laërtio, ubi praeter Timonem laudantur Aenesidemus, Zeuxis, Antiochus, Apellas (3). Quo loco insignis est error, cujus purgandi hic locus esse videtur. Ita autem legitur: *ἔστιν οὖν κριτήριον κατὰ τοὺς Σκεπτικοὺς τὸ φαινόμενον, ὥς καὶ Αἰνεσίδημός φησιν· οὕτω δὲ καὶ Ἐπίκουρος. Δημόκριτος δὲ, μηδὲν εἶναι τῶν φαινομένων, τὰ δὲ μὴ εἶναι.* Ultima verba inde ab *ὡς καὶ Αἰνεσίδημος* caet. delenda esse videntur. Primum nihil ineptius fingi potest quam illud *ὡς καὶ Αἰνεσίδημος φησὶν*, cum paullo ante duo ex Aenesidemi libris loca laudata essent. Deinde illud, *οὕτω δὲ καὶ Ἐπίκουρος*, falsissimum est. Nam Epicurus statuebat omnes sensus esse veraces: quod minime Sceptici volebant, qui nos affici sensibus dabant, utrum res tales sint, quales sensus eas proponant, non statuebant. At, dicat aliquis, nonne Diogenes is est, a quo talia exspectari possint? Quis nescit insignem ejus stuporem et *ἀκρισίαν*? Est sane aliquid. Sed fingamus nobis Diogenem quam fieri potest stupidissimum, tamen tantum errorem committere potuisse non videtur, cum aliis in locis ostendit, se Scepticorum et Epicuri placita recte intellexisse. Quid, quod ea, quae sequuntur, manifesto ostendunt librarios hoc loco grassatos fuisse. Quis enim sensus est horum verborum? *Δημόκριτος δὲ, μηδὲν εἶναι τῶν φαινομένων, τὰ δὲ μὴ εἶναι·* quamvis facile ita emendari posse videntur, ut legatur pro *μηδὲν εἶναι*, *τὰ μὲν εἶναι*. Quae cum ita sint, non temere mihi facere videor, si illa verba, ut dixi, delenda esse existimem. Sed haec hactenus. Vidimus igitur Scepticorum familiam aliquam de *φαινομένῳ* doctrinam inchoasse, quam mirum quantum perfecit et locupletavit Sextus. Hic autem *τὸ φαινόμενον*, inquit, *φαντασία* intelligendum. Nam de hac, cum *ἐν πείσει καὶ ἀβουλήτῳ πάθει* posita sit, dubitari nequit (4). Minime autem Scepticus *τὰ φαινόμενα* tollit, sed fatetur se rebus sensibilibus hoc vel illo modo affici: an hae res revera ejusmodi sint ac ipse ab iis afficitur, de hoc non statuit, sed assensionem cohibendam ducit (5). Quod autem Scepticus *τὰ φαινόμενα* observat et secundum ea *ἀδοξάστως* vivit, id quatuor facit modis: primum *ὑφηγήσει φυσικῇ*, cum a natura sensibus et intellectu simus instructi: deinde *παθῶν ἀνάγκῃ*, qua fit, ut fames ad cibum nos adducat, sitis ad potum: porro *ἐθῶν καὶ νόμων παραδόσει*· qua fit, ut in vita pietatem bonum, impietatem malum censeamus. Denique *τέχνων διδασκαλίᾳ*, secundum quam non inutiles et otiosi sumus, in iis, quas colendas suscipimus, artibus (1).

---

(1) *Cicero Acad.* II. 10. *Sext. Empir.* P. H. 23. *adv. Math.* VII. 30. col. 165. *Diog. Laërt.* IX, 104.

(2) *Diog. Laërt.* IX., 105. *Sext. adv. Math.* VII. 30. P. H. 21—24.

(3) *Diog. Laërt.* IX, 106.

(4) P. H. I, 22.

(5) Hoc *Sextus* docet P. H. c. 10. §. 19, 20. Idem alibi saepius inculcat v. c. l. l. §. 59, 78, 93, 112, 124, 132, 140, 144, 163, 191. caet. *Diogenes Laërt.* IX, 103.

Ejusmodi fere est universa Pyrrhoniorum sententia de veri judicio. Nunc de singulis hujus sectae philosophis videamus; tum ut accuratius judicare possimus, quid quisque ad sententiam de incomprehensibilitate rerum perficiendam effecerit, tum ut arma cognoscamus, quibus eam adversus Dogmaticos tueri conati sint. In quo quidem eam tenebimus rationem, ut res privatas uniuscujusque philosophi non attingamus, nisi eatenus, quatenus aliquam vim habuerint ad ejus sententiam informandam. Sic v. c. operae pretium erit notasse, quo quisque tempore vixerit, et quibus usus sit magistris; de reliquis, e. g. Pyrrhonem sacerdotio honoratum fuisse, eos laudasse sufficiat, qui ea accurate explicarunt. Inprimis attendemus ad quaestionem de veri falsique nota, et si quae sint ab aliis nondum animadversa loca, afferre studebimus.

Scepticorum igitur, auctore Sexto, duplex fuit aetas: *ἀρχαιοτέρων* inde a Pyrrhone usque ad Aenesidemum altera, altera *τῶν νεωτέρων* qui post Aenesidemum fuerunt (2).

Primus igitur in medium veniat *Pyrrho Eleus*, *ὁ ἄγαν ἠκριβωκέναι τὴν ἀπορητικὴν ἀπολειφθείς* (3). Natus est, Philippo Macedone regnante, circiter Ol. CI (4). Magistros habuit primum Brysonem Dialecticum (5), deinde Anaxarchum, qui Metrodorum Democriti discipulum audiverat (6). Quo cum accederet necessitudo Philonis dialectici, facile intelligitur et Democriti et Dialecticorum rationem magnam vim habuisse ad ingenium Pyrrhonis informandum; quod ipsum disertis veterum testimoniis confirmatur (7). Ad Pyrrhonis doctrinam quod attinet, difficile sit statuere, quid ipsi fuerit peculiare. Nam ipsePyrrho nihil scriptum reliquit (1), certe nihil de philosophia. Est quidem apud Sextum Empiricum, eum carmen fecisse ad Alexandrum regem; sed hoc, si forte exstiterit, jam ante Sextum deperditum fuisse videtur (2), et una alterave sententia excepta, magis ad illum regem adulandum, quam ad philosophiae placita explicanda comparatum fuisse. Diogenes autem Laërtius, ut in aliis principum alicujus sectae philosophorum vitis, sic in Pyrrhonis, omnia, quae de Scepticismo sciebat, velut in saccum fudit, nullam curam gerens, ut unicuique Sceptico quod ipsi proprium esset tribueret (3). Quo diligentius nos antiquorum testimonia, hic illic sparsa, colligere oportet, e quibus appareat, Pyrrhonem incomprehensibilitatem rerum docuisse. Ascanius Abderites, Pyrrho, inquit, δόκει γενναιότατα φιλοσοφῆσαι τὸ τῆς ἀκαταληψίας καὶ ἐποχῆς εἶδος εἰσαγαγών (4). Aenesidemus dixit φιλοσοφεῖν μὲν αὐτὸν κατὰ τὸν τῆς ἐποχῆς λόγον (5). Cum quibus consentit Aristocles ἴσχυσε μέντοι τοιαῦτα (πάντα εἶναι ἀκατάληπτα) λέγων καὶ Πύῤῥων ὁ Ἠλεῖος (6). Diserte Lucianus: ʽΕΡΜ. Ἀλλ' ἡ μὲν γραφικὴ πάρεστιν, ὦ Δίκη, ὁ Πύῤῥων δὲ οὐδὲ τὴν ἀρχὴν ἀνελήλυθε, καὶ ἐῴκει τοῦτο πράξειν. ΔΙΚ. Διά τι, ὦ Ἕρμη; ʽΕΡΜ. Ὅτι οὐδὲν ἡγεῖται κριτήριον ἀληθὲς εἶναι (7). Sublata igitur veri falsique nota, rerum apparentiam, consuetudinem et mores adscivit vitae instituendae regendaeque normam (8). Recte igitur Aenesidemus apud Diogenem eum defendit contra eos, qui ipsi multa in vita ridicule facta tribuebaut (9).

---

(1) Cf. *Sextus* P. H. I, 24 seqq. ejusdem lib. 17, 337. *Diog. Laërt.* IX, 108.

(2) *Sext.* P. H. I. 164. ibique *Fabricius* not. S.

(3) *Galen. Hist. Philos.* p. 24. F.

(4) *Suidas* voce Πύῤῥων.

(5) *Suidas* l. l. idem voce Σωκράτης. *Diog. Laërt.* IX, 61. ubi ante Menagium legebatur Δρύσωνος. *Sext. Empir.* adv. *Math.* VII. B. ibique *Fabricius* not. H.

(6) *Diog. Laërt.* IX, 58. *Sext. Empir.* l. l. 48. ibique *Fabricius* not. N. 87. 88. ibi *Suidas* voce Πύῤῥων que *Fabricius* not. E. *Aristocles* apud *Eusebium* X. 763. B. Ipse *Euseb.* p. 758. a. *Gal. de hist. philos.* l. l. quem emendavit *Menagius ad Diogenem.* annot. p. 423 et 426.

(7) *Philo* apud *Diog. Laërt.* IX, 67. *Aristocles* apud *Eusebium* P. E. p. 763. B. *Numenius* apud *eundem* p. 37. A. De reliquis Pyrrhonis rebus cff. *Stäudlin* l. l. tom. I. pag. 281. seqq. *Thorbecke in comm. laud.* p. 29. 30. *De Antigono Carystio*, qui Pyrrhonis vitam scripsit laudandus etiam est *Aristocles* apud *Euseb.* P. E. XIV. 763. A. Neque illud omittendum, quod de Pyrrhonis animi tranquillitate retulit Posidonius apud *Diog. Laërt. lib.* IX, 68. Quo loco usus est vir Cl. *J. Bake de Posidonio* p. 177. Consulendus quoque *D. Wyttenb. ad laud. Bakii librum* p. 282.

Voces, quibus Sceptici utebantur, jam ab antiquioribus inventas esse, recte, ut videtur, statuit, Krugius (10). Equidem non dubitarem cum Aulo Gellio (11) earum inventionem Pyrrhoni tribuere; (Sceptici) *omnium rerum fidem veritatemque, mixtis confusisque veri atque falsi signis, ita imprehensibilem videri ajunt, ut quisquis homo non praeceps judiciique sui prodigus his uti verbis debeat*, quibus auctorem philosophiae istius Pyrrhonem usum esse tradunt οὐ μᾶλλον caet.

Ut suam sententiam contra Dogmaticos defenderent, aliquos dubitandi modos induxerunt Sceptici. Hos etiam excogitasse Pyrrhonem jam vidit Gassendus (12), post eum Fabricius (13), et nostra demum aetate multis veterum locis adductis et ponderatis indubitatum reddidit Krugius (1). Sed hos modos ita explicavit et dilatavit aliorum Scepticorum, inprimis Aenesidemi, industria, ut hic etiam aliquam inventionis laudem sibi vindicare posse videatur. Quamobrem nos eorum explicationem in posterum differimus.

---

(1) *Diog. Laërt. Prooemio*, 16. lib. IX, 102. *Aristocles* apud *Euseb.* P. E. XIV. 758. C. 763. B.

(2) *Sext. adv. Math.* I. 282. ubi vid. *Fabr. not.* A.

(3) *Stäudlin* l. l. p. 286. Idem fecit Diogenes in vitis Zenonis, Aristotelis, aliorum.

(4) Apud *Diog. Laërt.* IX, 61.

(5) *Diog. Laërt.* IX, 62.

(6) Apud *Euseb.* l. l.

(7) *Lucianus Bis Accusat.* §. 25. p. 251.

(8) *Suidas* voce Πύῤῥων.

(9) *Diog. Laërt.* IX, 62. cf. Menag. ad 63.

(10) l. l. p. 787. not. N.

(11) *Noct. Att.* XI. cap. 5.

(12) *Oper. tom.* I. p. 75.

(13) *Ad Sext. Emp.* P. H. I. 35. not. P.

Haec sunt, quae Pyrrhoni probabiliter tribuuntur. Unum hoc monendum est, singula, quae adduximus, loca non premenda esse. Nam saepius factum est, ut aliquis, de quodam Scepticorum placito loquens, unum Pyrrhonem, utpote sectae principem et auctorem, laudaret (2).

Pyrrhonis discipuli memorantur a Diogene, *Eurylochus*, *Philo*, *Hecataeus Abderites* et *Nausiphanes Teïus* (3). De quibus omnibus parum reperitur apud veteres. Et Philonis quidem meminerunt Lucianus (4) et Suidas (5). Nausiphanes autem Pyrrhonem cito deseruisse videtur, et in Democriti se castra contulisse. Quo facto, postea Epicuri magister fuit, qui ipsum ingrate tractavit (6). Unum ejus placitum, quod ad praesentem quaestionem facere videtur, nobis servavit Seneca: *Nausiphanes ait, ex iis, quae videntur, nihil magis esse, quam non esse* (7). Praeter hos apud Numenium Pyrrhonis discipuli memorantur *Mnaseas* et *Philomelus* (8).

Sed horum omnium laudem obscuravit *Timon Phliasius*, qui primum Stilponem Megaricum audivit, deinde Pyrrhonis institutione usus est (9). Varia multaque scripsit. Diog. Laërt. *καὶ γὰρ*, inquit, *ποιήματα συνέγραφε, καὶ ἔπη, καὶ τραγῳδίας, καὶ σατύρους, καὶ δράματα κωμικὰ τριάκοντα, τραγικὰ δὲ ἑξήκοντα, σίλλους τε καὶ κιναίδους. Φέρεται δὲ αὐτοῦ καὶ καταλογάδην βιβλία, εἰς ἐπῶν τείνοντα μυριάδας δύο* (10). Ex his celeberrimum opus fuit, cui Silli est titulus, et a quo auctori cognomen Sillographi venit, tribus illud libris distinctum, in quibus, sub persona Xenophanis, Dogmaticorum sententias parodiis vexavit (11). Memoratur et alius Timonis liber, Πύθων inscriptus (12), quem librum ad aliquem Pythonem exagitandum comparatum fuisse, confici potest ex alio loco Diogenis, ubi Timonem citat *ἐν τοῖς πρὸς Πύθωνα* (13). Reliquorum scriptorum hi tituli ad nos venenerunt: πρὸς τοὺς φυσικοὺς (1)· ἰνδαλμοὶ (2)· περὶ αἰσθήσεων (3)· Ἀρκεσιλάου περὶ δείπνου (4).

---

(1) l. l. p. 285. (2) cf. *Thorbecke*, *comm. laud.* p. 30.

(3) *Diog. Laërt.* IX. 68, 69.

(4) In *Vitar. auct.* §. 27. p. 312. cf. *Menagius* ad *Diog. Laërt.* IX, 67.

(5) In voce, φιλόσοφος.

(6) *Diog. Laërt. Prooem.* 15. Idem, IX, 69. X, 8. *Sext. Empir. adv. Math.* I, 2, 4. *Cic. de Nat. Deor.* I. cap. 26.

(7) *Epist.* 88. (8) Apud *Euseb.* P. E. XIV. 731. B.

(9) *Diog. Laërt.* IX, 109. Caeterum de Timone cff. *Städlin*, l. l. p. 209. seqq. *Thorbecke*, *comm. laud.* p. 32. seqq. Iis, quae ab his collecta sunt, id addi posse videtur, *Antigonum Carystium*, ut Pyrrhonis, sic etiam hujus vitam scripsisse. cf. *Diog. Laërt.* IX, 111.

(10) *Diog. Laërt.* l. l. (11) *Diog. Laërt.* l. l. *Suidas* in voce, Τίμων.

(12) *Aristocles* apud *Euseb.* P. E. XIV. p. 761. A. B. *Diog. Laërt.* IX, 64.

(13) *Diog. Laërt.* IX, 67.

Timonis doctrinae fragmentum, ad nostram quaestionem pertinens, servavit Aristocles apud Eusebium: ὁ δὲ μαθητὴς αὐτοῦ (Pyrrhonis) φησὶ, δεῖν τὸν μέλλοντα εὐδαιμονήσειν εἰς τρία ταῦτα βλέπειν· πρῶτον μὲν, ὁποῖα πέφυκε τὰ πράγματα· δεύτερον δὲ, τίνα χρὴ τρόπον ἡμᾶς πρὸς αὐτὰ διακεῖσθαι· τελευταῖον δε, τί περιέσται τοῖς οὕτως ἔχουσιν. Τὰ μὲν οὖν πράγματά φησιν αὐτὸν ἀποφαίνειν ἐπίσης ἀδιάφορα, καὶ ἀστάθμητα, καὶ ἀνέγκριτα· διὰ τοῦτο μήτε τὰς αἰσθήσεις ἡμῶν, μήτε τᾶς δόξας ἀληθεύειν ἢ ψεύδεσθαι· διὰ τοῦτο οὖν μήτε πιστεύειν αὐταῖς δεῖν, ἀλλ' ἀδοξάστους καὶ ἀκλινεῖς καὶ ἀκραδάντους εἶναι, περὶ ἑνὸς ἑκάστου λέγοντας, ὅτι οὐ μᾶλλον ἔστιν, ἢ οὐκ ἔστιν. Τοῖς μέντοι διακειμένοις οὕτω περιέσεσθαι, Τίμων φησὶ, πρῶτον μὲν ἀφασίαν, ἔπειτα δ' ἀταραξίαν (5). Ἀφασία autem, quid sit, explicatur a Sexto, idemque vox valet ac ἐποχή (6). Hocce Aristoclis loco usus est Stäudlinus ad universum Timonis Scepticismum delineandum (7). Nobis animadvertisse sufficiat, ex hoc loco apparere, Timonem iis jam ad veri judicium impugnandum copiis instructum fuisse, quae Dogmaticis interitum minari viderentur. Caeterum illius versus, quibus τὸ φαινόμενον, ut vitae regulam, cecinit, jam supra laudavimus.

Post Timonem Scepticismi nomen evanescere coepit, et, qui ipsi succederet, usque ad *Ptolemaeum Cyrenaïcum*, fuisse neminem, auctore Menodoto, tradit Diogenes Laërtius (8). Cujus rei causa haec mihi fuisse videtur. Academia tunc temporis magis magisque invalescebat, et patronum nacta erat Arcesilam, magnum profecto virum, ingenii eloquentiaeque laude florentem. Hujus autem temporis Sceptici minorum, ut videtur, fuerunt gentium, nullis praeter alios animi dotibus excellentes. Hinc factum est, ut, cum utriusque disciplinae magna esset similitudo, Academiae nomen Pyrrhoniorum nomen obrueret, et hominum ore frequentaretur. Quod usque eo factum est, donec magnus aliquis vir exsisteret, magno praeditus ingenio, qualis fuit Aenesidemus, qui emortuam fere Pyrrhonis auctoritatem in vitam quasi revocaret. Quam suspicionem non inanem esse, ex eo quodammodo apparere videtur, quod Aenesidemus primum librum Πυῤῥωνείων λόγων consumsit, in differentia, quae Academicos inter et Pyrrhonios intercederet, demonstranda (9).

Reliquorum igitur Scepticorum, inde a Timone usque ad Aenesidemum, nihil nisi nomina supersunt. Diogenes Laërtius (10), auctoribus Hippoboto et Sotione, διήκουσαν, σταν, inquit, Τίμωνος Διοσκουρίδης Κύπριος, καὶ Νικόλοχος Ῥόδιος, καὶ Εὐφράνωρ Σελευκεὺς, Πραΰλος τε ἀπὸ Τρωάδος. His, auctore Suida (1), addatur Πύῤῥων Φλιάσιος. Sequitur apud Diogenem: Εὐφράνορος δὲ διήκουσεν Εὔβουλος Ἀλεξανδρεύς· οὗ Πτολεμαῖος, οὗ Σαρπηδὼν, καὶ Ἡρακλείδης· Ἡρακλείδου δὲ Αἰνησίδημος Κνώσσιος.

---

(1) *Sext. Empir. adv. Math.* III, 2. ibique *Fabricius* not. C.

(2) *Sext. Empir. adv. Math.* XI, 20.

(3) *Diog. Laërt.* IX, 105.

(4) *Diog. Laërt.* IX, 115.

(5) *Euseb.* P. E. XIV. 758. D.

(6) *Sext. Empir.* P. H., I. 192, sq.

(7) l. l. p. 332, 333.

(8) *Diog.* IX, 115. Cff. *Cicero*, *Tusc.* IV, 30. *De Fin.* II, 12. *Stäudlin*, l. l. p. 289.

(9) *Photius*, cod. 212. p. 544, 545.

(10) *Diog. Laërt.* IX, 115. De ordine, quo Sceptici sibi invicem successerunt, cf. *Stäudlin*, l. l. p. 285.

Aenesidemus igitur *Gnossius*, Heraclidis discipulus, labentem jam disciplinam sustentavit, atque sic ἀρχηγὸς exstitit recentiorum Scepticorum successionis. Aristocles: μηδενὸς δὲ ἐπιστραφέντος αὐτῶν, (Pyrrhonis et Timonis) ὡς εἰ μηδὲ ἐγένοντο τὸ παράπαν, ἐχθὲς καὶ πρώην ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, τῇ κατ' Αἴγυπτον, Αἰνησίδημός τις ἀναζωπυρεῖν ἤρξατο τὸν ὕθλον τοῦτον (2). Vixit, ut probabiliter collegit Krugius (3), paullo post Philonem et Ciceronem, et scripsit octo libros Πυῤῥωνείων λόγων, e quibus excerpta dedit Photius (4). Quaeri potest, utrum idem, an diversum sit opus Ὑποτυπώσεως εἰς τὰ Πυῤῥώνεια, quod ab Aristocle (5) et Diogene Laërtio (6) memoratur: sed, deficientibus veterum testimoniis, nil certi statuere possumus: hoc unum addere licet, Sextum Empiricum, ut ipse fatetur, suarum Ὑποτυπώσεων, et inscriptionem et rerum tractandarum rationem, ex illis Aenesidemi libris repetivisse (7). Gaeterum Photius, quamvis Scepticam rationem minime probans, hocce opus dialecticae operam navantibus non inutile esse judicavit (8). Et vero affirmare non dubitamus, eum Scepticismum tantum promovisse, quantum nemo alius Pyrrhoniorum, uno fortasse Sexto excepto. Nam primus omnium Scepticismum definivit: ἔστιν οὖν, inquit Diogenes Laërtius, ὁ Πυῤῥώνειος λόγος μήνυσις (9) τῶν φαινομένων, ἢ τῶν ὁπωςοῦν νοουμένων, καθ' ἣν πάντα πᾶσι συμβάλλεται, καὶ συγκρινόμενα πολλὴν ἀνωφέλειαν καὶ ταραχὴν ἔχοντα εὑρίσκεται, καθά φησιν Αἰνησίδημος ἐν τῇ εἰς τὰ Πυῤῥώνεια ὑποτυπώσει (10). Porro idem existimavit, voluptatem (ἡδονὴν) esse finem Scepticismi, ut Aristocles apud Eusebium refert (11); apud Photium autem legimus, Aenesidemum, in VIII° libro Πυῤῥωνείων λόγων, ita contra fines disputasse, ut etiam τὴν ἡδονὴν rejiceret (12). Quae, sibi invicem, ut videtur, repugnantia, recte conciliavit Stäudlinus (13). Sed, ut Aenesidemi rationem accuratius cognoscamus, et ipsius de veri judicio sententiam rectius explicare possimus, dicendum est de philosophia Heraclitea, quam hic non modo vehementer probavit, sed etiam miro modo cum Scepticismo conjunxit. Existimavit autem, ὁδὸν εἶναι τὴν Σκεπτικὴν ἀγωγὴν ἐπὶ τὴν Ἡρακλείτειον φιλοσοφίαν· διότι προηγεῖται τοῦ τἀναντία περὶ τὸ αὐτὸ ὑπάρχειν τὸ τἀναντία περὶ τὸ αὐτὸ φαίνεσθαι, καὶ οἱ μὲν Σκεπτικοὶ φαίνεσθαι λέγουσι τὰ

---

(1) In voce.

(2) Apud *Eusebium*, P. E. l. l. p. 763. D.

(3) *Gesch. der Phil.* p. 377.

(4) *Photius*, Cod. 212.

(5) Apud *Eusebium*, P. E. XIV. p. 760.

(6) IX, 78.

(7) P. H. I, 210, 220.

(8) *Photius*, cod. l. p. 545.

(9) Ita legendum pro μνημή τις, ex emendatione Galesii, quae probatur Menagio ad h. l. aliisque.

(10) *Diog. Laërt.* IX, 78.

(11) P. E. XIV. 758 D.

(12) *Photius*, l. l. p. 545.

(13) l. l. p. 303. not. 214.

ἐναντία περὶ τὸ αὐτό· οἱ δὲ Ἡρακλείτειοι ἀπὸ τούτου καὶ ἐπὶ τὸ ὑπάρχειν αὐτὰ μετέρχονται (1). Atque sic plane Aenesidemus a Scepticismo ad Heracliteam doctrinam deflexisse putandus est, et illius rationibus usum esse, ut hanc confirmaret (2). Aliter enim explicari non posse videtur, quomodo Sextus multa ei Dogmatica placita, ex Heracliti doctrina petita, tribuat (3), et simul eum tamquam perfectum Scepticum laudet (4). Eadem causa fuit, cur judicium veri, aliis quidam locis plane tolleret, aliis quodammodo relinqueret. De utroque deinceps dicendum est. Et illius quidem operis Πυῤῥωνείων λόγων, teste Photio, *ἦν ἡ πρότασις, βεβαιῶσαι, ὅτι οὐδὲν βέβαιον εἰς κατάληψιν, οὔτε δι' αἰσθήσεως, ἀλλ' οὔτε μὴν διὰ νοήσεως, διὸ οὔτε τοὺς Πυῤῥωνείους, οὔτε τοὺς ἄλλους εἰδέναι τὴν ἐν τοῖς οὖσιν ἀλήθειαν* (5). Praeterea addidit Photius, eum nullum in hoc opere statuisse decretum: *καὶ ὅτι μηδὲν εἰς δόγμα συντελεῖ, καὶ τοῦτο κατάδηλον* (6). Ex quibus locis, sibi invicem comparatis, apparet, Aenesidemum omne veritatis criterium ad eam Scepticorum rationem, quam supra delineavimus, penitus sustulisse. Sed ecce, est alius Sexti locus, ubi Aenesidemus *τὰ κοινῶς πᾶσι φαινόμενα* criterium constituisse dicitur: *Οἱ δὲ περὶ τὸν Αἰνησίδημον, καὶ Ἡράκλειτον, καὶ Ἐπίκουρον, ἐπὶ τὰ αἰσθητὰ κοινῶς κατενεχθέντες, ἐν εἴδει διέστησαν. Οἱ μὲν γὰρ περὶ τὸν Αἰνησίδημον λέγουσί τινα τῶν φαινομένων διαφορὰν, καί φασι τούτων, τὰ μὲν κοινῶς φαίνεσθαι, τὰ δὲ ἰδίως τισι, ὧν ἀληθῆ μὲν εἶναι τὰ κοινῶς πᾶσι φαινόμενα, ψευδῆ δὲ τὰ μὴ τοιαῦτα. Ὅθεν καὶ τὸ ἀληθὲς φερωνύμως εἰρῆσθαι τὸ μὴ λῆθον τὴν κοινὴν γνώμην* (7). Quod autem alio loco habet Sextus, id hic quoque memorandum videtur, Aenesidemum cum Stratone Lampsaceno statuisse, animam sensibus uti, tamquam foraminibus, ad res externas percipiendas (8). An fortasse hinc conjici licet, eum aliquando etiam ad Peripateticorum placita inclinasse?

Supra jam diximus, Aenesidemum multum ad Scepticorum dubitandi modos perficiendos attulisse. Id, quale sit, nunc exponemus. Aristocles igitur auctor est, eum, in supra laudato opere, *τοὺς ἐννέα διεξιέναι τρόπους* (9) (quo loco dubium non est, quin cum Menagio (10), et aliis, eum secutis, pro *ἐννέα* legendum sit *δέκα*) et Sextus Empiricus *τοὺς παρὰ τῷ Αἰνησιδήμῳ δέκα τρόπους* memorat (11). E quibus locis id confici mihi pos-

(1) *Sext. Empir.* P. H. I, 210.

(2) *Stäudlin, l. l. p.* 305. *not.* 218. conjecit, eum ex Heracliti schola ad Pyrrhonios transiisse. Quod, si ita esset, potius dixisset Aenesidemus, Heracliti philosophiam viam esse ad Scepticismum.

(3) *Sext. Empir.* P. H. l. l. et 338. *Adv. Math.* VII, 249. IX, 337. X, 216, 233.

(4) P. H. I, 180. 222. *adv. Math.* VIII, 8, 40, 215, 216, 234 sqq. IX, 218. X, 38.

(5) *Photius*, l. l. p. 541. (6) l. l. p. 545.

(7) *Sext. adv. Math.* VIII, 8. Cf. *Krugius, Gesch. der Phil. alter Zeit.* p. 377.

(8) *Adv. Math.* VII, 350.

(9) *Aristocles* apud *Eusebium*, P. E. XIV, p. 760. B. (10) Ad *Diog. Laërt.* IX, 79.

(11) *Adv. Math.* VII, 345.

posse videtur, Aenesidemum, quamvis modorum inventio ad antiquiores Scepticos, nominatim Pyrrhonem, referenda sit, primum eos et literis consignasse, et proxime ad perfectionem adduxisse. Sed hoc loco aliud inventum, unius Aenesidemi proprium, memorandum est. Scilicet octo modos excogitavit, quibus eos refelleret, qui rerum causas se ostensuros esse profitebantur (*τοὺς αἰτιολογικούς*). Hos eum explicuisse in V°. libro *Πυῤῥωνείων λόγων* probabile est ex Photii excerptis (1). Retulit eos et explicuit Sextus, qui tamen eos supervacaneos esse judicat, cum quinque Agrippae modi, de quibus mox videbimus, satis superque sufficiant ad omnes, etiam *τοὺς αἰτιολογικοὺς*, refellendos (2).

Aenesidemi successores recensentur apud Diogenem, *Ζεύξιππος ὁ Πολίτης, οὗ Ζεῦξις ὁ Γωνιόπους, οὗ Ἀντίοχος Λαοδικεὺς ἀπὸ Λύκου* (3). Quibus addantur *Apellas* (4) et *Agrippa* (5), qui nullam omnino nominis celebritatem adepti sunt, excepto Agrippa, qui decem illis dubitandi modis quinque alios addidit, quos infra recensebimus.

Agrippae successerunt *Menodotus*, magni nominis Scepticus, quippe cujus e libris Sextus se hausisse profitetur (6), et *Theodas*. Menodotum audivit *Herodotus*, hunc *Sextus Empiricus* (7). De quo viro uberius dicendum est, tum quod ipsius operum haud contemnenda pars ad nostram pervenit aetatem, tum quod inter aequos intelligentesque judices constat, eum ita scepticismi fines protulisse, ut reliquis ejusdem scholae Philosophis palmam praeripuisse censendus sit.

Aetas, qua vixit, haud facile definiri potest. Probabile videtur eum, saeculo post Christum natum secundo, medio vel exeunte, floruisse (8). Unus est locus in ipsius operibus, e quo forte certius quid elici poterit, quem sufficiat hic adscripsisse, et aliis explorandum commendasse: *πρὸς τούτοις κἀκεῖνο λεκτέον· διαφωνία γέγονε παρὰ τοῖς πρὸ ἡμῶν, τῶν μὲν λεγόντων, εἶναι τι σημεῖον ἐνδεικτικὸν, τῶν δὲ μηδὲν εἶναι σημεῖον ἐνδεικτικὸν φασκόντων* (9). Librorum, quos scripsit, titulos accurate collegit Thorbecke V. Cl. (10).

Hujus viri Scepticismus, qualis fuerit, abunde cognosci potest ex ratione, qua Scepticismum definivit: *ἔστι δὲ*, inquit, *ἡ Σκεπτικὴ δύναμις ἀντιθετικὴ τῶν φαινεμένων τε καὶ νοουμένων, καθ' οἷον δήποτε τρόπον* (11). Quod ad quaestionem de veri judicio attinet, satis t's constat, Sextum illud penitus sustulisse, sive assensum cohibuisse, utrum esset, nec ne. Sed, cum supra jam ex viri scriptis loca quaedam, huc pertinentia, adduxerimus, non necessarium videtur, ea hic repetere. Potius agamus de celeberrimis illis dubitandi modis, qui Scepticorum tamquam arma fuerunt, quibus Dogmaticorum temeritatem debellarent, et ad quos omnia fere argumenta referre solerent.

---

(1) *Photius*, cod. 212. p. 545. (2) P. H. I, 180—187.

(3) *Diog. Laërt.* IX, 116. (4) *Diog. Laërt.* IX, 108.

(5) *Diog. Laërt.* IX, 88. Cf. *Stäudlin* l. l. p. 288.

(6) P. H. I, 220, — *νῦν δὲ ὡς ἐν ὑποτυπώσει διαλαμβάνομεν κατὰ Μηνόδοτον καὶ Αἰνησίδημον· οὗτοι γὰρ μάλιστα ταύτης προίστησαν τῆς στάσεως.* (7) *Diog. Laërt.* IX, 116.

(8) *Stäudlin*, l. l. p. 383 sqq. *Krug*, l. l. p. 380. not. a. (9) P. H. II. 121.

(10) *Comm. laud.* p. 39. (11) P. H. I, 8.

Antiquiores igitur Sceptici *decem* constituerunt *modos*, quibus ἐποχὴ colligitur, quos Graece τρόποι, τόποι et λόγοι vocare consueverant (1). Sunt autem sequentes: πρῶτος, ὁ παρὰ τῶν ζώων ἐξαλλαγὴν· δεύτερος, ὁ παρὰ τῶν ἀνθρώπων διαφορὰν· τρίτος, ὁ παρὰ τὰς διαφόρους τῶν αἰσθητηρίων κατασκευάς· τέταρτος, ὁ παρὰ τὰς περιστάσεις· πέμπτος, ὁ παρὰ τὰς θέσεις, καὶ τὰ διαστήματα, καὶ τοὺς τόπους· ἕκτος, ὁ παρὰ τὰς ἐπιμιξίας· ἕβδομος, ὁ παρὰ τὰς ποσότητας· ὄγδοος, ὁ ἀπὸ τοῦ πρός τι· ἔννατος, ὁ παρὰ τὰς συνεχεῖς, ἢ σπανίους ἐγκυρήσεις· δέκατος, ὁ παρὰ τὰς ἀγωγὰς, καὶ τὰ ἔθη, καὶ τοὺς νόμους, καὶ τὰς μυθικὰς πίστεις καὶ τὰς δογματικὰς ὑπολήψεις (2). Paullo aliis verbis hos modos retulit Diogenes Laërtius, eosque summatim explicavit (3). Praeterea hos modos non omnes eodem ordine tradebant; Diog. Laërt.: τόν ἔννατον (τρόπον) Φαβωρῖνος ὄγδοον· Σέξτος δὲ καὶ Αἰνεσίδημος, δέκατον· ἀλλὰ καὶ τὸν δέκατον Σέξτος ὄγδοον φησὶ, Φαβωρῖνος δὲ ἔννατον (4). Sed hoc, judice Sexto, parum refert, utpote in quo suum quisque arbitrium sequi potest: χρώμεθα δέ τῇ τάξει θετικῶς (5). Hi vero decem modi ad tres magis generales referri possunt, quorum primus ὁ ἀπὸ τοῦ κρίνοντος· quo primi quatuor comprehenduntur: secundus, ὁ ἀπὸ τοῦ κρινομένου, ad quem pertinent septimus et decimus: tertius, ὁ ἐξ ἀμφοῖν, cui respondent quintus, sextus, octavus et nonus (6). Rursus hi tres referuntur ad τὸ πρός τι· ὡς εἶναι γενικώτατον μὲν τὸ πρός τι, εἰδικοὺς δὲ τοὺς τρεῖς, ὑποβεβηκότας δὲ τοὺς δέκα (7). Et vero eo omnia fere Scepticorum argumenta spectant, ut ostendatur, nihil a nobis *per se* percipi, sed omnia esse *relativa*. Recte igitur Aulus Gellius, *Itaque omnes*, inquit, *omnino res*, *quae sensus movent* τῶν πρός τι *esse dicunt. Id verbum significat nihil esse quidquam, quod ex sese constet, nec quod habeat vim propriam atque naturam, sed omnia prorsum ad aliquid referri, taliaque videri esse, qualia apud sensus nostros, quo pervenerunt, creantur, non apud sese, unde profecta sunt* (8). Haec in universum de modis dicta sufficiant. Jam de singulis videamus, et quantam quisque ad ἐποχὴν colligendam vim habeat, auctore Sexto, to, constituamus: in quo ita versabimur, ut eorum, quae ab ipso disputata sunt, extrema tantum quasi puncta notemus.

---

(1) Haec, et quae sequuntur, petita sunt ex *Sext. Empir.* P. H. c. XIV. De variis modorum nominibus videatur *Fabricius*, ad Sexti l. l. et *Gronovius* ad *Aul. Gellii* N. A. XI, 5 not. 7. E recentioribus hos modos explicarunt *Picus Mirandulanus*, *de van. doctr. gent.* II. c. 21—31. p. 854—881. *Gassendus*, Opp. Tom. I. p. 73—75; *Ständlin*, l. l. T. I. 392—412. Krugius pro instituti ratione, nil nisi modorum titulos, comparatis Diogene ex Sexto, recenset, *Gesch. der Phil.* p. 286.

(2) *Sext. Empir.* P. H. I. §. 36, 37.

(3) *Diog. Laërt.* IX, 79—88.

(4) *Diog. Laërt.* IX, 87.

(5) *Sext. Empir.* P. H. I. 38. ibiq. *Fabricius not.* l.

(6) *Sext. Empir.* l. l.

(7) *Sext. Empir.* l. l. §. 39.

(8) N. A. XI. 5.

Primus igitur modus est, ὁ παρὰ τῶν ζώων ἐξαλλαγὴν· καθ' ὃν παρὰ τὴν διαφορὰν τῶν ζώων, οὐχ' αἱ αὐταὶ ἀπὸ τῶν αὐτῶν ὑπίπτουσι φαντασίαι. Quod duplici modo colligitur, primo, ἐκ τῆς περὶ τὰς γενέσεις τῶν ζωών διαφορᾶς, secundo, ἐκ τῆς παρὰ τὰς συστάσεις τῶν σωμάτων παραλλαγῆς (1). Nam, si varias animalium generationes consideramus, probabile videtur, τὰς περὶ τὰς γενέσεις ἀνομοιότητας καὶ διαφορὰς μεγάλας ποιεῖν ἀντιπαθείας, τὸ ἀσύγκρατον καὶ ἀσυνάρμοστον καὶ μαχόμενον ἐκεῖθεν φερομένας (2). Ad differentiam corporum quod attinet, id unicuique statim sub oculos cadat, necesse est, ex tam varie constitutis sensuum instrumentis varias oriri, et quam maxime differentes, imo pugnantes phantasias (3). E quibus probabiliter effici potest, cum tanta sit animalium varietas, nos neque affirmare posse, res tales esse, quales nobis videantur, neque nostras phantasias animalium phantasiis praeferre.

Sed, quo magis intelligatur, hominum phantasiam animalium phantasiae non esse praeferendam, accuratior utriusque comparatio instituenda est. E qua, si quidem Stoicos in ratione definienda sequamur, apparebit, canem v. c. non minus quam hominem, rationis, quin etiam, secundum Chrysippum, dialectices esse participem (4).

Secundus modus est, ὁ ἀπὸ τῆς διαφορᾶς τῶν ἀνθρώπων. Homines enim, tum quod ad corpus, tum quod ad animum adtinet, a se invicem differunt. Et corporum quidem diversitas oritur ex humorum varietate, quae varias apud varios phantasias excitat. Deinde, quod alii aliis rebus gaudent, id magno argumento esse debet, iisdem rebus alios aliter affici. Ex hac corporum varietate sponte sequitur animorum discrepantia, τύπος γάρ τις ἐστι ψυχῆς σῶμα. Neque amplius hac de re dubitabimus, si infinitam illam Dogmaticorum διαφωνίαν respexerimus. Cujus διαφωνίας animadversio magnam vim habet ad ἐποχὴν inducendam. Nam aut omnibus, aut nonnullis assentiri debemus. Prius vero fieri non potest: nam omnium hominum, quae sit sententia, scire non possumus; et, si omnibus assentimur, certe contraria statuemus propter eorum dissensionem. Ut nonnullis assentiamur, rursus fieri nequit propter eamdem dissensionem; nam Platonicus Platoni, Epicureus Epicuro credendum esse dicet, et sic porro. Nullius igitur hominis phantasia alterius phantasiae est praeferenda (5).

---

(1) *Sext. Empir.* l. l. 40. (2) *Sext. Empir.* l. l. 41 — 43. (3) *Sext. Empir.* l. l. 44 — 61.

(4) *Sext. Empir.* l. l. 62 — 78.

(5) *Sext. Empir.* l. l. 79 — 89. De hac quaestione, an bruta ratione sint praedita, cff. quos laudat *Fabricius*, ad *Sext. Empir.* l. l. 63. not. G. Tractavit eam e recentioribus etiam *Wyttenbachius* v. Cl. *Institut. Metaphys.* pag. 146 sqq. Denique animadvertendum est, omnes omnino Scepticos quam maximè operam dedisse, ut hoc probarent, nominatim Montaigne et Humius. cf. *Städlin* l. l. pag. 397. not. 327.

Videamus jam de tertio modo, qui est *ἀπὸ τῆς διαφορᾶς τῶν αἰσθήσεων.* Quae sensuum differentia qualis sit, uno exemplo declarasse sufficiat. Differunt autem ita, ut v. c. mel oculis quidem ingratum, linguae gratissimum accidat. Utri igitur fidem habere oportet? At, dicat aliquis, natura *συνεμετρήσατο τὰς αἰσθήσεις πρὸς τὰ αἰσθητὰ*, aequabiliter metita est sensus ad sensibilia (1). Sed, quae tandem ista natura? Nam de hac ipsa, utrum existat, nec ne, tanta est inter Dogmaticos *διαφωνία* (2), ut dijudicari nequeat. *Ὁ γὰρ ἐπικρίνων αὐτὸ τοῦτο, εἰ ἐστὶ φύσις· εἰ μὲν ἰδιώτης εἴη, ἄπιστον ἔσται κατ' αὐτούς· φιλόσοφος δὲ ὢν, μέρος ἔσται τῆς διαφωνίας, καὶ κρινόμενος αὐτὸς, ἀλλ' οὐ κριτής* (3).

Sequitur quartus modus, *ὁ παρὰ τὰς περιστάσεις. Περιστάσεις* intelligimus *ἡμῶν τὰς διαθέσεις*, e quibus, quomodo dubitandi modus observari debeat, Sexti verbis declarabimus: *Θεωρεῖσθαι δ' αὐτὸν (τὸν τρόπον) φαμὲν ἐν τῷ κατὰ φύσιν, ἢ παρὰ φύσιν, ἐν τῷ ἐγρηγορέναι, ἢ καθεύδειν, παρὰ τὰς ἡλικίας, παρὰ τὸ κινεῖσθαι καὶ ἠρεμεῖν, παρὰ τὸ μισεῖν, ἢ φιλεῖν, παρὰ τὸ ἐνδεεῖς εἶναι, ἢ κεκορεσμένους, παρὰ τὸ μεθύειν, ἢ νήφειν, παρὰ τὰς προδιαθέσεις, παρὰ τὸ θαῤῥεῖν, ἢ δεδιέναι, ἢ παρὰ τὸ λυπεῖσθαι, ἢ χαίρειν.* Hasce conditiones magnam habere vim ad perceptiones nostras determinandas, et per se intelligitur, et e multis, a Sexto allatis, exemplis apparet. Neque dubium esse potest, quin homo semper in harum aliqua sit *περιστάσεων.* E quibus sponte ipsi oritur in percipiendo *διαφωνία* et cum se ipso et cum aliis. Quam cum dijudicare non possit, cavendum ipsi est, ne phantasiam phantasiae praeferat (4).

Quintus modus est *ὁ παρὰ τὰς θέσεις, καὶ διαστήματα, καὶ τοὺς τόπους.* Neque enim dubitari potest, quin secundum horum quodque, res eaedem aliter appareant. Sic navis e longinquo visa, parva; prope visa, magna apparet: sic remus, in aqua demersus, inflexus; extra aquam, rectus esse videtur. Ex his duobus exemplis satis intelligitur, quorsum hicce modus spectet. Plura si quis desideret, Sextum adeat. Praeterea non opus est, ut moneamus, hocce modo rursus phantasiarum diversitatem effici eam, quae non sinat alteram alteri praeferre. — Itaque assensum cohibeamus (5).

Progrediamur ad sextum modum, qui est *ὁ παρὰ τὰς ἐπιμιξίας· καθ' ὃν συνάγομεν, μηδὲν καθ' ἑαυτὸ ἡμῖν αὐτὸ ὑποπίπτειν, ἀλλὰ σύν τινι· ὁποῖον μέν ἐστι τὸ μίγμα, ἔκ τε τοῦ ἐκτὸς, καὶ τοῦ, ᾧ συνθεωρεῖται, τάχα δυνατὸν εἰπεῖν· ὁποῖον δὲ ἐστιν, τὸ ἐκτὸς ὑποκείμενον εἰλικρινῶς, οὐκ ἂν ἔχοιμεν λέγειν.* Apparet hujus modi ratio. Ostendendum est, res externas non per se, sed semper conjunctas cum aliis sub sensum cadere. E multis, quae Sextus affert, exemplis, unum hic repetendum videtur, ad rem illustrandam aptissimum. Etenim vox nullo modo, nisi conjuncta cum aëre, ad aures nostros accidere potest. Aër autem nunc tenuis, nunc crassior est. Quo fit, ut eadem vox cum tenui aëre alia appareat, alia cum crassiore. Quo sequitur, numquam nos, qualis vox per se sit, judicare posse. Haecce consideratio rursus celebrem illam *ἐποχὴν* nobis imponit (1).

---

(1) *Sext. Empir.* P. H. I, 90 — 98.

(2) Cf. *Arrianus*, *Diss. Epictet.* I. 6.

(3) Cf. *Fabricius*, ad §. 98. not. P.

(4) *Sext. Empir.* l. l. §. 1. 100 — 117.

(5) *Empir. Sext.* l. l. 118—123.

De septimo jam modo agamus, qui est *ὁ παρὰ τὰς ποσότητας καὶ σκευασίας τῶν ὑποκειμένων*. *Σκευασίας* intelligimus universe *συνθέσεις*. Hujus modi exemplum hoc est: ramenta cornu caprini, cum sine compositione conspiciuntur, alba esse videntur, composita in ipso cornu nigrum colorem habent. Idem multis in rebus observari potest. *Οὕτως ὁ κατὰ τὰς ποσότητας καὶ σκευασίας λόγος συγχεῖ τὴν τῶν ἐκτὸς ὑποκειμένων ὕπαρξιν* (2).

Octavus modus est *ὁ ἀπὸ τοῦ πρός τι, καθ' ὃν συνάγομεν ὅτι, ἐπεὶ πάντα ἐστὶ πρός τι, περὶ τοῦ τίνα ἐστὶν ἁπλῶς καὶ ὡς πρὸς τὴν φύσιν, ἐφέξομεν*. Illud autem *ἔστι* h. l. ut saepius, usurpatur pro *φαίνεται*. Relatio duplex est, *ἅπαξ μὲν ὡς πρὸς τὸ κρῖνον, τὸ γὰρ ἐκτὸς ὑποκείμενον καὶ κρινόμενον πρὸς τὸ κρῖνον φαίνεται· καθ' ἕτερον δὲ τρόπον πρὸς τὰ συνθεωρούμενα, ὡς τὸ δεξιὸν πρὸς τὸ ἀριστερόν*. Sequitur, ut ostendatur, omnia esse relata. Hoc vero jam patet ex iis, quos recensuimus, modis, sed praeterea ita fere probari potest. Dogmatici res dividunt in relatas (*τὰ πρός τι*) et absolutas (*τὰ κατὰ διαφορὰν*) (3). Hae igitur, si ab illis diversae sunt, et ipsae sunt relatae; nam omne quod diversum est, refertur ad id, a quo differt. Deinde secundum Dogmaticos, nominatim Peripateticos (4), eorum quae sunt, alia sunt *ἀνωτάτω γένη*, alia *ἔσχατα εἴδη*, alia *γένη καὶ εἴδη*: haec vero omnia referuntur ad aliquid: igitur omnia, quae sunt, sunt relata. Porro Dogmatici res dividunt in *πρόδηλα* et *ἄδηλα* (5). *Πρόδηλα* autem sunt ea, quae res sub sensum cadentes significant; *ἄδηλα*, quae a rebus sub sensum cadentibus significantur. Cum autem id, quod significat, et id, quod significatur, referatur ad aliquid, sequitur, omnia esse in relatione. Tum, eorum quae sunt, alia sunt similia, alia dissimilia, alia aequalia, alia inaequalia: haecce autem sunt relata: ergo omnia sunt relata. Denique, qui negat, omnia esse in relatione, id ipse invitus confirmat. Nam ostendit illud ipsum, *τὸ εἶναι πάντα πρός τι*, relationem habere ad Scepticos; cum sit eorum peculiaris opinio, non omnibus hominibus communis (6). Sed haec hactenus (7). Hunc autem modum uberius tractavimus, quod reliqui continentur fere exemplis, e quibus unum attulisse sufficiebat; hic argumentis, quae singula explicare operae pretium erat, quia omnia fere Scepticorum contra Dogmaticos argumenta ad hoc referri possunt, *omnia esse relata*, ut supra jam monuimus.

---

(1) *Sext. Empir.* l. l. 124—128.

(2) *Sext. Empir.* l. l. 129—134.

(3) Cf. etiam *Sext. Empir. adv. Math.* VIII. 37.

(4) *Fabricius* ad h. l. not. Q.

(5) Cf. *Sext. Empir.* P. H. II. 97 sqq. — *adv. Math.* VII, 25. VIII, 141 sqq.

(6) Cf. *Fabricius* ad h. l. not. T.

(7) Cf. *Sext. Empir.* P. H. I, 135—140.

Nonus modus est *ὁ κατὰ τὰς συνεχεῖς ἢ σπανίους συγκυρήσεις.* Quod semper sensibus percipimus, huic assuefimus; quod raro, hoc percutimur. Ex quo sequitur, nos dicere quidem posse, quomodo res aut raro aut frequenter nobis accidant; quomodo per se sint, minime. Vacillet igitur nostrum de rebus judicium, necesse est. Quare *ἐπέχομεν.* Uno exemplo rem illustrabimus. Sol certe multo magis admiratione dignus est, et multo majorem obstupefaciendi vim habet, quam cometa. Et tamen homines cum solem quotidie videant, huic adspectui ita adsueverunt, ut nihil inde percipiant admirationis; cometa contra, quem raro videmus, non modo admiratione, sed etiam terrore nos afficit (1).

Decimus denique modus est, *ὁ παρὰ τὰς ἀγωγὰς, καὶ τὰ ἔθη, καὶ τοὺς νόμους, καὶ τὰς μυθικὰς πίστεις, καὶ τὰς δογματικὰς ὑπολήψεις.* Primum videamus, quomodo haec singula definiantur: *Ἀγωγὴ μὲν οὖν ἐστιν αἵρεσις βίου ἢ τινος πράγματος περὶ ἕνα ἢ πολλοὺς γιγνομένη, οἷον περὶ Διογένην ἢ τοὺς Λάκωνας* (2). *Νόμος δέ ἐστιν ἔγγραφος συνθήκη παρὰ τοῖς πολιτευομένοις, ἣν ὁ παραβαίνων, κολάζεται. Ἔθος δὲ ἢ συνήθεια, (οὐ διαφέρει γὰρ) πολλῶν ἀνθρώπων κοινὴ πράγματός τινος παραδοχὴ, ἣν ὁ παραβὰς, οὐ πάντως καλάζεται· οἷον νόμος ἔστι τὸ μὴ μοιχεύειν, ἔθος δὲ ἡμῖν τὸ μὴ δημοσίᾳ γυναικὶ μίγνυσθαι. Μυθικὴ δὲ πίστις ἐστὶ πραγμάτων ἀγενήτων τε καὶ πεπλασμένων παραδοχὴ· οἷά ἐστιν ἄλλα τε καὶ τὰ περὶ τοῦ Κρόνου μυθευόμενα· ταῦτα γὰρ πολλοὺς* (leg. *τοὺς πολλοὺς*) *εἰς πίστιν ἄγει. Δογματικὴ δέ ἐστιν ὑπόληψις, παραδοχὴ πράγματος δι' ἀναλογισμοῦ ἤ τινος ἀποδείξεως κρατύνεσθαι δοκοῦσα· οἷον, ὅτι ἄτομά ἐστιν τῶν ὄντων στοιχεῖα.* Haec omnia cum vel sibi opponimus, (ut *ἔθος ἔθει*) vel aliis (ut *ἔθος ἀγωγῇ*), tantam reperimus discrepantiam, ut hic quoque modus nos prohibeat, quominus res tales esse statuamus, quales videantur. Itaque assensio retinenda est (3).

Haec cum ita ab antiquioribus Scepticis constituta essent (4), recentiores, nominatim Agrippa, his decem modis quinque addiderunt: *πρῶτον, τὸν ἀπὸ τῆς διαφωνίας· δεύτερον δὲ εἰς ἄπειρον ἐκβάλλοντα· τρίτον, τὸν ἀπὸ τοῦ πρός τι· τέταρτον τὸν ὑποθετικόν· πέμπτον τὸν διάλληλον* (5). Miratur Stäudlinus, quid sit, cur ille modus, *ὁ ἀπὸ τοῦ πρός τι*, hic rursus inducatur, cum jam inter decem illos antiquiores locum habeat. Conjicit igitur, junioribus Scepticis hoc propositum fuisse, ut illam *δεκάδα*, quam maxime fieri posset, ad minorem numerum redigerent. Quam conjecturam inde probabilem reddi putat, quod Sextus (6), non dicit, juniores istos quinque novos modos induxisse, sed tantummodo *παραδιδόασι τρόπους τῆς ἐποχῆς πέντε τούσδε* (7). Quod profecto non dixisset vir celeberrimus, nisi alius Sexti locus ipsum fugisset, ubi diserte aliter pronuntiatur: *τοιοῦτοι*, inquit, *μὲν* καὶ οἱ παρὰ τοῖς νεωτέροις παραδιδόμενοι πέντε τρόποι· οὓς ἐκτίθενται οὐκ ἐκβάλλοντες τοὺς δέκα τρόπους, ἀλλ' ὑπὲρ τοῦ ποικιλώτερον καὶ διὰ τοῦτο (leg. τούτων cum Salmasio) σὺν ἐκείνοις ἐλέγχειν τὴν τῶν δογματικῶν προπέτειαν (1)· Quocum consentit Diogenes Laërtius: οἱ δὲ περὶ Ἀγρίππαν τούτοις (decem illis modis) πέντε ἄλλους προςεισάγουσιν (2). Caeterum horum quinque modorum, quam multiplex fuerit usus in omni contra Dogmaticos pugna, pulchre ex Sexti Empirici operibus intelligi potest. Multos hanc in rem locos collegit Thorbecke V. Cl. (3). Nunc breviter singulos modos recenseamus. Et primus quidem ὁ ἀπὸ διαφωνίας ἐστὶ, καθ' ὃν περὶ τοῦ προτεθέντος πράγματος ἀνεπίκριτον στάσιν παρά τε τῷ βίῳ καὶ παρὰ τοῖς φιλοσόφοις εὑρίσκομεν γεγενημένην· δι' ἣν οὐ δυνάμενοι αἱρεῖσθαί τι ἢ ἀποδοκιμάζειν, καταλήγομεν εἰς ἐποχήν. Huicce modo inprimis se opposuit Posidonius, ut est apud Diogenem Laërtium (4). Secundus modus ὁ ἀπὸ τῆς εἰς ἄπειρον ἐκπτώσεως ἐστὶν, ἐν ᾧ τὸ φερόμενον εἰς πίστιν τοῦ προτεθέντος πράγματος, πίστεως ἑτέρας χρῄζειν λέγομεν, κἀκεῖνο ἄλλης μέχρις ἀπείρου (5). De tertio, τῷ ἀπὸ τοῦ πρός τι, non est, cur supra dicta repetamus. Quartus modus ὁ ἐξ ὑποθέσεως ἐστὶν, ὅταν εἰς ἄπειρον ἐκβαλλόμενοι οἱ δογματικοὶ, ἀπό τινος ἄρξωνται, ὃ οὐ κατασκευάζουσι· ἀλλ' ἁπλῶς καὶ ἀναποδείκτως κατὰ συγχώρησιν λαμβάνειν ἀξιοῦσιν (6). Denique ὁ διάλληλος (hicce Diogeni dicitur δι' ἀλλήλων) τρόπος συνίσταται, ὅταν τὸ ὀφεῖλον τοῦ ζητουμένου πράγματος εἶναι βεβαιωτικὸν, χρείαν ἔχῃ τῆς ἐκ τοῦ ζητουμένου πίστεως· ἔνθα μηδέτερον δυνάμενοι λαβεῖν πρὸς κατασκευὴν θατέρου, περὶ ἀμφοτέρων ἐπέχομεν (7). Apparet juniores Scepticos hisce modis inducendis Scepticen mirum quantum perfecisse. Nam decem illi modi pertinent tantummodo ad res sensibiles, et cogitationes ab illis excitatas: quinque isti ad dialecticam rationem sunt comparati et omni omnino humanae cognitioni interitum minantur (8). Igitur nulla est quaestio, quin ad hosce modos referri possit; quod multis deinceps argumentis ostendere conatur Sextus (9), quae hic explicare et longum est, nec ad nostrum institutum necessarium.

---

(1) *Sext. Empir.* P. H. I, 141—144.

(2) Cf. *Fabricius* ad h. l. not G.

(3) *Sext. Empir.* 145—163.

(4) *Diog. Laërt.* IX, 88.

(5) *Sext.* P. H. I, 164.

(6) l. l.

(7) *Stäudlin* l. l. p. 410. not. 328.

Adduntur apud Sextum duo modi, quorum auctor ignoratur. Sunt autem hujusmodi: I°. *Res esse incomprehensibiles ex se ipsae.* II°. *Res esse incomprehensibiles ex aliis.* Utrumque breviter ostenditur (10).

Haec de Pyrrhoniis dicta sufficiant. Nam post Sextum unus memoratur *Saturninus*, cujus nomen tantum ad nostram pervenit aetatem (11).

---

(1) *Sext. Empir.* l. l. 177. (2) l. l. (3) *Comm. laud.* p. 38 et 39.

(4) Cf. vir Cl. *J. Bake*, *de Posidonio* p. 37. sq.

(5) *Sext. Empir.* l. l. 166. (6) l. l. 168. cf. *Fabricius*, not. *Y* et *Z*.

(7) *Sext. Empir.* l. l. 169. cf. *Stephanus*, ann. 52.

(8) *Stäudlin*, l. l. pag. 410. not. 529. (9) §. 169—177.

(10) *Sext. Empir.* P. H. I, 178—179. (11) *Diog. Laert.* IX, 116.

CAPUT TERTIUM,

DE ACADEMICIS.

Platonis schola multas subiit vicissitudines, fuitque horum philosophorum magna inconstantia. Alii tres tantum Academias statuunt, alii quinque (1); quam quaestionem nunc non attingimus; hoc tantum moneamus, hoc loco disputationem nobis esse, de nova, quae dicitur, vel secunda Academia, quae originem duxit ab Arcesila. Hic enim plenum perfectumque Scepticismum in Academiam invexit. Cujus rei semina in ipsius sectae conditoris, Platonis, doctrina jam adfuerunt. Igitur per se patet, interfuisse aliquid inter recentioris Academiae et Pyrrhoniorum rationem. De quo jam antiquitus magna fuit quaestio (2), a multis etiam recentioribus agitata (3), quam nostra demum aetate diremisse censendus est Cl. Torbecke (4). Statim igitur ad Arcesilae de veri judicio sententiam accedamus.

Arcesilas Pitanaeus (5), varia usus est disciplina, unde et ipse varius exstitit. Numenius: Arcesilas, inquit, *ὑπὸ μὲν Κράντορος πιθανουργικὸς· ὑπὸ Διοδώρου δὲ σοφιστὴς, ὑπὸ δὲ Πύῤῥωνος ἐγένετο παντοδαπὸς, καὶ ἴτης, καὶ οὐδέν. ταῖς οὖν Διοδώρου διαλεκτικοῦ ὄντος λεπτολογίαις τοὺς λογισμοὺς τοὺς Πύῤῥωνος καὶ τὸ σκεπτικὸν καταπλέξας, διεκόσμησε λόγου δεινότητι τῇ Πλάτωνος φλήναφόν τινα κατεστωμυλμένον* (6). Cavendum certe est, ne quid nimis tribuamus Numenio, homini dogmatico, insano Scepticismi odio abrepto: sed tamen negari nequit, multum in hisce verbis inesse veritatis. Ad hanc institutionis varietatem, cum accederet magna eloquentia, quae facile cuiquam quidquam persuaderet (1), apparet, parvo opus fuisse momento, quod animum ad Scepticismum pronum penitus deprimeret. Hocce momentum Zenonis dedit philosophia, qui mirum quantum a genuina Platonis doctrina deflexerat. Etenim sensibus fidem veritatemque tribuit (2), et veri judicium in *καταληπτικῇ φαντασίᾳ* posuit. Hanc doctrinam postea explicabimus: illud hoc loco animadvertendum est, eam sibi oppugnandam sumsisse Arcesilam, ut Platonis vindicaret auctoritatem (3). Quod ut faceret, *ἐποχὴν* induxit, suamque ipse sententiam celavit (4).

---

(1) Cf. *Euseb.* P. E. XIV, 726, D. seq. *Sext. Empir.* P. H. I. 220. *Diog. Laërt. Prooem.* 14, 19. IV. *Cic. de Orat.* III. 18. *Acad. Quaest.* I, 4, 12, 13. *de Fin.* V. 3. *August. contra Acad.* III, 17, 18. *Fabricius* ad *Sext. Empir.* l. l. not. N. *Meiners*, *Gesch. der Weltweisheit*, p. 142. *Krugius*, l. l. p. 225. not. C.

(2) *Aenesidemus* apud *Photium*, cod. 212, p. 544, 545. *Aul. Gell.* N. A. XI, c. 5. *Sext. Empir.* P. H. I, 33.

(3) Ex his nominasse sufficiat *Huetium*, *Traité de la foibl. de l'esprit humain*, liv. I. ch. 14. p. 136—148. *Bayleum*, *Dict. Art. Pyrrhon.* not. A. *Meinersium*, *Gesch. der Weltweish.* p. 148.

(4) *Comm. laud. inprimis*, p. 77—91.

(5) Cf. *Bayle*, *Dict. art. Arcesilas*, not. A.

(6) Apud *Euseb.* P. E. XIV, 729 C.D. 730 A. De variis autem Arcesilae praeceptoribus cf. idem *Numenius* ibid. p. 731 A. *Diog. Laërt.* IV, 28, 29, 33. *Cic. Acad.* I. 10. *De fin.* V. 31. *De Orat.* III. 18. *August. contra Acad.* III. c. 17. p. 453 D.

Alii tamen aliter statuunt. In his Diocles Cnidius, qui, ut refert Numenius, dixit, Arcesilam assensum retinuisse metu Theodoreorum et Bionis Sophistae (5). Hanc Dioclis rationem jam ipse improbavit Numenius, et ita refutavit Bayleus, ut nihil nobis dicendum relinqueret (6). Alia autem quaestio haec est: utrum Arcesilas ex animi sententia veri notam sustulerit, an vero unice ad Stoicos refutandos. Cicero igitur apud Augustinum Academicorum *ἐποχὴν* ita explicat, ut iis esotericam quamdam et exotericam sententiam tribuat. In hac, assensus retentione sese tegebat Arcesilas; secundum illam, familiaribus, quos longa consuetudine cognitos habebat, Platonis decreta tradere consueverat (7). Quocum egregie convenire videtur id, quod est apud Sextum Empiricum: *εἰ δὲ δεῖ καὶ τοῖς περὶ αὐτοῦ λεγομένοις πιστεύειν, φασὶν ὅτι κατὰ μὲν τὸ πρόχειρον*, Πυῤῥώνειος *ἐφαίνετο εἶναι, κατὰ δὲ τὴν ἀλήθειαν, δογματικὸς ἦν· καὶ ἐπεὶ τῶν ἑταίρων ἀπόπειραν ἐλάμβανε διὰ τῆς ἀπορηματικῆς, εἰ ἀφυῶς ἔχουσι πρὸς τὴν ἀνάληψιν τῶν* Πλατωνικῶν *δογμάτων, δόξαι αὐτὸν ἀπορητικὸν εἶναι· τοῖς μέντοι γε εὐφυέσι τῶν ἑταίρων τὰ* Πλάτωνος *παρεγχειρεῖν* (8). Hisce igitur Ciceronis et Sexti locis sibi invicem comparatis, nonnulli adducti sunt in eam opinionem, ut statuerent, Arcesilam scepticam *ἐποχὴν* modo simulasse ad Zenonem refutandum; revera autem quidvis aliud studuisse, quam ut veri criterium tolleret (9). Bayleus hancce quaestionem non facile dirimi posse existimavit (10). Nobis unice probatur ratio Cl. Torbeckii mediam quamdam viam ingressi, et ita statuentis: isti narrationi, de Arcesilae esoterica doctrina, sanequam aliquid inesse veritatis, sed tamen inde non effici, Arcesilam non ex animi sententia criterium veri sustulisse (11).

---

(1) *Numen.* apud *Euseb.* P. E. XIV, p. 730 D. 731 D. 733 C.

(2) *Pseudo-Plut. de placitis Philosoph.* IV, 8, p. 287. 21, p. 294, seq. *Cic. Acad. Quaest.* I, 12. II, 10.

(3) *Numen.* apud *Euseb.* P. E. XIV. p. 738 B. *Cic. Acad. Quaest.* II, 14, *August. contra Acad.* II, 5, p. 526. D.

(4) *August. contra Acad.* III., 17, 443 D.

(5) Apud *Euseb.* P. E. XIV, 731 B. C.

(6) *Dict. art. Arcesilas.* not. E.

(7) *August. contra Acad.* III. 20, p. 455 D.

(8) *Sext. Empir.* P. H. I. 234.

(9) Cf. *Stäudlin*, l. l. p. 312, 313.

(10) *Dict. art. Arcesilas* not. E.

(11) *Comm. laud.* p. 59. Nonnihil tamen debuit *Krugio* l. l. p. 237. not. d.

Quidquid hujus rei sit, id saltem constat, et ex aliis etiam veterum locis apparet (1), Arcesilam, cum Zenone disputantem, veri notam rejecisse. Igitur hic eodem illi modo ac Pyrrhoniis occurrebat: secundum hanc rationem nullam esse posse virtutem, nullam in vita actionem. Hanc reprehensionem ita eluebat Arcesilas, ut *τὸ εὔλογον* s. *πιθανὸν*, *probabile*, adscisceret, idque sibi agendi regulam esse diceret: *ἀλλ' ἐπεὶ μετὰ τοῦτο ἔδει καὶ περὶ τῆς τοῦ βίου διεξαγωγῆς ζητεῖν, ἥτις οὐ χωρὶς κριτηρίου πέφυκεν ἀποδίδοσθαι, ἀφ' οὗ καὶ ἡ εὐδαιμονία, τοῦτ' ἔστι τὸ τοῦ βίου τέλος, ἠρτημένην ἔχει τὴν πίστιν, φησὶν ὁ 'Αρκεσίλαος, ὅτι ὁ περὶ πάντων ἐπέχων κανονιεῖ τὰς αἱρέσεις καὶ φυγὰς καὶ κοινῶς τὰς πράξεις τῷ εὐλόγῳ* (2). Hoc igitur primum est vestigium alicujus doctrinae vel *systematis probabilitatis practicae*, quod deinde a Carneade aliisque ad perfectionem est adductum.

Sequitur jam, ut ipsius disputandi et argumentandi rationem breviter delineamus. Arcesilas formam disserendi revocavit Socraticam, i. e. suam ipse sententiam celabat, aliorum sententiam eliciebat et refutabat (3). Zenoni, quocum ipsi res erat, non obtrectavit, sed magnum prodidit veri studium (4). Ut Pyrrhonii, sic etiam Arcesilas ad antiquos illos, Anaxagoram, Empedoclem, alios, provocare solebat, ut ex laudatis Ciceronis locis apparet. Disertus quoque hanc in rem est locus Plutarchi adversus Colotem (5). Illud majoris est momenti, quod habet Diogenes Laërtius Arcesilam scepticum illum dubitandi modum, *τὸν ἀπὸ τῆς διαφωνίας*, in Academiam intulisse: *οὗτός ἐστιν ὁ τῆς μέσης 'Ακαδημίας κατάρξας πρῶτος, ἐπισχὼν τὰς ἀποφάσεις διὰ τὰς ἐναντιότητας τῶν λόγων* (6). Caeterum ipsa argumenta, quibus Arcesilas Zenonis *καταληπτικὴν φαντασίαν* tollebat, non supersunt. Retulit tamen Sextus ejusmodi ipsius disputationem, e qua intelligi potest, quamnam viam ingressus sit. Hanc non alienum videtur breviter hic referre. Zeno igitur criterium faciebat *τὴν καταληπτικὴν φαντασίαν* i. e. *τὴν ἀληθῆ, καὶ οἵα οὐκ ἂν γένοιτο ψευδής*. Huic phantasiae si assentimur, habemus *κατάληψιν*, *comprehensionem*, quae medium quemdam locum tenet inter *ἐπιστήμην*, *scientiam*, et *δόξαν*, *opinionem*. Illa tantummodo in perfectum illum Stoicum sapientem cadere potest, hujus stultus est particeps. Utraque ortum habet ex *καταλήψει*, quae et sapientis et stulti est (7). His ita sese opposuit Arcesilas, ut diceret: nullam ejusmodi *κατάληψιν*, scientiae et opinioni interjacentem, ex-

---

(1) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 150, seqq. *Plut. adv. Colot.* XXIV, p. 253. *Cic. Acad. Quaest.* I, 12. II, 20, 24, 33, 34. caet. *August. contra Acad.* III, c. 17. p. 454 c.

(2) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 158. cf. *Idem*, P. H. I, 231. *Cic. Acad. Quaest.* II, 33, 34, aliisque.

(3) Cf. *Cic. de Fin.* II, 1. *de Orat.* III, 18. *Acad.* I, 12.

(4) *Cic. Acad. Quaest.* I, 12. II, 6. cf. tamen *Numenius* apud *Euseb.* P. E. 14. p. 729 C. et *Bayleus*, *Dict. art. Arcesilas* not. E.

(5) Cap. 26, p. 256, seq.

(6) *Diog. Laërt.* IV, 28.

(7) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 151, 152. *Cic. Acad.* I, 12.

exstare. Nam cadit illa κατάληψις aut in sapientem, aut in stultum; si in sapientem, erit scientia, si in stultum, erit opinio, ut comprehensionis nil nisi nomen relinquatur (1). Praeterea si comprehensio talis est, qualem eam Stoici definiunt, nempe συγκατάθεσις τῆς καταληπτικῆς φαντασίας, haud magis exstare poterit. Primum, quia numquam phantasiis, semper rationibus et pronuntiatis (ἀξιώμασι) assentimur. Deinde, quia nulla exstat καταληπτικὴ φαντασία i. e. ejusmodi, quae falsa esse non potest. Porro, si nulla est καταληπτικὴ φαντάσία, omnia erunt incomprehensibilia (2). Quod si ita est, cadat quoque necesse est illud Stoicorum paradoxon: *sapientem assentiri quidem, numquam autem opinari.* Nam si omnia sunt incomprehensibilia et sapiens alicui rei assentitur, necesse est, ut assentiatur ei, quod comprehendi nequit. Ejus autem, quod incomprehensibile est, assensio, est opinio. Quare secundum Stoicorum placita sapiens aliquando etiam opinabitur (3). Dicendum potius, sapientem oportere omnes retinere assensus, ut opinionem vitare possit. Nam revera nihil minus, quam opinio, sapientem decet (4).

De *Lacyde*, Arcesilae successore, nihil fere nobis innotuit, quam ridicula illa narratio, quam Numenius (5) et Diogenes (6) servarunt. *Evandri*, *Teleclis*, et *Hegesini* nomina eadem oblivione premuntur (7). Quam ob rem statim progrediamur ad *Carneadem*.

Hic, ab Hegesino (8) Academiae mysteriis initiatus, mira floruit eloquentiae laude, quam ipsi negare, ne inimici quidem potuerunt (9). Testis sit celebris illa, quam Romae habuit, ἐπίδειξις de justitia, cujus fragmenta quaedam nobis servavit antiquitas (10). Ex his illius sceptica philosophandi ratio quam maxime apparet. Praeterea, magistro Diogene Stoico, ita ad dialectices intelligentiam profecit, ut hac in re ne ipsis quidem Stoicis cederet (11). Quo facto majori cum fructu eos oppugnavit. Praecipue etiam Chrysippi libris operam dedit (12). Nam ut Arcesilae cum Zenone, sic Carneadi cum Chrysippo fuit contentio. Hinc ille saepe in ore habebat illud: εἰ μὴ γὰρ ἦν Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν ἐγώ (13).

Ad nostram quaestionem quod attinet, primum quidem in universum statuit, ὅτι οὐ-

---

(1) *Sext. Empir.* l. l. 153.

(2) *Sext. Empir.* l. l. 154, 155.

(3) Idem ibid. 156, 157. *Cic. Acad. Quaest.* II, 18, 33, 35.

(4) *Sext. Empir.* ibid. *Cic.* ibid. c. 21, 25.

(5) Apud *Euseb.* P. E. XIV, p. 734, 735.

(6) *Diog. Laërt.* IV, 59.

(7) *Cic. Acad.* II, 6. *Diog. Laërt.* IV, 60.

(8) *Cic.* l. l.

(9) *Numen.* apud *Euseb.* P. E. XIV, 737 E. 738 D. cf. *Cic. de Orat.* II, 38.

(10) *Plut.* in vita *Catonis maj.* c. XXII, p. 349. cf. *Bayle*, *Dict. art. Carneade* not. G. H. Alias Carneadis dissertatiunculas servavit *Cic. Nat. Deor.* III, 12. 17. *de Fato*, c. 14. *de Divin.* II, 3.

(11) *Euseb.* P. E. XIV, p. 737. A. *Cic. Acad. Quaest.* II, 30.

(12) *Diog. Laërt.* IV, 62.

(13) *Diog. Laërt.* l. l.

οὐδέν ἐστιν ἁπλῶς ἀληθείας κριτήριον, οὐ λόγος, οὐκ αἴσθησις, οὐ φαντασία, οὐκ ἄλλο τι τῶν ὄντων (1). Rogatus autem et ipse de criterio ad vitam instituendam, refugit ad *τὸ πιθανὸν*, ab Arcesila jam excogitatum, sed quod ita amplificavit; ut haud exiguam inventionis laudem sibi vindicaret. En summam viri sententiam: vivendi criterium est *ἡ πιθανὴ φαντασία καὶ ἡ πιθανὴ ἅμα καὶ ἀπερίσπαστος καὶ διεξωδευμένη* (2). Quam ita fere explicavit. Primum phantasiam duplicem distinxit: Cicero, *duo*, inquit, *placet esse Carneadi genera visorum: in uno hanc divisionem, alia visa esse, quae percipi possint: alia quae non possint: in altero autem, alia esse visa probabilia, alia non probabilia* (3). Ad priorem divisionem pertinent omnia, quae contra sensus perspicuitatemque dicuntur, i. e. omnis quaestio de veri falsique nota, quam, ut vidimus, nullam certam esse judicabat: contra posteriorem nihil dicendum est, nam ea continetur probabilitas, i. e. *ἡ φαινομένη ἀληθὴς φαντασία*, quam variis nominibus appellare consueverant Academici, sive *ἔμφασιν*, sive *πιθανότητα*, sive *πιθανὴν φαντασίαν*: huic opponitur *ἡ οὐ φαινομένη ἀληθὴς φαντασία*, quam et *ἀπέμφασιν*, et *ἀπειθῆν*, et *ἀπίθανον φαντασίαν* appellare licet, quaeque rejicienda est (4).

Sed *πιθανῆς φαντασίας* rursus duplicem fecit divisionem:

Prior est triplex: nam probabile, aut verum est et simul verum videtur: aut falsum est et nihilominus verum videtur: aut verum utriusque commune, quod tum fit, cum duo enunciationes ita sibi ex parte contrariae sunt, ut se invicem plane non tollant (5). In hac igitur divisione, probabilis phantasia cum vera comparatur: quae autem vera videtur phantasia, ea est quodammodo veri criterium. Sed etiam casus incidere possunt, ut communi phantasia uti debeamus, h. e. ejusmodi, quae et vera est, et falsa. Tum sequi oportet eam, quae plurimum vera est, *τὴν ὡς τὸ πολὺ ἀληθεύουσαν*.

Altera probabilis phantasiae divisio inducitur a Carneade secundum majorem vel minorem perspicuitatem (6). Tres autem sunt probabilitatis gradus, tamquam catena sibi invicem conjuncti, qui totidem criteria efficiunt. Primum igitur criterium est simplex illa *πιθανὴ φαντασία*. Hac utebatur Carneades, vel in rebus minoris momenti, vel cum, temporum angustiis, accuratior excluderetur consideratio. Deinde, si phantasia est *πιθανὴ ἅμα καὶ ἀπερίσπαστος*, i. e. ejusmodi, ut cum ea aliae simul phantasiae conjunctae occurrant; neque repugnent: quo fit ut illa phantasia *καὶ αὐτὴ πλάτος ἔχειν* videatur, *διὰ τὸ ἄλλην ἄλλης μᾶλλον ἀπερίσπαστον εὑρίσκεσθαι*: tum major oritur probabilitatis firmitas. Atque hoc alterum Carneadis est criterium, quo in majoris momenti rebus utebatur, si quidem tempora sinerent. Ultimus denique probabilitatis gradus, in quo maxima est verisimilitudo, existit, cum *φαντασία* est *πιθανὴ ἅμα καὶ ἀπερίσπαστος καὶ διεξωδευμένη* sive *περιωδευμένη*. Quae tunc oritur, cum singulae illae probabiles phantasiae, quarum concursu *ἀπερίσπαστος* efficitur phantasia, accurate examinatae, nihil verisimilitudinis amittant. Hocce autem criterio utebatur tum, cum per otium sibi bene beateque vivendi normam constitueret (1). Haecce probabilitatis genera attigit etiam Cicero, eorumque nomina ita Latine transtulit, ut primum diceret *primo quasi adspectu probabile* vel *probabilem visionem:* alterum *probabile et quod non impediatur:* tertium *ex circumspectione quadam et accurata consideratione probabile* (2).

---

(1) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 159.

(2) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 166. P. H. I, 227.

(3) *Cic. Acad. Quaest.* II, 31. *Sext.* l. l. 167, 168.

(4) *Cic.* l. l. *Sext. Empir.* l. l. 169, 170.

(5) *Sext. Empir.* l. l. 174. cf. *adv. Math.* II, 63.

(6) *Sext. Empir.* l. l. 171, 172, 173.

Carneades igitur omnem veritatis per criterium cognitionem, quatenus eam Stoici ponebant, sustulit. Minime tamen is erat, qui ipsam veritatem tolleret, imo vero probabili suo ita assensus est, ut ei aliquanto minus quam alii ipsi vero tribueret (3). Secundum hanc rationem intelligendus esse videtur Eusebius: (Καρνεάδης), inquit, *λόγων μὲν οὖν ἀγωγῇ ἐχρήσατο, ᾗ καὶ ὁ Ἀρκεσίλαος· καὶ γὰρ αὐτὸς ἐπετήδευε τὴν εἰς ἑκάτερα ἐπιχείρησιν, καὶ πάντα ἀνεσκεύαζε τὰ ὑπὸ τῶν ἄλλων λεγόμενα· μόνῳ δ' ἐν τῷ περὶ τῆς ἐποχῆς λόγῳ πρὸς αὐτὸν διέστη, φὰς ἀδύνατον εἶναι ἄνθρωπον ὄντα περὶ ἁπάντων ἐπέχειν, διαφορὰν δὲ εἶναι ἀδήλου καὶ ἀκαταλήπτου, καὶ πάντα μὲν εἶναι ἀκατάληπτα, οὐ πάντα δὲ ἄδηλα* (4). Fuerunt tamen alii, qui statuerent, Carneadem suo *πιθανῷ* non ita vehementer assensum fuisse. Hanc dissensionem magna diligentia et magno acumine tractavit Cl. Thorbecke (5). Quare nos hoc loco breviores esse cogimur.

Duobus modis aliquid sequi possumus: vel ita ut simpliciter nos moveri dicamus, vel ita ut magna cum animi propensione ducamur, et quasi trahamur. Sextus Empiricus: *τὸ πείθεσθαι λέγεται διαφόρως· τὸ τὲ μὴ ἀντιτείνειν, ἀλλ' ἁπλῶς ἕπεσθαι, ἄνευ σφοδρᾶς προςκλίσεως καὶ προςπαθείας· ἅπαξ δὲ τὸ μετὰ αἱρέσεως καὶ οἱονεὶ συμπαθείας κατὰ τὸ σφόδρα βούλεσθαι συγκατίθεσθαί τινι* (6). Igitur secundum Clitomachum apud Ciceronem Carneades prima illa ratione usus est, et probabilia sua leniter et sine vehementi assensione secutus est (7). In hanc sententiam convenerunt etiam alii veterum, inter quos Plutarchus (8) et Numenius (9), qui quamvis universe de Academicis loquuntur, tamen du-

---

(1) Cf. *Sext. Empir.* P. H. II, 127, seqq. ibique *Fabricius*. not. F. *adv. Math.* VII, 176—191. 436—438.

(2) Cf. *Acad. Quaest.* II, 11. ibiq. *Faber*, annot. p. 365. et *Davisius*. Deinde videantur cap. 18, 31, 32, 33. Caeterum hancce Carneadeam probabilitatis theoriam explicavit *Städlinus*, l. l. p. 318—324.

(3) Cf. *Numenius* apud *Euseb.* P. E. XIV, 738 A. *Bayleus*, *Dict. art. Carneade* not. B. *Städlin*, l. l. p. 326. *Wyttenb. Praecept. Logic.* III, 2, 8.

(4) P. E. XIV, p. 736, D.

(5) *Comm. laud.* p. 68, seqq.

(6) *Sext. Empir.* P. H. I, 230.

(7) *Acad. Quaest.* II, 32.

(8) *De Stoicorum repugn.* cap. XLVII, p. 106. *adv. Colot.* cap. XXVII, p. 257, seq.

(9) *Numenius* apud *Stobaeum*, *Eclog.* I, 52. n°. 21. p. 132, 834. edit. Heeren., cui loco ultimus, quem citavimus, Plutarchi est adhibendus.

dubium non est, quin nobilissimi Academici sententiam describant. Contra horum auctoritatem adducitur Sextus: *ἐπειδὴ οἱ μὲν περὶ Καρνεάδην καὶ Κλειτόμαχον, μετὰ προςκλίσεως σφοδρᾶς πείθεσθαί τε καὶ πιθανὸν εἶναί τί φασιν· ἡμεῖς δὲ κατὰ τὸ ἁπλῶς εἴκειν ἄνευ προςπαθείας· καὶ κατὰ τοῦτο ἂν αὐτῶν διαφέροιμεν* (1). Et vero hanc Sexti rationem vero proximam esse, dubitari non sinit ipsa Carneadei placiti indoles. Cur enim tantam operam dedisset, ut varios probabilitatis gradus distingueret, si huic probabilitati non nisi leviter assentiri vellet? Itaque maneamus in ea sententia, quam supra proposuimus, Carneadem ita secutum esse *τὸ πιθανὸν*, ut in eo etiam aliquam veri falsique regulam poneret (2).

Hinc autem factum est, ut Carneades in inconstantiae veniret suspicionem. Nam nonnulli illam probabilitatis laudationem ita accipiebant, ac si opinionem quoque admisisset. *Opinari* autem intelligimus *falso et incognito assentiri* (3). Sed recte Cicero alio in loco: *licebat*, inquit, *nihil percipere et tamen opinari, quod a Carneade dicitur probatum. Equidem Clitomacho plus quam Philoni aut Metrodoro credens, hoc magis ab eo disputatum quam probatum puto* (4).

Carneadis auditor fuit *Clitomachus Carthaginiensis*, de quo ita Diogenes Laërtius: *ἀνὴρ ἐν ταῖς τρισὶν αἱρέσεσι διατρίψας, ἔν τε τῇ Ἀκαδημαϊκῇ, καὶ Περιπατητικῇ, καὶ Στωϊκῇ* (5): quod ita accipiendum esse videtur, Clitomachum omnium horum doctrinam cognitam perspectamque habuisse, non eum unicuique harum sectarum deinceps nomen dedisse. Certe Cicero affirmat, eum a Carneadis doctrina non recessisse (6). Sextus quoque saepius utrumque conjunxit.

Clitomachum secuti sunt *Charmadas* (7), *Metrodorus Scepsius* (8), *Melanthius Rhodius* (9), *Aeschines Neapolitanus* (10), *Metrodorus Stratoniceus* (11). Horum omnium paullo obscuriora sunt nomina; unus Charmadas, a quibusdam cum *Philone Larissaeo*, auctor quartae Academiae fuisse dicitur (12). De hocce Philone jam uberius videamus.

Et vero dignissimus fuit, qui Clitomacho succederet. *Quoad enim vixit, patro-*

---

(1) *Sext. Empir.* P. H. I, 230. cf. ejusdem libri §. 228. *adv. Math.* VII, 188.

(2) Locis supra laudatis addatur *Cic. Acad. Quaest.* I, 10. II, 31, 32.

(3) Cf. *Cic. Acad. Quaest.* II, 19, 21, 35, 48.

(4) *Acad. Quaest.* II, 24.

(5) *Diog. Laërt.* IV, 67.

(6) *Acad. Quaest.* II, 31.

(7) *Sext. Empir.* P. H. I, 220. ibique *Fabricius*, not O. *adv. Math.* II, 20. ibique *Fabricius*, not. O. *Cic. de Orat.* I, 11, 18, 20. II, 8. *Orat.* c. 16. *Acad. Quaest.* II, 16. *Tuscul.* I, 24. ibique Davisius.

(8) *Cicero de Orat.* I, 11. II, 38. *Tuscul.* I, c. l.

(9) *Cic. Acad. Quaest.* I, 6.

(10) *Cic. de Orat.* I, 11.

(11) *Cic. de Orat.* l. l. III, 20. *Acad. Quaest.* II, 6.

(12) *Euseb.* P. E. XIV, 726 D. *Sext. Empir.* P. H. I, 220.

cinium Academiae non defuit (1). A superiorum Academicorum ratione magis deflexit: Numenius, Ὁ δὲ Φίλων, inquit, *ἄρα οὗτος, ἄρτι μὲν ἐκδεξάμενος τὴν διατριβὴν, ὑπὸ χαρμονῆς ἐξεπέπληκτο, καὶ χάριν ἀποδιδοὺς ἐθεράπευε, καὶ τὰ δεδογμένα τῷ* Κλειτομάχῳ *ηὖξε, καὶ τοῖς Στωϊκοῖς ἐκορύσσετο νώροπι χαλκῷ· ὡς δὲ προϊόντος μὲν τοῦ χρόνου, ἐξιτήλου δὲ ὑπὸ συνηθείας οὔσης αὐτῶν τῆς ἐποχῆς, οὐδὲν μὲν κατὰ τὰ αὐτὰ ἑαυτῷ ἐνόει, ἡ δὲ τῶν παθημάτων αὐτὸν ἀνέστρεφεν ἐναργεία τε καὶ ὁμολογία.* Πολλὴν δῆτ' *ἔχων ἤδη τὴν διαίσθησιν ὑπερεθύμει, εὖ οἶσθ' ὅτι, τῶν ἐλεγξόντων τυχεῖν, ἵνα μὴ ἐδόκει μετὰ νῶτα βαλὼν αὐτὸς ἑκὼν φεύγειν* (2). Agnovimus Dogmaticorum contra Ephecticos acerbitatem: id tamen ex hoc loco luce clarius apparet, Philonem paulatim *τὴν ἐποχὴν* deseruisse, et ad Dogmatismum inclinasse. Sufficiat Luculli apud Ciceronem, et Sexti Empirici hanc in rem testimonia adscripsisse. Lucullus: *Philo autem, dum nova quaedam commovet, quod ea sustinere vix poterat, quae contra Academicorum pertinaciam dicebantur, et aperte mentitur, et, ut docuit Antiochus, in id ipsum se induit, quod timebat. Cum enim ita negaret quidquam esse, quod comprehendi posset, si illud esset, sicut Zeno definiret, — judicium tollit incogniti et cogniti: ex quo efficitur nihil posse comprehendi: ita imprudens eo, quo minime vult, revolvitur* (3). Sextus Empiricus: *οἱ δὲ περὶ Φίλωνά φασιν, ὅσον μὲν ἐπὶ τῷ Στωϊκῷ κριτηρίῳ, τοῦτ' ἔστι τῇ καταληπτικῇ φαντασίᾳ, ἀκατάληπτα εἶναι τὰ πράγματα· ὅσον δὲ ἐπὶ τῇ φύσει τῶν πραγμάτων αὐτῶν, καταληπτά* (4). Ex hisce locis simul discimus, quid de incomprehensibilitate statuerit Philo. Nimirum res per se *comprehendi posse* dabat, *a nobis comprehendi negabat*; vehementiori igitur assensu probabilia secutus est (5).

Hactenus de Academicis. Nam qui post Philonem fuit Antiochus penitus ad Dogmatismum se contulit, et, ut Sexti verbis utar, *τὴν Στοὰν μετήγαγεν εἰς τὴν Ἀκαδημίαν* (6).

CAPUT QUARTUM.

DE SCEPTICISMO INTER ROMANOS.

Romani philosophiam, ut omne literarum studium, Graecis acceptam referunt. Academicorum autem Scepticismus inter eos haud paucos amicos habuisse videtur. Etenim illo

---

(1) *Cic. Acad. Quaest.* II, 6. *de Orat.* III, 18. *August. contra Acad.* III, 18. §. 454 D.

(2) Apud *Eusebium*, P. E. XIV, p. 739 B, C.

(3) *Acad. Quaest.* II, 6.

(4) *Sext. Empir.* P. H. I, 235.

(5) Cf. *Städlin*, l. l. p. 341, 342. *Thorbecke*, *comment. laud.* 94, sq.

(6) *Sext. Empir.* P. H. I, 235.

ipso tempore, quo tres illi legati, Diogenes Stoicus, Critolaüs Peripateticus, et Carneades Academicus philosophiam Italiae importaverunt, Carneades maxime hominum studia in se convertit (1). Sed unus instar omnium est *Cicero*, qui caeteris de patria meritis hunc veluti cumulum adjecit, ut philosophiam latine loqui doceret (2). Quae tamen opera ab aequalibus non recte aestimata fuisse videtur (3). Cicero igitur Clitomachum audivit et Philonem, cui se totum tradidit (4) et cujus rationem, id est modestum Scepticismum probavit. Id clarissime patet ex Lucullo, in quo, quae ex sua ipse persona disserit, suam ipsius sententiam continent. Plutarchus: *ὃν* (Antiochum) *πάσῃ σπουδῇ ποιησάμενος φίλον ὁ Λούκουλλος, καὶ συμβιωτὴν, ἀντέταττε τοῖς Φίλωνος ἀκροαταῖς, ὧν καὶ Κικέρων ἦν. Καὶ σύγγραμμά γε πάγκαλον ἐποίησεν εἰς τὴν αἵρεσιν, ἐν ᾧ τὸν ὑπὲρ καταλήψεως λόγον Λουκούλλῳ περιτεθείκει, αὐτῷ δὲ τὸν ἐναντίον* (5). Non igitur audiendi sunt isti, qui contendant Ciceronem, utpote Academicum, nulla de re statuisse, de omnibus dubitasse (6). In his Augustinus, qui ita de Cicerone locutus est: *quis ignorat, eum affirmasse vehementer, nihil ab homine percipi posse, nihilque remanere sapienti, nisi diligentissimam inquisitionem veritatis* (7).

Sequitur *Favorinus Gallus*, qui Trajani et Hadriani temporibus Romae vixit (8). Amicus fuisse videtur Auli Gellii, qui ipsum in Noctibus Atticis saepius ad partes vocavit (9). Hujus viri scripta fere omnia ad Scepticam rationem spectarunt. Scripsit autem *de comprehensiva imaginatione*, *de Academica propositione*, *solem non posse comprehendi*, *tropos Pyrrhonios* (10), quem ultimum librum magna laude afficit Philostratus (11). Favorini Scepticismi mira fuit inconsequentia. Nunc enim ne solem quidem comprehendi posse affirmabat, nunc discipulis suis de rebus judicandi facultatem tribuit. Galenus: *οἱ νεώτεροι δὲ*, (Academici) *οὐ γὰρ μόνος Φαβωρῖνος, ἐνίοτε μὲν εἰς τοσοῦτον προάγουσι τὴν ἐποχὴν, ὡς μηδὲ τὸν ἥλιον ὁμολογεῖν εἶναι κατάληπτον, ἐνίοτε δὲ εἰς τοσοῦτον τὴν γνῶσιν, ὡς καὶ τοῖς μαθηταῖς ἐπιτρέπειν αὐτὴν ἄνευ τοῦ διδαχθῆναι πρό-*

---

(1) Cf. *Stäudlin*, l. l. p. 344.

(2) Cf. *Plutarch. vit. Cic.* c. XL. p. 881.

(3) Cf. *Cicero*, *Acad. Quaest.* I, 1—3. II, 1—8. *De Finib.* 1—4. *Tusc.* I, 1—4. II, 1—3. *De Nat. Deorum* I, 1—5. *De Divin.* II, 12. *Orat. pro Sextio* initio. *Plutarch. vit. Cic.* c. V, 863.

(4) *Acad. Quaest.* II, 6. *Brut.* 89. *Plutarch. vit. Cic.* II, 861.

(5) *Plutarch. vit. Luculli*, c. XLII, p. 520.

(6) *Cic. de Offic.* II, 2. *De Nat. Deorum* I, 5. *Acad. Quaest.* II, 4. De Ciceronis Academica ratione cf. *Wyttenbach in dissert. de immort. animi.* Opusc. II, 637 sq.

(7) *Contra Acad.* I, c. 2. p. 513 B. C.

(8) *Philostrat. vit. Sophist.* p. 493 sqq. *Suidas* voce Φαβωρῖνος.

(9) *Aul. Gellius* N. A. I, 3, 10. II, 1, 12, 22, 26. III, 1, 16, 12. IV, 1. X, 13. XII, 1.

(10) Titulos librorum Favorini recensuit *Fabricius*, *Biblioth. Graec.*, tom. III, p. 174. ed. Harles.

(11) l. l. p. 495 D. locum infra exhibebimus. Cf. etiam *Aul. Gell.* N. A. IX, 5.

πρότερον ἐπιστημονικὸν κριτήριον (1). At, dicat aliquis, num hac in re fides habenda Galeno, utpote Dogmatico, insano Scepticorum odio abrepto? Concederem, nisi idem tradidisset Philostratus, de quo nil tale compertum habemus: *τὸν δὲ ἐπὶ τῷ ἀώτῳ (λόγον) καὶ τὸν ὑπὲρ μοναμάχων γνησίους τε ἀποφαινόμεθα καὶ εὖ συγκειμένους, καὶ πολλῷ μᾶλλον τοὺς φιλοσοφουμένους αὐτῶν τῶν λόγων, ὧν ἄριστοι Πυῤῥώνειοι· τοὺς γὰρ Πυῤῥωνείους ἐφεκτικοὺς ὄντας οὐκ ἀφαιρεῖται καὶ τὸ δικάζειν δύνασθαι* (2).

Medendi ars tantum habet incerti et incogniti, ut mirandum non sit, multos Medicos Scepticismo se tradidisse. His igitur, cum ad certam philosophorum sectam referri nequeant, locum peculiarem destinamus. Antequam vero de eorum dubitandi ratione agimus, nonnullorum nomina, secundum Medicorum sectas distincta, exhibeamus. *Συνεστήσαντο τὴν ἐμπειρικὴν οἵδε· Ἄκρων Ἀκραγαντῖνος, Φιλῖνος Κῶος, Σεραπίων Ἀλεξανδρεὺς, Σέξτος, Ἀπολλώνιος· τὴν δὲ λογικὴν οἵδε· Ἱπποκράτης, Διοκλῆς, Πραξαγόρας, Φιλότιμος, Ἀσκληπιάδης· τὴν μεθοδικὴν οἵδε· Θεμίσων Λαοδικεὺς, Θέσσαλος, Μενέμαχος, Σωρανός* (3). Fuerunt autem, qui *Empiricos* eadem statuere putarent, ac Scepticos (4). Nam evidentes tantummodo morborum causas comprehensibiles esse volebant; obscuras non comprehendi posse contendebant, ideoque supervacaneam esse earum investigationem. Quamobrem in eo a Scepticis differunt, quod de *ἀκαταληψίᾳ τῶν ἀδήλων διαβεβαιοῦνται* (5). Secundum Sextum Empiricum *Methodici* multo majorem habent cum Scepticis conjunctionem: *αὕτη γὰρ μόνη τῶν κατὰ ἰατρικὴν αἱρέσεων, περὶ μὲν τῶν ἀδήλων δοκεῖ μὴ ποπετεύεσθαι, πότερον καταληπτά ἐστιν ἢ ἀκατάληπτα λέγειν αὐθαδειαζομένη· τοῖς δὲ φαινομένοις ἑπομένη ἀπὸ τούτων λαμβάνει τὸ συμφέρειν δοκοῦν κατὰ τὴν Σκεπτικὴν ἀκολουθίαν* (6).

---

(1) *Galenus, de optim. doctrin.* Opp. tom. II, p. 16 A. C. p. 18 D. p. 20 A. B. C.

(2) *Philostrat.* l. l.

(3) Hancce tabellam e Codice MS. Caesareo Galeni edidit *Fabricius* inter testimonia editioni suae Sextianae praefixa. Idem consulendus de tribus illis Medicorum sectis ad *Sext. Empir.* P. H. I, 236. not. G.

(4) *Sext. Empir.* l. l.

(5) *Sext. Empir.* l. l.

(6) *Sext. Empir.* l. l. 237. cf. 238—241. *Stäudlin*, l. l. 347—378.

◆

PARS SECUNDA,

QUA SCEPTICORUM CONTRA VERI JUDICIUM ARGUMENTA EXPONUNTUR.

Scepticismi vis praecipue cernitur in Dogmatismo refutando, neque per se existere potest. Itaque argumenta Scepticorum contra Dogmaticos exponentes, eam tenebimus rationem, ut PRIMUM breviter, quoad ejus fieri potest, Dogmaticam de veri judicio sententiam referamus. Cujus magna pars jam exposita est in Part. I. cap. I. In hac igitur parte locus erit *Academicis antiquis*, qui Platonem proxime secuti sunt, et *Antiocho*, qui, ut vidimus, porticum in Academiam intulit. Cum his conjungemus *Peripateticos*. Utrosque enim Socraticos intelligimus. His, si addiderimus *Stoicam* et *Epicureorum rationem*, instituto nostro satisfactum erit. DEINDE ea colligemus, quae a Scepticis, tum Pyrrhoniis, tum Academicis, contra eos dicuntur, et Sextum secuti, rationes afferemus, quibus ostenditur, neque criterium *a quo*, neque *per quod*, neque *secundum quod* existere posse. His enim tribus capitibus omnis contra Dogmaticos disputatio continetur.

CAPUT PRIMUM,

QUO DOGMATICORUM DE VERI JUDICIO SENTENTIA CONTINETUR.

Qui Platonem proxime secuti sunt Academici, Speusippus, Xenocrates, alii, hi in reliqua magistri doctrina multa novarunt, in loco de veri judicio pauca. Numenius: Ἐπὶ μὲν τοίνυν Σπεύσιππον τὸν Πλάτωνος μὲν ἀδελφιδοῦν, Ξενοκράτην δὲ τὸν διάδοχον Σπευσίππου, Πολέμωνα δὲ τὸν ἐκδεξάμενον τὴν σχολὴν παρὰ Ξενοκράτους, ἀεὶ τὸ ἦθος διετείνετο τῶν δογμάτων σχεδόν τι ταὐτὸν, ἕνεκά γε τῆς μήπω ἐποχῆς ταυτησὶ τῆς πολυθρυλλήτου τε καὶ εἰ δή τινων τοιούτων ἄλλων. Ἐπεὶ εἴς γε τὰ ἄλλα πολλαχῇ παραλύοντες, τὰ δὲ στρεβλοῦντες οὐκ ἐνέμειναν τῇ πρώτῃ διαδοχῇ (1). Sed videamus de singulis.

---

(1) *Numen.* apud *Euseb.* P. E. XIV, 727 B. C.

Qui primum Platoni successit *Speusippus Atheniensis* foecundo fuisse videtur ingenio, si quidem fides habenda Diogeni Laërtio, permultos librorum, ab ipso scriptorum, titulos enumeranti (1). Horum omnium nullum superstitem habemus. Nonnulli tamen illos Ὅρους, qui in fine operum Platonis leguntur, ipsi tribuunt (2). Quod si ita sit, certe non multum in iis ingenii prodidit. De ipsius philosophandi ratione ita Diogenes Laërtius: *ἔμεινε μὲν ἐπὶ τῶν αὐτῶν* Πλάτωνι *δογμάτων* (3): quod optime congruere videtur cum loco Numenii, quem modo laudavimus. Nam in multis aliis suum etiam ipse judicium secutus est. v. c. in doctrina de Diis, *quorum cognitionem ex animis hominum evellere conabatur* (4). Idem dicendum est de ipsius sententia de veri falsique regula, quam ita fere descripsit Sextus: *Σπεύσιππος δὲ, ἐπεὶ τῶν πραγμάτων τὰ μὲν αἰσθητὰ, τὰ δὲ νοητά, τῶν μὲν νοητῶν κριτήριον ἔλεξεν εἶναι τὸν ἐπιστημονικὸν λόγον· τῶν δὲ αἰσθητῶν, τὴν ἐπιστημονικὴν αἴσθησιν. ἐπιστημονικὴν δὲ αἴσθησιν ὑπείληφε καθεστάναι τὴν μεταλαμβάνουσαν τῆς κατὰ λόγον ἀληθείας* (5).

Speusippum in scholae praefectura excepit *Xenocrates Chalcedonius*, Platonis auditor. De hujus viri propriis placitis pauca nobis innotuerunt, ejusque libri ad unum omnes perierunt (6). Illud animadversione dignum est, Xenocratem triplicem illam Philosophiae divisionem in dialecticam, physicam, et ethicam, quam antiqui ad Platonem auctorem referunt (7), probavisse in libris *περὶ φιλοσοφίας* (8). Ad criterium quod attinet, ita statuit: tres esse *οὐσίας*, *intelligibilem*, *sensibilem*, et *compositam* sive *opinabilem*. Primae criterium est *intellectus*, cui verum tribuendum est; secundae criterium est *sensus*, qui, licet minus verax, at verax tamen est; tertiae denique *opinio*, quae et vera esse potest et falsa (9).

Xenocrati successerunt *Polemo* (10), *Crates* (11), *Crantor* (12), et *Heraclides Ponticus* (13), quorum omnium apud antiquos magnum fuit nomen, magnaque auctoritas. Sed quod ad quaestionem de veri nota attinet nihil peculiare statuisse videntur, sed in Platonis mansisse sententia. Certe veteres hac de re tacent.

---

(1) *Diog. Laërt.* IV, 4, 5.
(2) Cf. *Menagius, ad Diog. Laërt.* l. l.
(3) IV, 1. (4) *Cic. de Nat. Deor.* I, 13.
(5) *Adv. Math.* VII, 145.
(6) Eos recensuit *Diog. Laërt.* V, 11 — 14.
(7) *Atticus* apud *Euseb.* P. E. XI, d. 509 B. 510 B. *Aristocles* apud *eumdem* p. 510 C. 511 C. *Cic. Acad. Quaest.* I, 5. *de Fin.* IV, 2. *Origines*, Φιλοσοφουμ. cap. 19.
(8) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 14.
(9) *Sext. Empir.* l. l. 147 — 149.
(10) *Diog. Laërt.* IV, 16 — 20. *Cic. de Fin.* IV. 6.
(11) *Diog. Laërt.* ibid. 21 — 123.
(12) *Diog. Laërt.* ibid. 24 — 27. *Cic. Acad. Quaest.* II, 44. *Tusc.* I, 48.
(13) *Diog. Laërt.* V, 86 — 94. *Cic. Tusc.* V, 3. *de Div.* I, 23. *de Nat. Deor.* I, 13.

Hisce finibus antiqua continetur Academia; secuta est nova, quae ad Scepticismum se dedit, qui qualis fuerit, jam vidimus; uberius autem de *Antiocho*, tertiae vel, ut alii volunt, quintae Academiae auctore, agendum est, qui rursus Dogmatismum amplexus est (1).

Causa igitur, cur Antiochus ad Stoicam rationem transierit, potissimum posita est in progressibus et perfectionibus Stoicae doctrinae, quae ex perpetuo cum Academicis bello necessario nasci debuerunt (2). Operae pretium est locum afferre Plutarchi, ubi hic duas antiquorum sententias de Antiochi discidio retulit: Ἀφικόμενος (Cicero) δ' εἰς Ἀθήνας Ἀντιόχου τοῦ Ἀσκαλωνίτου διήκουσε, τῇ μὲν εὐροίᾳ τῶν λόγων αὐτοῦ καὶ χάριτι κηλούμενος, ἃ δ' ἐν τοῖς δόγμασιν ἐνεωτέριζεν οὐκ ἐπαινῶν. Ἤδη γὰρ ἐξίστατο τῆς νέας λεγομένης Ἀκαδημίας ὁ Ἀντίοχος, καὶ τὴν Καρνεάδου στάσιν ἐγκατέλιπεν, εἴτε καμπτόμενος ὑπὸ τῆς ἐναργείας καὶ τῶν αἰσθήσεων, εἴτε, ὥς φασιν ἔνιοι, φιλοτιμίᾳ τινὶ καὶ διαφορᾷ πρὸς τοὺς Κλειτομάχου καὶ Φίλωνος συνήθεις τὸν Στωϊκὸν ἐκ μεταβολῆς θεραπεύων λόγον ἐν τοῖς πλείστοις (3). Ultima illa verba simul ostendunt quid de Antiochi ad Stoicos conversione statuendum sit. Eos secutus est ἐν τοῖς πλείστοις, igitur non in omnibus. Sic v. c. *placet Stoicis omnia peccata esse paria. At hoc Antiocho vehementissime displicet* (4). Omnino hoc agebat, ut Stoicorum doctrinam eandem esse evinceret, ac germanam illam Platonis et Aristotelis (5). Philonis quoque magistri probabilitatem rejecit, et contra eum scripsit librum, cui Sosus erat titulus (6). De veri falsique regula plane ipsi convenisse videtur cum Stoicis. Cicero: *Quisnam enim iste dies illuxerit, quaero, qui illi ostenderit eam, quam multos annos esse negitavisset veri et falsi notam. Excogitavit aliquid? Eadem dicit, quae Stoici* (7).

Altera philosophorum propago, quae e Socratis schola, tanquam stirpe, provenit, fuit *Peripateticorum*, quorum auctor *Aristoteles* Dogmaticam rationem proxime ad perfectionem adduxit. Quo factum est, ut Scepticismum invitus eliceret et promoveret (8). Secundum Ciceronem, Platonicam, quae fertur, philosophiae divisionem in tres partes secutus est (9). Longe alia refert Diogenes Laërtius: διττόν φησι (Aristoteles)

les

---

(1) De hocce Antiochi facto cf. *Sext. Empir.* P. H. I, 235. *Cic. Acad. Quaest.* II, 43. *Numen.* apud *Euseb.* P. E. XIV, 739 D. *August. contra Acad.* III, 18. p. 454 D. 455 A. B.

(2) Cf. *Stäudlin* l. l. p. 339, 340. Quomodo Stoica doctrina paulatim magis magisque perfecta sit, optime perspici potest ex iis, quae *Sext. Empir.* de φαντασίας καταληπτικῆς definitione habet.

(3) Cf. *Plut. vit. Cic.* c. IV initio p. 862. cf. *August. contra Acad.* II, 6. p. 425 A.

(4) *Cic. Acad. Quaest.* II, 43.

(5) *Cic.* l. l.

(6) *Cic. Acad. Quaest.* I, 4. II, 14, 19.

(7) *Cic. Acad. Quaest.* II, 22.

(8) Cf. *Bayleus, Dict. art. Aristote.*

(9) *Cic. de Fin.* V, 4.

εἶναι τὸν κατὰ φιλοσοφίαν λόγον· τὸν μὲν, πρακτικόν· τὸν δὲ θεωρητικόν. καὶ τοῦ πρακτικοῦ, τόν τε ἠθικὸν, καὶ πολιτικόν· οὗ τά τε περὶ πόλιν καὶ τὰ περὶ οἶκον ὑπογεγράφθαι. τοῦ δὲ θεωρητικοῦ, τόν τε φυσικὸν καὶ λογικόν· οὗ τὸ λογικὸν, οὐχ ὁλομερῶς, ἀλλ' ὡς ὄργανον προσηκριβωμένον (1). Haec cum sibi invicem compararet Krugius, in eam venit opinionem, ut statueret, Aristotelem in libro περὶ φιλοσοφίας utramque divisionem, tum triplicem illam, tum alteram duplicem, proposuisse (2). Quicquid hujus rei sit, id omni dubio caret, Aristotelem multam operam in dialecticis posuisse studiis. Ipsius autem de veri judicio sententia fuit ejusmodi: Sextus Empiricus, οἱ δὲ περὶ τὸν Ἀριστοτέλη, inquit, καὶ Θεόφραστον, καὶ κοινῶς οἱ Περιπατητικοὶ, διττῆς οὔσης κατὰ τὸ ἀνωτάτω τῆς τῶν πραγμάτων φύσεως, ἐπεὶ τὰ μὲν, καθὼς προεῖπον, αἰσθητά ἐστι, τὰ δὲ νοητὰ· διττὸν καὶ αὐτοὶ τὸ κριτήριον ἀπολείπουσιν· αἴσθησιν μὲν αἰσθητῶν, νόησιν δὲ τῶν νοητῶν (3). Diogenes Laërtius: κριτήριον δὲ τῆς ἀληθείας, τῶν μὲν κατὰ φαντασίαν ἐνεργημάτων, τὴν αἴσθησιν ἀπεφήνατο· τῶν δὲ ἠθικῶν, τῶν περὶ πόλιν, καὶ περὶ οἶκον, καὶ περὶ νόμους, τὸν νοῦν (4). Addere liceat Gassendi viri egregii verba, quibus hic Diogenis locum corrigit et explicat: «In eo subesse mendum videtur, quod intellectum refert ad sola moralia, « attinentia nempe ad civitatem, ad domum, ad leges: nam intellectum quidem esse in « primis rerum speculabilium notum est. Quod autem sensum criterium dicit τῶν κα- « τὰ φαντασίαν ἐνεργημάτων, *earum, quae secundum phantasiam, actionum*, id ita « accipiendum est, ut apud Aristotelem vox phantasiae non sonet praecise, ut fere « apud caeteros, externam rerum apparentiam, sed interiorem facultatem, quam ima- « ginatricem vulgo dicimus, quatenus per ipsam res concipimus eadem imagine ac spe- « cie, qua exterius repraesentantur, adeo proinde, ut ad judicandum, rectene res « imaginemur, sensu utendum pro criterio sit, hoc est explorandum, talesne sint, qua- « les sensui exhibeantur. Quia vero intelligibiles etiam res, seu quae sola mente no- « scuntur, sub imagine aliqua apprehendimus, exinde est, cur Aristoteles duplicem « phantasiam distinguat, sensitivam nempe et intellectivam, ac utramque suo modo « κριτικὴν, judicatricem, faciat, curque, cum sensu singularia, intellectu universalia « percipiamus, dici soleat sensus rerum singularium, intellectus universalium judex" (5). Caeterum animadvertendum est, Aristotelem, cum sensum et intellectum criteria esse statueret, id voluisse: illum esse veluti instrumentum, hunc veluti artificem. Nam ut nos nec sine trutina gravia et levia, nec sine regula recta, ita mens sine sensibus res dijudicare nequit (6).

Hanc igitur Aristotelis de veri judicio sententiam ita probavit *Theophrastus*, ut tertium *κοινὸν κριτήριον*, h. e. sensibilium et intelligibilium, adderet, nempe *τὸ ἐναργὲς*, evidentiam (1). Reliqua Peripateticorum turba cum Sectae auctore consensisse videtur, ut ex laudato Sexti loco apparet. Igitur hos singulos recensere, supervacaneum videri potest. Apponamus tantum, quod de *Stratone Lampsaceno* habet Sextus, eum auctorem fuisse illius sententiae, qua animus per sensus, tamquam foramina quaedam, prospicere dicebatur, ut res externas perciperet (2). *Galenus* quoque a nonnullis accensetur Peripateticis (3), quod in libello *de optima doctrina* duo fecit criteria, *αἴσθησίν τε καὶ νόησιν* (4). Sed rectius, ut videtur, Stäudlinus statuit, Galenum nulli se sectae addixisse, quamvis, ut ex laudato libello apparet, Scepticus non fuerit (5).

---

(1) *Diog. Laërt.* V, 28. cf. *Pseudo-Plutarch. de Placitis Philos.* in praef. p. 229.

(2) *Krug.*, l. l. p. 241, c.

(3) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 217, 218.

(4) *Diog. Laërt.* V, 29.

(5) *Gassendus*, Opp. Tom. I, 78.

(6) *Sext. Empir.* l. l. 418.

Juvat apponere rationem *Claudii Ptolemaei*, quae certe aliquam habet cum Peripateticis conjunctionem, quaeque exstat in libello, cui titulus *περὶ κριτηρίου καὶ ἡγεμονικοῦ* (6). *Κριτήριον* autem universe intellexit eam animi facultatem, quae judicat, et totum judicandi negotium quinque constare voluit partibus: *τὸ κρινόμενον· τὸ, δι' οὗ κρίνεται· τὸ κρῖνον· τὸ, ᾧ κρίνεται· τὸ, οὗ ἕνεκα ἡ κρίσις.* Illud autem *δι' οὗ* et *ᾧ* ita a se invicem differunt, ut hoc significet primi quasi ordinis instrumentum, quo directe utimur, illud secundi, quod indirecte, i. e. per primum, usurpamus (7). Verbi causa, in judiciis publicis, id, de quo judicatur, est res gesta: id, per quod judicatur, sunt indicia et probationes: is, qui judicat, est *ὁ ἄρχων*: id, quo judicatur, est lex: denique id, cujus causa judicatur, est societas humana. Alia praeterea exempla affert Ptolemaeus, quae brevitatis causa omittimus; videamus tantum, quomodo haec specialia ad universale, i. e. *τὸ ζητούμενον κριτήριον* transtulerit. Hic subjectum, vel id, quod judicatur, est *τὸ ὄν*. Id, cujus causa quaeritur, est *ἡ ἀλήθεια*. Hi sunt extremi quasi termini, quibus mediis interjacet id, quod judicat, *ὁ νοῦς*, qui ab utraque parte tamquam instrumenta habet *τὴν αἴσθησιν* et *τὸν λόγον*, quorum illa est *τὸ, δι' οὗ κρίνεται*, hic *τὸ, ᾧ κρίνεται* (8).

Progrediendum est ad *Stoicos*, qui recte, ut videtur, reprehenduntur a Numenio, quod semper inter se dissidebant: *τὰ δὲ τῶν Στωϊκῶν ἐστασίασται, ἀρξάμενα ἀπὸ τῶν ἀρχόντων, καὶ μηδέπω τελευτῶντα καὶ νῦν* (9). Sic v. c., quamvis tripartitam illam, a Platone acceptam, philosophiae divisionem probarent, continuo inter eos oriebatur contentio de ordine, quo hae partes sibi invicem succedere debeant (10). Praecipuam operam dialecticae navarunt, quam Posidonius definivit *ἐπιστήμην ἀληθῶν καὶ ψευδῶν καὶ οὐδετέρων* (1), quaeque secundum Chrysippum versatur in *σημαίνουσι* et *σημαινομένοις* (2). De hacce Stoicorum dialectica ita fere judicarunt veteres: tribuebant ipsis prudenter disserendi laudem (3); vituperabant spinosum illorum dividendi genus, contortam concludendi rationem, et illam syllogismorum multitudinem, quibus et alios, et se ipsi irretiebant (4). Mihi quidem id in iis non satis laudari posse videtur, quod omne officium dialectices in eo ponerent, ut certa veri falsique regula constitueretur. Cicero: *in hac arte* (dialectica Stoicorum) *nullum est praeceptum, quomodo verum inveniatur, sed tantum est, quomodo judicetur* (5).

---

(1) *Sext. Empir.* l. l. 217.

(2) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 358. cf. *Pseudo-Plutarch. de Placit. Philos* IV, 5. p. 285.

(3) *Gassendus*, l. l. p. 78.

(4) Opp. tom. I, p. 19 F.

(5) *Stäudlin*, l. l. p. 528.

(6) Editus est ab *Ism. Bullialdo*, Paris. a. 1663.

(7) Cf. *Matthiä*, *Gramm. Gr.* §. 401. not. 1.

(8) Cf. laudati libri p. 1—5. Si hicce Ptolemaeus idem est ac celeber ille Astronomus, ut voluit Bullialdus, frustra Huetius hunc inter Scepticos posuit: *Traité de la foiblesse de l'esprit humain*, liv. I. ch. 14. p. 154.

(9) Apud *Euseb.* P. E. XIV, 728 A.

(10) *Diog. Laërt.* VII, 40, 41.

Criterium igitur esse volebant *τὴν καταληπτικὴν φαντασίαν*, quod ut melius intelligatur, ipsorum de phantasiis doctrina pro parte explicanda esse videtur.

Φαντασία, quam, auctore Cicerone, Latine *visum* appellare licet (6), jam a *Zenone* definiebatur *τύπωσις ἐν ψυχῇ* (7), h. e. impressio in anima (8). Sed de hoc statim orta est contentio. *Cleanthes* enim illam impressionem fieri volebat *κατ' εἰσοχήν τε καὶ ἐξοχὴν*, quemadmodum in cera a digitis fit impressio (9). Quod merito absurdum videbatur *Chrysippo*, qui statuebat Zenonem *τύπωσιν* intellexisse *ἀλλοίωσιν* sive *ἑτεροίωσιν* (10); vel, ut Pseudo-Plutarchus refert, *πάθος ἐν τῇ ψυχῇ γιγνόμενον, ἐνδεικνύμενον ἑαυτό τε καὶ τὸ πεποιηκός* (11). Rursus alii Stoici aliquantulum a Chrysippo dissentiebant, et duplicem faciebant animam, unam per totum corpus diffusam, alteram id constituentem, quod *ἡγεμονικὸν* nominare solebant, et quo solo animi motus atque bona contineri putabant. Hi igitur phantasiam definiebant *ἑτεροίωσιν ἐν τῷ ἡγεμονικῷ* (12). Sed supererat adhuc reprehensioni locus; nam et appetitio, et assensio, et comprehensio, quippe mutationes in animi principatu, secundum hanc definitionem erunt phantasiae, cum potius sint *ἐνέργειαι*; igitur monendum, illam *ἑτεροίωσιν* non fieri *κατ' ἐνέργειαν* sed *κατὰ πεῖσιν*, illudque postremum definitioni addendum (13).

Ve-

---

(1) *Sext. Empir.* P. H. II. 94, 247. *Diog. Laërt.* l. l. 62. *Suidas*, voc. διαλεκτική.

(2) *Diog. Laërt.* l. l. Notandum *Sext. Empir.* hoc tamquam alteram dialectices definitionem proposuisse P. H. II, 214. . . . . . ἢ πῶς ἐπιστήμη σημαινόντων καὶ σημαινομένων, ὥς οἴονταί τινες, ἡ διαλεκτικὴ δύναιτ' ἂν ὑπάρχειν. (3) *Cic. Brut.* 31.

(4) *Cic. de Orat.* I, 10. II, 38. *Tusc.* III, 10. IV, 5. *Lucianus*, *vit. auct.* c. 22. p. 307, 308.

(5) *De Orat.* II, 38. (6) *Cic. Acad. Quaest.* I, 11. II, 6.

(7) *Sext. adv. Math.* VII, 227. *Diog. Laërt.* VII, 45, 50. *Suidas*, voc. φαντασία.

(8) *Cic. Acad. Quaest.* II, 11, 18.

(9) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 228, 372. VIII, 400.

(10) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 230.

(11) *De Placit. Philos.* IV, 12, p. 289. cf. *Sext. Empir.* l. l. 237. *Diog. Laërt.* VII, 176. A.

(12) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 232—236. cf. P. H. II, 70. *adv. Math.* VIII, 400.

(13) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 237, sqq.

Phantasiarum multae memorantur divisiones. Nos eas tantummodo referemus, quarum explicationem disputationis nostrae ratio postulat. Sunt igitur aliae *probabiles phantasiae*, aliae *improbabiles*, aliae *probabiles simul et improbabiles*, aliae *neque probabiles*, *neque improbabiles* (1). Deinde probabilium et improbabilium, aliae sunt *verae*, aliae *falsae*, aliae *neque verae neque falsae* (2). Verarum phantasiarum rursus duo sunt genera, καταληπτικῶν *comprehensibilium* alterum, alterum οὐ καταληπτικῶν, *incomprehensibilium* (3). Incomprehensibiles sunt αἱ προσπίπτουσαι τισὶ κατὰ πάθος, v. c. cum insanienti forte fortuna vera occurrat phantasia (4). Comprehensibilis phantasia est ἡ ἀπὸ τοῦ ὑπάρχοντος κατ' αὐτὸ τὸ ὑπάρχον ἐναπομεμαγμένη καὶ ἐναπεσφραγισμένη, ὁποία οὐκ ἂν γένοιτο ἀπὸ τοῦ μὴ ὑπάρχοντος. Quod Latine sic expressit Cicero; *visum expressum effictumque ex eo, unde esset, quale esse non posset ex eo, unde non esset* (5). Est igitur visum comprehensibile nihil aliud, quam vera notio, quae eodem nobis modo rem repraesentat, quo effigies, in sigillo sculpta, cognoscitur e signo in cera expressa.

Haec igitur est celebris illa καταληπτικὴ φαντασία, quam *antiquiores Stoici*, in quibus a Laërtio memorantur *Chrysippus*, *Antipater* et *Apollodorus*, veri falsique regulam esse statuebant (6), quippe in qua sola posita sit ἐνάργεια, evidentia (7). Sed hoc non satisfaciebat *recentioribus Stoicis*, qui adsciverunt quidam illam καταληπτικὴν φαντασίαν, hacce autem conditione, *si nihil habeat*, *quod obsistat*, μηδὲν ἔχουσαν ἔνστημα (8).

Age jam aliorum Stoicorum sententias recenseamus. *Boëthus* quatuor induxit criteria, νοῦν, καὶ αἴσθησιν, καὶ ὄρεξιν, καὶ ἐπιστήμην (9). Chrysippus autem, quem etiam φαντασίαν καταληπτικὴν probasse vidimus, alio in libro criterium fecit αἴσθησιν καὶ πρόληψιν. Est autem πρόληψις (*anticipationem* vertit Cicero) ἔννοια φυσικὴ τῶν καθ' ὅλου (10). Denique, quosdam ex antiquioribus Stoicis τῷ ὀρθῷ λόγῳ veri judicium tribuisse, auctor est *Posidonius* (1), quem in eadem fuisse sententia, collato Sexti loco (2), ostendit J. Bakius vir Cl. (3).

---

(1) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 242, 243.

(2) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 244—248. cf. *Pseudo-Plutarch. de Placit. Philos.* IV, 2. p. 287.

(3) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 247.

(4) *Sext. Empir.* l. l. *Diog. Laërt.* VII, 46. ibique Aldobrand.

(5) *Sext. Empir.* l. l. 247—252. coll. 152, 402, 426. Idem alio loco hujus libri §. 258 comprehensibile visum vocat τρανὴν καὶ πληκτικὴν φαντασίαν. — *Diog. Laërt.* VII, 46, 50. *Cic. Acad. Quaest.* I, 12. II, 6, 24, 35, alibi. *August. contra Acad.* III. c. 5. p. 426.

(6) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 253. *Diog. Laërt.* l. l. et 54.

(7) *Cic. Acad. Quaest.* II, 24. ibique *Davisius*.

(8) *Sext. Empir.* l. l. 253—260.

(9) *Diog. Laërt.* VII, 54.

(10) *Diog. Laërt.* l. l. *Pseudo-Plutarch. de Placit. Philos.* IV, 11. p. 288. *Suidas* voce πρόληψις. *Cic. de Nat. Deor.* I, 16, *de Fin.* V, 21. *Acad. Quaest.* II, 10. *De Legg.* I, 22.

De reliquis Dogmaticis brevius agendum est, quod quaestionis ratio postulare videtur. Et primum quidem in medium veniat *Epicurus*, acerrimus ille sensuum defensor. Physicam modo et Ethicam secutus est, Dialecticam rejecit, eique substituit *κανονικὴν*, qua ipsius de veri judicio sententia continebatur (4). Memoratur apud veteres ejus hac de re liber, cui *κανὼν* erat titulus (5), in quo Nausiphanis libellum, *τρίπους* inscriptum, ob oculos habuit; Diogenes Laërtius: *οἱ δέ φασιν ἐν τῷ Ἐπικούρου βίῳ τὸν κανόνα γράψαι αὐτὸν ἐκ τοῦ Ναυσιφάνους τρίποδος* (6). In hocce igitur libro Epicurus dixit: *κριτήρια τῆς ἀληθείας εἶναι τὰς αἰσθήσεις καὶ προλήψεις καὶ τὰ πάθη* (7). Et in sensibus quidem ita ponit Epicurus veritatis judicium, ut si iis semel aliquid falsi pro vero probatum sit, sublatum esse omne judicium et veri et falsi putet (8). *Πρόληψιν* autem, quam latine anticipationem vocare possumus, quomodo veri notam intellexerit, Laërtii verbis exponemus: *τὴν δὲ πρόληψιν λέγουσιν οἱονεὶ κατάληψιν, ἢ δόξαν ὀρθὴν, ἢ ἔννοιαν, ἢ καθολικὴν νόησιν ἐναποκειμένην, τοῦτ' ἔστι μνήμην τοῦ πολλάκις ἔξωθεν φανέντος· οἷον τὸ, Τοιοῦτον ἐστὶν ἄνθρωπος· ἅμα γὰρ τῷ ῥηθῆναι ἄνθρωπος, εὐθὺς κατὰ πρόληψιν καὶ ὁ τύπος αὐτοῦ νοεῖται, προηγουμένων τῶν αἰσθήσεων* (9). Hisce igitur etiam veri judicium inest. *Δοξῶν* autem, quae cum iis conjunctae sunt, aliae sunt verae, aliae falsae: quamobrem in judicando vero iis uti non possumus (10). Denique, quod tertium erat criterium, *τὰ πάθη*, id tantummodo vivendi regulam constituit; sunt autem duo genera *παθῶν*, *ἡδονὴ* et *πόνος*, hic fugiendorum, illa appetendorum indicium (11); in quo Aristippi doctrinae vestigia cernimus.

In hac magistri doctrina manserunt postea Epicurei. Nam, ut Numenii verbis utar, *ἔοικέ τε ἡ Ἐπικούρου διατριβὴ πολιτείᾳ τινι ἀληθεῖ, ἀστασιαστοτάτῃ, κοινὸν ἕνα νοῦν, μίαν γνώμην ἐχούσῃ, ἀφ' ἧς ἦσαν, καὶ εἰσι, καὶ ὡς ἔοικε ἔσονται φιλακόλουθοι* (12). Unus Diogenes refert eos criteriis, a magistro constitutis, addidisse *τὰς φανταστικὰς ἐπιβολὰς τῆς διανοίας* (13).

---

(1) Apud *Diog. Laërt.* l. l. (2) *Adv. Math.* VII, 93.

(3) *Diatr. de Posidonio*, p. 231.

(4) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 14, 15. *Diog. Laërt.* X, 30, 31. ibique Menagius. *Cic. Acad. Quaest.* II, 30.

(5) *Diog. Laërt.* X, 14, 30, 31. *Arrianus, Diss. Epictet.* libr. II, c. 13. lin. 21. *Cic. de Nat. Deor.* I, 16. *De Fin.* I, 19. (6) *Diog. Laërt.* l. l. 14.

(7) Id. ibid. 274 B.

(8) *Cic. de Fin.* I, 7. *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 203—216, 368. VIII, 9. *Diog. Laërt.* X, 31, 32. *Pseudo-Plutarch. de Placit. Philos.* IV, 8. p. 287.

(9) *Diog. Laërt.* l. l. 33. *Cic. de Nat. Deor.* I, 16, 17.

(10) *Diog. Laërt.* l. l. 34.

(11) *Sext. Empir.* l. l. §. 203. *Diog. Laërt.* l. l.

(12) Apud *Euseb.* P. E. XIV, 728 A. (13) *Diog. Laërt.* l. l. 31.

Dogmaticis dicuntur, nullum habemus hominis, vel notionem, vel comprehensionem: ergo verum judicari nequit, cum is, qui judicare debet neque cognosci, neque comprehendi possit (1).

I. Ostendendum igitur est, nos nullam habere hominis notionem, h. e. *ἀπεπινόητον εἶναι τὸν ἄνθρωπον.* Quamobrem varias variorum philosophorum de homine sententias breviter recenseamus.

Est apud Platonem Socrates, hoc professus: propter Delphicum illud *γνῶθι σαυτὸν*, non *τὰ ἀλλότρια σκοπῶ, ἀλλ' ἐμαυτὸν, εἴτε τι θηρίον ὢν τυγχάνω Τυφῶνος πολυπλοκώτερον καὶ μᾶλλον ἐπιτεθυμμένον, εἴτε ἡμερώτερόν τε καὶ ἁπλούστερον ζῶον, θείας τινὸς καὶ ἀτύφου μοίρας φύσει μετέχον* (2). Quibus verbis aperte se nescire profitetur, quid sit homo (3).

Democritus eam proposuit hominis definitionem, quae imperitissimo cuique magis quam ipsi conveniret: *Ἄνθρωπος*, ait, *ἐστιν ὃ πάντες ἴσμεν.* Atqui et canem et equum novimus: ergo, secundum hanc definitionem, et hi erunt homines (4). Praeterea sunt homines, quos non novimus: hi igitur non erunt homines. Denique nullus erit homo: nemo enim omnibus est cognitus (5). Repugnat quoque haec definitio reliquae Democriti doctrinae: nam nihil aliud vere esse statuit, nisi atomi et vacuum, et utrumque non modo animalibus, sed etiam omnibus concretis inesse. Ex his minime perspicere poterimus id, quod homini proprium est, quia sunt omnibus communia. Non igitur homo ab aliis animalibus distingui, nec per se intelligi potest (6). Est et alia causa, cur Democriti definitionem improbemus; nempe *συναρπάζει τὸ ζητούμενον*, i. e. in ejusmodi vitium incidit, quod Dialectici *principii petitionem* appellare consueverunt. Quis enim dabit hominem, qualis sit, cognosci? Et si vel maxime dabit, non omnibus hancce cognitionem, sed tantum perfectis philosophis tribuet (8).

Epicurus hominem esse dixit, *τὸ τοιουτοῒ μόρφωμα μετὰ ἐμψυχίας.* Igitur si homo ostendendo manifestatur, id, quod non ostenditur, non erit homo. Quare, si mulier ostenditur, vir non erit homo. Idem ex quarto dubitandi modo, *τῷ ἀπὸ τῆς διαφορᾶς τῶν περιστάσεων*, colligi potest (10).

---

(1) *Sext. Empir.* P. A. II, 21. *adv. Math.* VII, 263, 264.

(2) *Plato* in *Phaedro*, p. 230, A.

(3) *Sext. Empir.* P. H. 22. *adv. Math.* VII, 264.

(4) *Sext. Empir.* P. H. II, 23. *adv. Math.* VII, 265, 266.

(5) *Sext. Empir.* P. H. l. l.

(6) *Sext. Empir.* P. H. l. l. §. 24.

(8) *Sext. Empir. Adv. Math.* VII, 266.

(10) *Sext. Empir.* P. H. II, 25. *adv. Math.* VII, 267, 268.

Stoicorum et Peripateticorum definitio erat hujusmodi: *ἄνθρωπον ζῶον εἶναι λογικὸν, θνητὸν, νοῦ καὶ ἐπιστήμης δεκτικόν.* At vero ita non homo definitur, sed ea, quae ipsi accidunt, enumerantur. Accidentia autem semper ab eo, cui accidunt, diversa sunt. Deinde, omnia ista accidentia, quae in definitione proponuntur, non uni homini sunt propria. Rationis v. c., ut in primo modo, *τῷ παρὰ τὴν τῶν ζώων ἐξαλλαγὴν*, ostenditur, bruta quoque sunt capacia; et quis eam Diis negare audeat? Occurritur autem a Dogmaticis ita, ut dicant, singula, quae in definitione enumerantur, non esse hominem, sed simul sumta eum efficere. Sed facile refutari possunt. Primum, si unumquodque ex iis separatim non est homo, quomodo simul sumta hominem efficere poterunt? Deinde, quae in definitione sunt, ea simul sumi non possunt. Nam accidentium in universum alia semper subjecto adhaerent, alia non semper. Cum autem in definitione *ζῶον* tale sit accidens, quale semper, *λογικὸν* autem ejusmodi, quod non semper subjecto adsit, quomodo, quaeso, haec simul sumi possunt? Denique, quae in definitione sunt accidentia, aut actione (*κατ' ἐνέργειαν*) dicunt esse, aut potentia (*δυνάμει*). Si actione, nemo est homo, nisi qui perfectam habeat scientiam, perfectamque rationem, quique in moriendo versetur; sin potentia, nullus erit homo, nec qui perfectam rationem, nec qui intelligentiam et scientiam habeat. Quibus nihil excogitari potest absurdius. Igitur etiam secundum Stoicorum et Peripateticorum definitionem nullam habemus hominis notionem (1).

Platonis fertur haec definitio: *τὸν ἄνθρωπον εἶναι ζῶον, ἄπτερον, δίπουν, πλατυώνυχον, ἐπιστήμης πολιτικῆς δεκτικόν.* Sed quis Platonem adeo ineptum fuisse existimat? Quis Diogenis narratiunculae fidem habere potest (2)? Dubitasse etiam videtur Sextus, *οὐδὲ ὁ Πλάτων*, inquit, *ἀξιώσει τὸν ὅρον ἐκτίθεσθαι δοκεῖν, ὡς βεβαιούμενος, ἀλλ' ὥςπερ εἴωθεν κατὰ τὸ πιθανὸν λέγων* (3). Hanc igitur, cujusvis tandem sit, definitionem ideo reprehendimus, quod, ut illa, quam modo recensuimus, non exponit, quid sit homo, sed tantum ea, quae homini accidunt, enumerat (4).

II°. Ostendatur, hominem etiam esse incomprehensibilem, *ἀκατάληπτον*.

Hoc ita satis probari potest. Quod intelligi nequit, incomprehensibile est: homo, ut vidimus, intelligi nequit: ergo incomprehensibilis est (5). Idem et alio modo probamus. Si homo comprehendi poterit, vel totum se ipsum comprehendet, vel totus erit id, quod comprehenditur, vel ex parte comprehendet, ex parte comprehendetur: atqui nihil horum fieri potest: ergo homo comprehendi nequit.

---

(1) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 269—281. P. H. II, 26. ibique *Fabricius* not. R.

(2) *Diog. Laert.* VI, 40.

(3) P. H. II, 28.

(4) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 281—282.

(5) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 283.

Nam si totus totum se ipsum comprehendet, quid erit, quod comprehendatur? et rursus, si totus id erit, quod comprehendetur, quaerimus quid erit, quod comprehendat (1). Tertium, quod est in propositione, ut ex parte comprehendat, ex parte comprehendatur, non magis dari potest. Nam homo constat corpore, sensibus et intellectu. Itaque si ex parte se ipse comprehendet, vel corpore sensus et intellectum, vel contra sensibus et intellectu corpus cognoscat, necesse est, et sic porro: atqui nihil horum fieri potest: ergo homo comprehendi nequit (2). Assumtio ita probatur:

A. Corpus non potest comprehendere sensus et intellectum.

Nam si corpus eam vim habebit, ut sensus et intellectum comprehendat, opus erit, ut iis assimuletur, h.e., ut similiter afficiatur, verbo, ut sensus et intellectus fiat. E. g. quod videndi vim habet, id quatenus videt, est visus; sic corpus, quatenus sensuum vim habebit, erit sensus, quatenus intelligendi vim, erit intellectus. Quo nihil absurdius excogitari potest. Nam ipsi Dogmatici sensus et intellectum a corpore diversos esse statuunt (3).

B. Sensus nec corpus, nec se ipsi comprehendere possunt.

a. Nam sensus tantummodo patiuntur, et, tamquam cera, formas accipiunt. Si igitur quis aliquam iis ζήτησιν tribuere velit, is eos rationis faciat participes. Quod secus. Sunt enim ἄλογοι, estque eorum proprium munus albore et nigrore affici, et dulcedine, et eo quod amarum est, et suavi odore moveri, non autem ἐνεργητικῶς quaerere, utrum quid sit nigrum an album caet. Ab his igitur, naturam habentibus minime ad tale quid aptam, quomodo corpus i. e. moles carnis percipi poterit (4)? V. c., visus aptus est ad rei habitum, magnitudinem et colorem apprehendendum: atqui nullum horum est corpus: igitur si visus habitum et magnitudinem et colorem corporis perceperit, non ipsum corpus, sed corpori accidentia perceperit (5). Contra hocce postremum fortasse sunt, qui dicant, habitum, magnitudinem et colorem non singula per se, sed conjuncta esse corpus. Quibus respondetur, quod supra jam monuimus, accidentium congeriem, haud magis quam singula accidentia, idem esse atque illud, cui accidant. Praeterea, etiamsi hoc ita esset, ut volunt, nihilominus visus corpus comprehendere non potest. Nam si corpus est compositum quid ex habitu, magnitudine et colore, tunc visum, corpus apprehendentem, haecce tria singulatim apud se comprehendere oportebit, comprehensa componere, et hancce compositionem corpus vocare: atqui ut aliquid cum aliquo componatur, opus est ratione, qua visus, utpote ἄλογος sensus, caret: ergo visus tria illa corpori accedentia componere non poterit, neque igitur corpus comprehendere. Neque hoc negligendum est, visum etiam non aptum esse ad aomnia, quae corpori accidere possunt, comprehendenda, v. c. longitudinem. Haec enim per partium appositionem comprehenditur, ita ut ab aliquo incipiamus, et per aliquid progressi, in aliquid desinamus. Quod sane non est *ἀλόγου* naturae, qualis est visus. Similiter non modo latitudinem, sed ne colorem quidem visus comprehendere poterit. Non igitur aptus est ad ea, quae corpori accidunt, percipienda. Quamobrem multo minus ipsum corpus comprehendere poterit (1). Et sic reliqui quoque sensus. Nam unusquisque horum eam rem e sensibilibus novit, quae ad ipsum pertinet, ut auditus vocem, odoratus id, quod bene vel male olet; neutrum molem corporis (2).

---

(1) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 284—286. (2) l. l. 287, 288.

(3) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 289—292.

(4) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 293, 294. (5) l. l. 294. cf. P. H. II, 30.

b. Sensus se ipsi comprehendere non possunt. Quis enim aut visu visum vidit? aut auditu auditum audivit? aut gustu gustum gustavit? aut odoratu odoratum odoratus est? aut tactu tactum tetigit? Neque magis sensus se invicem comprehendunt. Visus enim nec auditum videre, nec ab auditu audiri potest, et sic porro (3).

C. Atqui, inquiunt Dogmatici, intellectus et corpus, et sensus, et se ipse potest comprehendere. Frustra, ut videbimus.

a. Intellectus non potest comprehendere corpus. Nam, qui contra statuunt, eos rogatos esse volumus, utrum intellectus toti corpori inhaerens, ejus comprehensioni operam det, an vero partibus singulatim spectandis, et spectatis componendis, totum corpus comprehendat. Intellectum toti corpori inhaerere negabunt, ut apparet ex dissensione, quae est inter eos, de animi sede. Si dicunt, partes corporis deinceps ab intellectu examinari et componi, majori etiam implectuntur difficultate. Nam illarum partium quaedam sunt rationis expertes: quae autem rationis expertia sunt, sine ratione nos movent: ergo intellectus sine ratione ab illis partibus motus, et ipse rationem amittet. Quo facto, non amplius erit intellectus (4).

b. Intellectus non potest comprehendere sensus. Nam si intellectus non potest comprehendere corpus, propterea quod id ratione caret, quomodo tandem sensus comprehendet, qui et ipsi sunt *ἄλογοι*? Deinde, si intellectus sensus apprehendit, necesse est, quemadmodum supra vidimus, ut ipse fiat sensus. Quo facto, id, quod quaeritur, idem erit atque id, quod quaerit. At, dicunt Dogmatici, sunt sane intellectus et sensus idem, sed diversa ratione. Quemadmodum idem poculum intrinsecus est concavum, extrinsecus convexum, aut quemadmodum eadem via adscendentibus est acclivis, descendentibus declivis: ita eadem facultas alia ratione est intellectus, alia ratione sensus. Et sic intellectus, quamvis idem sit ac sensus, tamen non arcetur a sensuum comprehensione. Atqui, si concedamus, intellectum et sensus ea, qua volunt, ratione esse idem, tamen illud idem, quatenus est intellectus, λογικὸν erit, quatenus sensus, semper manebit ἄλογον. Et λογικὸν non posse comprehendere quod est ἄλογον, jam supra vidimus (1).

---

(1) *Adv. Math.* VII, 295—300. De accidentibus corpori cf. P. H. III, 39, 55. *adv. Math.* VII, 55. De visu non apto ad colores percipiendos conferri possunt, quae a Sexto contra Cyrenaicos dicta sunt, *adv. Math.* l. l. 190, seq.

(2) Cf. *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 300.

(3) *Sext. Empir.* l. l. 301, 302.

(4) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 303, 304.

c. Denique, intellectus ipse se non potest comprehendere. Nam si intellectus se ipse comprehendit, aut totum se comprehendet, aut per partes, id est, quaedam ipsius pars alteram partem comprehendet. Prius fieri nequit. Nam si totus est comprehendens, quid erit, quod comprehendatur? Neque altera pars alteram partem poterit comprehendere. Nam aut totam illam alteram partem comprehendet, aut rursus eam per partes explorabit. Si totam, eandem habebimus difficultatem, pereunte eo, quod comprehendatur: sin altera intellectus pars alteram rursus per partes cognoscat, rogamus, quanam re tunc ipsa comprehendatur, atque sic in infinitum, ut semper quaedam intellectus pars incomprehensa maneat (2). Deinde si intellectus se ipse comprehendet, simul etiam locum, in quo est, comprehendat, necesse est. Omne enim, quod comprehenditur, cum loco comprehenditur. Non autem locus, in quo ipse est, cognoscitur ab intellectu; ut patet ex infinita philosophorum hac de re διαφωνίᾳ (3). Ergo intellectus se ipse non comprehendit (4).

Haec e VII. Sexti Empirici adv. Math. libro retulimus: in secundo autem Pyrrhoniarum Hypotheseon diversam aliquantum rationem secutus est, quam breviter exponemus. Constat homo corpore et animo: atqui utrumque comprehendi nequit: ergo neque homo. Cum autem ostendit corpus esse incomprehensibile, eadem dicit, sed brevius, quae modo ex libro adv. Math. VII. attulimus. Animi incomprehensibilitatem ita fere probare studet. Magna est inter philosophos de animo dissensio, quae aut dijudicari potest, aut non potest: si non potest, per se sequitur animum esse incomprehensibilem: sin potest, dicant, quanam re dijudicetur. Minime sensibus, nam animus est intelligibilis, non sensibilis. Neque intellectu, nam de hoc major etiam est controversia, quam igitur prius dijudicari oportebit. Aliter enim id, de quo major est quaestio, dijudicaret et confirmaret id, de quo minor est quaestio. Quo nihil absurdius. Ergo animus est incomprehensibilis (5).

Ex omnibus, quae hactenus diximus, Sceptici id effici arbitrabantur: hominem, cum sit ἀνεπινόητος et ἀκατάληπτος, res dijudicare non posse, nullumque adeo esse *criterium a quo*.

Sed demus, hominem comprehendi posse, tamen probari non potest, in ipso veri criterium esse positum. Nam is, qui id dicit, aut simplici utitur affirmatione, aut demonstratione: si nihil aliud, quam nude affirmat, fidem non meretur; nam

---

(1) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 305—309. (2) l. l. 310—312.

(3) Variis philosophorum de animo ejusque sede opiniones recensuit *Cic. Tusc. Quaest.* I, 9. *Pseudo-Plutarch. de Placit. Philos.* IV, 2. p. 283. (4) *Sext. Empir. adv. Math.* 313.

(5) *Sext. Empir.* P. H. II, 29—33.

eorum, qui contrarium statuunt, affirmatio aeque est probabilis: demonstratione usus nihil proficiet; nam ut dijudicemus demonstrationem, sitne vera, nec ne, opus est criterio, de quo convenit; ejusmodi autem criterium non habemus sed quaerimus (1). Deinde, si quis dicit, hominem esse rerum judicem, judicio usus hoc affirmat, nam *ἀκρίτως* affirmanti fidem non habemus. Rogamus igitur, a quo ita judicatum sit, hominem esse criterium. Minime ab homine, sic enim in petitionem principii incidimus; neque ab alio animali, nam si illud animal hoc fecerit sine judicio, rursus rogamus, a quo ita judicatum sit. Et si quidem ab animali ipso, eadem manet absurditas et rursus habemus petitionem principii; neque ab homine, nam hoc vetat *ὁ διάλληλος τρόπος*; neque ab alio quodam praeter haec, nam tum rursus postulabimus criterium a quo, et sic *εἰς ἄπειρον* (2). Praeterea, qui hominem rerum esse judicem volunt Dogmatici, se ipsos veri judices constituunt: at quanta est inter eos pro diversa, quam sequuntur, secta sententiarum discrepantia: igitur alio nobis opus erit criterio, quo hancce discrepantiam discernamus, et optimam sententiam eligamus. Hocce autem criterium vel dissentiet ab omnibus illis inter se dissidentibus, vel uni tantum assentietur. Prius si locum habet, et ipsum hoc criterium pars fit *τῆς διαφωνίας*; quo facto, non esse potest criterium, quippe ipsum criterio indigens: sin vero unam sententiam probat, a reliquis dissidet, probat eam sententiam, quae est una dissidentium, et probatione indiget. Igitur quandoquidem consentiens cum ipso criterio diversum ab eo non est, et ipsum indigebit dijudicatione; quo facto, criterium esse non poterit (3). Porro, si aliquem Dogmaticum veritatis judicem esse dicimus, hoc dicimus respicientes aut ad ipsius aetatem, aut ad laborem, quem in quaerendo vero posuit, aut ad ipsius ingenium, aut ad multitudinem eorum, qui cum ipso consentiunt: atqui cum aliquem veritatis judicem esse statuimus, ad nullum horum animum advertere oportet: ergo errat qui alicui philosophorum veri judicium tribuit (4). Assumtio ita probatur: *a.* Non attendendum est ad aetatem; nam plures Dogmaticorum tum, cum sibi veritatis judicium ipsi tribuerent, fuerunt eadem aetate (*ὁμήλικες*); sic Plato, Democritus, Epicurus et Zeno, cum jam *seniores* essent verum se invenisse jactarunt; cum igitur omnes eadem fuerint aetate, non est, cur alterum alteri propter aetatem praeferamus. Deinde, *seniores* in universum minus sunt ingeniosi et acuti quam juvenes, ideoque ad omnem philosophiam minus apti, ut animadvertit etiam Asclepiades, celeber ille medicus. Quod autem multitudo senes juvenibus praefert, id inde explicandum est, quod experientiam confundant cum ingenio (1). *b.* Non attendendum est ad laborem, quem in quaerendo vero posuerunt Dogmatici, nam omnes laboriosi fuerunt et diligentes, cum vero dijudicando operam darent (2). *c.* Non attendendum est ad ingenium, nam omnibus ingenii laus tribuenda est (3). Praeterea difficile est, ut alterum altero ingeniosiorem esse ostendamus. Nam de hoc magna est sententiarum discrepantia, aliis huic, aliis illi ingenii principatum deferentibus. Deinde licet aliquem cognovissemus, omnibus, qui fuerunt et sunt, ingeniosiorem, tamen hic ne sic quidem fide dignus erit, nam nescimus, an postea futurus sit aliquis hoc ingeniosior et prudentior. Quod si fiat, primum deserere, ad alterum conferre nos oportebit. Rursus fieri potest, ut aliquis existat secundo illo ingeniosior, atque sic *εἰς ἄπειρον*. Denique omnes hi consensurine sint inter se, an diversa tradituri, non constat (4). Sed demus statui posse, quis sit omnium ingeniosissimus, nihil magis proficitur. Nam qui sunt ingeniosi, saepius non verum defendunt sed falsum. Vidimus saepe oratores multitudini falsa non modo proponentes, sed etiam persuadentes. Quidni igitur in philosophia qui ingeniosissimus esset, ita falsam opinionem defenderet, ut vera esse videretur? Qui autem sunt hebetes et tardi non possunt persuadere, etiamsi vera defendant (5). *d.* Non attendendum est ad consentientium multitudinem. Dixerit aliquis: at illius probabo sententiam, quam probari plurimis video. Frustra. Nam qui aliquam sententiam defendunt numero pares sunt iis, qui eam rejiciunt, v. c. Aristotelicis Epicurei, Epicureis Stoici. Nec ullus fuit philosophus, quin multos haberet discipulos, qui ipsius sententiam defenderent. At, inquiunt, hoc est quod volumus, illi philosopho assentimur, cujus doctrina plurimis probatur. Sed, o boni, videatis, ne uno acuto viro facile innumeri stulti vel hebetes assensum praebeant; rari enim ingeniosi, imprudentes plurimi. Deinde, si attendimus ad plurium consensum et testimonium, ducimur ad id, quod proposito est contrarium. Nam semper qui de aliqua re consentiunt numero inferiores sunt iis, qui de ea dissentiunt. V. c. iis, qui in Zenonis sententiam conveniunt, opponimus et Epicureos et Peripateticos et Academicos et omnes omnino, quotquot sint philosophorum sectae. Igitur multo majorem numerum inveniemus eorum, qui Zenonis sententiam improbant quam eorum, qui probant; et sic cuivis aliquid statuentium multitudini opponimus multo majorem e reliquis sectis turbam, quae in eo improbando consentit. Denique, quod argumentum latissime patet, qui de aliqua re consentiunt, aut unam habent eamdemque *διάθεσιν*, secundum quam consentiunt, aut diversam. Si habent diversam, non possunt consentire, sed necessario dissentiunt; sin unam eamdemque habent *εἰς ἰσότητα περιΐστανται τῷ τοὐναντίον ἀποφαινομένῳ*, h. e. non plurium, sed unius habent auctoritatem, ideoque iis omnibus par est unus, qui contradicit. Nam ut unus contradicens unam sequitur *διάθεσιν*, sic illi plures etiam unam tantummodo sequi possunt (1).

---

(1) *Sext. Empir.* P. H. II. 34, 35. *adv. Math.* VII, 314—316. Est autem haecce argumentandi ratio Scepticis valde frequens. Exempla e Sexto collegit Fabricius ad P. H. II, 115. not. S.

(2) *Sext. Empir.* P. H. II, 35, 36.

(3) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 317—320.

(4) *Sext. Empir.* l. l. 321.

---

(1) *Sext. Empir.* l. l. 321—323.

(2) *Sext. Empir.* l. l. 324.

(3) *Sext. Empir.* l. l. 325.

(4) *Sext. Empir.* P. H. II, 38—32.

(5) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 326. P. H. II, 42.

Aliud argumentum sequitur hoc. Qui jactat se esse veri regulam, id tantum dicit quod sibi videtur: quivis autem alius philosophorum id dicit, quod sibi videtur, et contrarium iis, quae alter protulit. Igitur hac in re sumus omnes pares. Et si primus fide dignus est, erit et secundus, erit tertius, erit quartus, erunt reliqui omnes, qui quod sibi videtur dicunt. Non igitur oportet alterum alteri praeferre, et uni prae ceteris veri tribuere judicium (2).

Deinde, is qui se criterium esse ipse dicit, aut nuda affirmatione, aut alio usus criterio hoc facit. Priori casu, nulla fide dignus est; sin alio criterio utitur, evertit se ipse. Nam hocce criterio cum eo aut consentit, aut dissentit. Si dissentit non erit fide dignum, quoniam dissentit ab eo, qui se ipse existimat esse regulam veritatis; sin consentit, indigebit alio rursus criterio, nam qui dixit, se esse veri regulam non erat fide dignus, igitur neque criterium quod cum illo conspirat. Quam ob rem nullus philosophorum veri falsique regula dici potest (3).

Porro, qui affirmat se esse veri judicem, aut nuda affirmatione aut demonstratione utitur. Et nuda quidem affirmatione usus, fidem non habet, ut saepius monuimus; si demonstratione, ostendendum est, hancce demonstrationem esse sanam et rectam; quod rursus fit aut nuda affirmatione, aut alia demonstratione, et sic in infinitum (4).

Tum, qui verum se judicare profitetur, is criterium habeat, necesse est, quo judicet. Hocce autem criterium, aut sine judicio assumitur, aut cum judicio: si sine judicio, non erit fide dignum; sin cum judicio, iterum id, quo illud judicium est institutum, aut sine judicio assumtum est, aut cum judicio; si sine judicio, fide non dignum erit, si cum judicio, iterum indigebit alio judicio, quo ipsum judicetur, et sic in infinitum (5).

Denique criterium, de quo dubitatur, opus habet demonstratione; sed demonstratio, cum et vera et falsa esse possit, indiget criterio, quod ei fidem faciat. Et sic in *διάλληλον* incidimus modum, criterio demonstrationem, demonstratione criterium exspectante.

Hisce omnibus effici volebant Sceptici, nullum exstare criterium a quo, quo sublato, ne reliqua quidem criteria, per quod et secundum quod existere possunt. Sed liberaliter agere volebant. Igitur dabant, esse criterium a quo, et alterum illud per quod evertere studebant.

---

(1) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 328—335. cf. VIII, 53. P. H. II, 43—46.

(2) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 236.

(3) *Sext. Empir.* l. l. 337—338.

(4) *Sext. Empir.* l. l. 339.

(5) *Sext. Empir.* l. l. 340.

De criterio per quod.

Si homo judicat, aut *per sensus*, aut *per intellectum*, aut *per sensus et intellectum* judicat: atqui nihil horum fieri potest: ergo nullum est criterium per quod.

I. Sensus non esse criterium per quod. Sensus per se judicare non posse supra jam declaratum est (1). Nam tantummodo impressionem accipiunt ab iis, qui ipsis subjiciuntur. Cum autem natura rationis sunt expertes, judicare nequeunt, utrum hae impressiones cum rebus subjectis consentiant nec ne (2)?

Praeterea magna est inter homines de sensibus διαϕωνία, aliis vanas esse eorum passiones statuentibus, aliis omnia, quae sensibus apparent, vera esse existimantibus. Haecce διαϕωνία dijudicari non poterit, neque a sensibus, propterea quod de iis ipsis est quaestio, neque ab alio quovis, cum secundum eam, quam refutamus, sententiam, nullum aliud praeter sensus existat criterium. Ex quo efficitur, sensus esse ἀνεπικρίτους et ἀκαταλήπτους. Quod si ita sit, quis iis ad verum judicandum utetur (3)?

Sed demus, sensus comprehendendi vim habere, tamen nihil veri habent ad res externas dijudicandas. Nam varie sensus ab iisdem rebus externis moventur et valde inter se dissident, ut manifesto ex decem illis dubitandi modis apparet (4). Dicendum igitur est, aut omnes phantasias veras esse, aut partim falsas, partim veras, si non licet omnes falsas dicere: cum nullum habeamus criterium, extra omnem dubitationem positum, quo dijudicemus, quaenam phantasia alteri praeferenda sit. Neque ulla demonstratio suppetit vera et dijudicata, cum adhuc quaeratur veritatis criterium, quo etiam demonstrationem dijudicari oportet (5).

Denique ad comprehendenda subjecta opus est, ut ipsorum proprietates intelligantur, et memoriae ope componantur. Non autem intelligentiam et memoriam habent sensus, utpote qui tantum colorem et vocem et quae sunt hujus generis plura percipiant (6).

II. Intellectum non esse criterium per quod.

Si intellectus veri erit criterium necesse est, ut prius se ipse cognoscat, et certum quid, tum de suae γενέσεως τρόπῳ, tum de loco, quo sit, statuat. Quanta autem, et quam difficilis ad dijudicandum hac de re sit sententiarum discrepantia, jam supra vidimus. Ergo intellectui veri judicium negari oportet (1).

---

(1) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 293. vide supra p. 67.

(2) *Sext. Empir.* l. l. VII, 344, 345.

(3) *Sext. Empir.* P. H. II, 49, 50.

(4) *Sext. Empir. Adv. Math.* VII, 345.

(5) *Sext. Empir.* P. H. 51—56.

(6) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 346, 347.

Deinde magna est intellectuum varietas et discrepantia. V. c. secundum Gorgiae intellectum *nihil est*, secundum Heracliti intellectum *omnia sunt*. Si autem intellectus διαφωνοῦσιν, rursus indigent criterio. Hocce criterium aut rursus intellectus erit, aut aliud quid: nequaquam intellectus, nam, ut pars dissensionis, et ipse opus habet, ut judicetur; sin aliud criterium admittimus, sequitur, intellectum non esse criterium (2).

Praeterea id, quod supra contra criterium a quo dictum est, huc quoque referri potest: scilicet, nos invenire non posse, qui sit intellectus omnium sagacissimus. Et licet invenissemus, tamen ei fidem habere non possemus, veriti ne quid falsi pro vero persuadere nobis conaretur (3).

Denique plerique philosophorum, praeter vim intelligendi, etiam vim sentiendi nobis tribuunt, et hancce illi antepositam esse (προκεῖσθαι) volunt. Quod si verum sit, non poterit intellectus esse criterium. Nam ut id, quod inter visum et visibile interpositum est, impedit, quominus visibile a visu apprehendatur, sic intellectus ab irrationalibus sensibus a rebus externis arceretur, et impediretur, quominus ipse per se res externas apprehenderet (4).

III. Sed neque sensus et intellectus conjuncti constituunt criterium per quod.

Nam sensuum magna est discordia; v. c. mel aliis amarum, aliis dulce videtur. Hinc Democritus dixisse fertur, neque dulce ipsum esse, neque amarum; Heraclitus esse utrumque. Idem de reliquis sensibus et sensibilibus dici potest. Igitur intellectus, si sensus nuntiantes sequatur, varia ac repugnantia proferat. necesse est. Quod alienum a criterio, cui comprehendendi vim tribuere oportet.

Praeterea rogamus, utrum omnibus omnino sensibus et omnibus intellectibus res sunt dijudicandae, an nonnullis tantum. Qui omnibus dicit, quae fieri nequeunt, postulat, cum tanta in sensibus et intellectibus sit discrepantia. Si quis alios sequendos esse arbitretur, aliis fidem neget, hic dicat, quonam criterio usus illos intellectus et sensus his praeferat. Tale autem criterium, de quo quidem conveniat, non habemus. Sunt qui contendant, sensus et intellectus sensibus et intellectibus judicari; sed in principii petitionem incidunt. Quaerimus nimirum utrum per hos judicari queat. Aliud etiam argumentum est, quo efficitur, intellectum intellectui et sensum sensui praeferri non oportere. Nempe aut sensibus sensus et intellectus ju-

---

(1) *Sext. Empir.* l. l. 348—350. P. H. II. 57, 58.

(2) *Sext. Empir.* P. H. II, 59, 60. *adv. Math.* VII, 351.

(3) *Sext. Empir.* P. H. II. 61, 62. cf. supra p. 70.

(4) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 352, 353.

judicantur; aut intellectibus sensus et intellectus; aut sensibus sensus et intellectibus intellectus; aut sensibus intellectus et intellectibus sensus. Si igitur per sensus aut per intellectus utraque judicare voluerint, non amplius per sensus et intellectus judicabunt, sed per alterum horum, quod elegerint. Quo facto, iis refutantur, quae separatim contra sensus et intellectum sunt disputata. Si vero sensibus sensus, intellectibus intellectus judicare voluerint, quandoquidem repugnant et sensibus sensus, et intellectibus intellectus, quemcunque ex repugnantibus sensibus vel intellectibus tamquam criterium arripuerint, semper in principii petitionem incident. Nam id, quod pars est controversiae, tamquam fide dignum, assumunt ad dijudicandum id, quod aeque in controversia est. Praeterea quominus sensibus intellectus, aut intellectibus sensus dijudicentur, vetat *ὁ διάλληλος τρόπος*; secundum quem, ut sensus intellectibus judicent, ipsum intellectum prius dijudicatum esse oportebit, et contra (1).

Per utrosque sensus et intellectum verum judicari, id ita a nonnullis intelligitur, intellectum sensibus uti tamquam ministris, et eorum ope atque auxilio res externas comprehendere (2). Quod minime fieri posse ostendendum est.

Sensus, ut vidimus, non ipsas res externas intellectui nuntiant, sed tantummodo rationem, qua ab iis afficiuntur (3). Sic v. c. tactus igne admoto non ignem ardentem, sed calorem, quem ignis excitat, ad intellectum refert (4).

Deinde, ne hoc quidem fieri potest, ut intellectus sensuum *πάθος* comprehendat; nam sic intellectus esset sensus. Etenim quod eam vim habet, ut videndi *πάθος* comprehendat, id ita movetur, ut videat; quod ita movetur, ut videat, est visus (5). Eodem modo intellectus ad sensuum *πάθος* comprehendendum, sentiendi vim habere debet; sentiendi vim habens, ita movetur, ut sentiat; si ita movetur, ut sentiat, sensus est. Et cum sensus est, est etiam expers rationis; expers rationis non est intellectus; si non est intellectus, tum sensuum *πάθος* comprehendere non poterit, ut intellectus (6).

Porro, si vel maxime intellectus eam vim habeat, ut sensuum *πάθος* comprehendat, minime tamen inde sequitur, eum res externas cognoscere. Nam multum differunt phantasia et res quae sub phantasiam cadit, *Φαντασία* et *Φανταστόν*. Sic e. g. differunt phantasia, quae ab igne venit, et ipse ignis; hic enim urit, illa urendi vi caret (7). Sed demus, res externas similes esse iis, quae sunt in nobis, affectioninibus, tamen intellectus, has affectiones percipiens non percipit res externas. Nam quod simile est alicui rei, diversum est ab illa re, cui simile est. Si igitur intellectus cognoscit ea, quae rebus externis sunt similia, non cognoscit res externas, sed ea quae ipsis sunt similia. Quemadmodum igitur is, qui ignorat Socratem, cum Socratis imaginem viderit, nesciet an similis isti, quam vidit, imagini sit Socrates: sic intellectus ad sensuum πάθη se convertens, cum res externas non viderit, nesciet, utrum illae τοῖς πάθεσι sint similia, nec ne (1).

---

(1) *Sext. Empir.* P. H. II, 63 — 69.

(2) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 354.

(3) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 293. supra pag. 66.

(4) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 354.

(5) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 305. supra pag. 67.

(6) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 355—356.

(7) De differentia inter φαντασίαν et φανταστὸν cff. *Pseudo-Plutarch. de Placit. Philos.* IV, 12. p. 229. *Diog. Laërt.* VII, 50. ibique *Menagius*. *Suidas* voce φαντασία.

Opponitur a Dogmaticis, quod saepius inculcare student (2), non separari oportere differentes illas animi partes, rationalem et irrationalem. Nam ut mel simul humidum est et dulce, sic animum duas habere sibi invicem adversantes (ἀντιπαρηκούσας) facultates, alteram rationalem, irrationalem alteram. Quarum illa movetur ab intelligibilibus, haec sensibilia comprehendit. Unde ineptum esse, qui dicat, intellectum, sive universe animum, non posse comprehendere alteram harum rerum differentiam. Nam cum diversam habeat διάθεσιν, etiam vim habeat necesse est utriusque comprehendendi. Haec ita solvuntur. Consistant hae duae facultates in eadem essentia; sibi invicem adversentur; totum pervadant animum; nihilominus diversi sunt generis, ita ut haec sit aliud, aliud illa. Et sic multa, quae in eadem materia sunt, diversam habent naturam. V. c. gravitas et color quamvis in eodem sint corpore, tamen quam maxime differunt. Sic igitur facultas illa rationalis, licet sit conjuncta cum altera irrationali, tamen potestate ab ea differt. Quo sequitur, eas similiter moveri et affici non posse; nam tum, utramque unam fieri oporteret; et rationalem quidem irrationalem, cum sine ratione afficeretur; irrationalem vero rationalem, cum ratione moveretur (3).

Alii autem illud, per utrosque, sensus et intellectum, verum judicari, ita interpretantur, intellectum sensibus uti tamquam foraminibus, per quae prospiciens ipsa per se res externas comprehendat. Quae ratio stare non potest.

Nam si intellectus eo modo res externas apprehendat, necesse est, ut eas, tamquam evidentes (ἐναργεῖς) apprehendat: atqui nihil est evidens: non igitur fieri potest, ut verum quod in rebus externis est, apprehendat (4).

Assumtio, *nihil esse evidens*, ita probatur. Evidens, τὸ ἐναργὲς, intelligimus id, quod ex se ipso comprehenditur, neque ullo alio indiget, quo probetur: τὸ ἐξ ἑαυτοῦ λαμβανόμενον καὶ μηδὲν χρῇζον εἰς παράστασιν. Nihil autem ex se ipso comprehenditur, sed ex illo, quod efficit, πάθει. Differunt autem, ut vidimus (5), πάθος et id, a quo efficitur (φανταστόν). Si igitur, de quo omnes consentiunt, id, quod ex alio percipi debet, obscurum est: omnia autem ex nostris πάθεσι, quae ab iis diversa sunt, percipiuntur: sequitur, omnes res externas esse obscuras, ideoque nobis ignotas (1). At, dicat aliquis, sunt illae quidem, quod ad hoc attinet, obscurae; sed comprehenduntur a nobis, propterea quod stabilis est ac certa, quae a πάθεσι fit, significatio. Respondemus, nullam esse necessitatatem, quare πάθη, quae nobis accidunt, accidant etiam causis, quibus ipsa illa πάθη efficiuntur. Si mel gustantes dulcedine afficimur, inde non sequitur, mel omnino esse dulce. Si flagellum in carnem injicitur, dolore afficimur; sed ineptus est, qui ideo dicit flagellum esse dolorosum. In reliquis sensibilibus eadem est ratio. Maneat igitur, nihil esse evidens, et propterea verum esse ignotum (2).

---

(1) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 357, 358.

(2) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 307. supra p. 67.

(3) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 359 — 369.

(4) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 364, 365.

(5) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 357. cf. supra pag. 74.

Denique ut de aliis, iisque gravissimis rebus, sic etiam de iis, quae sensibus apparent (φαινομένοις) magna est inter philosophos διαφωνία. Nam alii res sensibus apparentes plane tollunt; alii omnes admittunt, alii nonnullas tollunt, nonnullas admittunt. Ad hanc autem dijudicandam, sive intellectum quis, sive sensum, sive utrumque veri criterium existimet, oportet assumi aliquid, quod apparet, aut quod obscurum est. Sed id, quod apparet, minime assumi potest; nam cum sit ex eo genere rerum, de quo est controversia, et ipsum in controversiam cadit, ideoque non erit criterium. Multo minus assumi poterit id, quod obscurum est; nam nihil absurdius est, quam ut id, quod non cognoscitur, confirmare debeat id, quod cognosci videatur (3).

Sed concedamus esse criterium a quo et per quod; nihilominus rursus verum incognitum esse reperiemus, deficiente tertio criterio secundum quod.

De criterio secundum quod.

Criterium secundum quod intelligimus phantasiam. Contra quam primum ita dicendum est, ut omnis omnino tollatur phantasia. Hacce enim sublata, tollantur quoque ipsius species, necesse est (4).

I. Phantasia igitur est neque ἐπινόητος, neque κατάληπτος.

Cleanthes, ut vidimus, phantasiam definivit τύπωσιν ἐν ψυχῇ, eamque τύπωσιν fieri volebat κατ' ἐξοχὴν καὶ εἰϛοχήν. Contra hancce definitionem ea afferri possunt, quae attulit Chrysippus. Si animus, ut cera, impressiones accipit, semper ultima impressio priorem delebit. Quo facto, neque memoria, utpote quae secundum Stoicos est *θησαυρισμὸς Φαντασιῶν*, neque ars quam *σύστημα καὶ ἄθροισμα καταλήψεων* iidem intelligunt (1), exsistere poterit (2). Deinde Stoici animum ejusque principatum definiebant *πνεῦμα, ἢ λεπτομερέστερόν τι πνεύματος* (3). Quod si ita sit, fieri non potest, ut animus, sive illius principatus, ullam servet impressionem. Nam multa sunt corpora *πνεύματος* crassiora, e. g. aqua, quae typum servare nequeunt; ergo multo minus *πνεῦμα* (4).

---

(1) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 366.

(2) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 367, 368.

(3) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 369.

(4) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 370, 371.

Cleanthis igitur definitionem corrigere volens Chrysippus, phantasiam esse dixit, *ἑτεροίωσιν ἐν ψυχῇ*. Sed neque haec definitio admittenda est. Nam *ἑτεροιώσεων* duo sunt genera, *κατὰ πάθος*, alterum, v. c. cum statua, sole illucente, calescat, noctu autem, rore cadente, frigescat; alterum *ὡς ἀλλαγὴ τοῦ ὑποκειμένου*, v. c. cum statua fusa, fit globus aeneus. Si igitur illa Chrysippea animae *ἑτεροίωσις* fit *κατὰ πάθος*, sequitur, alteram phantasiam alteram pellere, ut nulla retineatur. Quod si ita sit, nulla esse poterit memoria. Sin autem illa *ἑτεροίωσις* intelligenda est *ἀλλαγὴ ὑποκειμένου*, necesse est, ut animus, qui phantasiam accipit, animus esse desinat; quemadmodum statua in globum aeneum mutata non amplius est statua (5). Neque hoc loco omittendae sunt Scepticorum de *mutatione* dubitationes. Nam si quid mutatur aut, id, quod manet, *τὸ μένον*, aut id, quod non manet, *τὸ μὴ μένον*, mutatur. Sed quod manet, non mutatur; manet enim idem, quod est; v. c. quod album manet, non mutatur, nam manet album. Neque id, quod non manet, mutatur; interiit enim et est mutatum, non mutatur. Ergo nulla est mutatio (6). Quo sequitur, phantasiam, si animi quaenam est mutatio, existere non posse (7).

Sed licet demus esse *ἑτεροίωσιν*, tamen non damus phantasiam consistere, si quidem, ut alii volunt, est *ἑτεροίωσις τοῦ ἡγεμονικοῦ*. Saepius jam monuimus, magnam de hocce *ἡγεμονικῷ* esse *διαφωνίαν*, aliis illud plane tollentibus, ut Asclepiades, aliis de loco, in quo sit, dissidentibus (8). Concedamus autem, exstare ejusmodi *ἡγεμονικοῦ ἑτεροίωσιν*: tum quia illa mutatio non aliter infertur principatui, nisi per sensus, eamdem subeat mutationem ac sensus, aut diversam. Si eamdem, tum quoniam sensus rationis sunt expertes, id quoque, quod per sensus mutatur, ratione carebit, ne-

---

(1) *Sext. Empir.* P. H. III, 188, 241 ibique *Fabricius* not. Λ. et §. 251. *adv. Math.* II, 10. VII, 109. XI, 182.

(1) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 372, 373. cf. 228.

(3) *Sext. Empir.* P. H. II, 81, 388. *Pseudo-Plutarch. de Placit. Philos.* IV, cap. 3. p. 284.

(4) *Sext. Empir.* P. H. II, 70. *adv. Math.* VII, 374, 375.

(5) *Sext. Empir.* P. H. II, 70. *adv. Math.* VII, 276, 277.

(6) Eodem argumento mutationem tollit *Sextus* P. H. III, 104. Cui alia addit l. l. 103, 105—108. cf. *adv. Math.* X, 37—166.

(7) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 378, 379.

(8) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 380.

neque a sensu diversum erit. Quo facto τὸ ἡγεμονικὸν erit ἄλογον. Sin diversam, tum quae in ἡγεμονικῷ orietur phantasia differet a Φανταστῷ, quod eam effecit. Quo iterum nihil absurdius.

Nulla igitur phantasiae definitio stare potest: itaque hucusque nullam ejus habemus notionem; quo sequitur, eam etiam esse incomprehensibilem. Quod etiam alio argumento effici licet. Nam secundum Stoicorum definitiones phantasia est πάθος ἡγεμονικοῦ, illud vero ἡγεμονικὸν comprehendi nequit propter infinitam, quae de eo est, διαφωνίαν: ergo neque hujus πάθος, i. e. phantasia, comprehendi potest (1).

II°. Sed concedamus, phantasiam et intelligi posse, et comprehendi, nihilominus affimare non licet, res secundum eam dijudicari et posse et debere.

Nam intellectus non per se rerum externarum phantasias accipit, sed per sensus: sensus autem, ut jam vidimus, non ipsas res externas comprehendunt, sed tantum sua ipsorum πάθη: phantasia igitur ad haecce πάθη pertinet, non ad ipsas res externas se applicat. Igitur qui secundum phantasiam judicat, is tantum de sensuum πάθεσι, non de rebus externis judicat (2). At, dicat aliquis, intellectus per sensuum πάθη res externas dijudicat, quoniam illa πάθη et res externae inter se conveniunt et similia. Sed unde tandem intellectus novit, ea similia esse? qui neque ipse per se umquam cum rebus externis aliquid habeat commercii, neque a sensibus de earum natura certior fiat. Quod abunde ex illis dubitandi modis apparet (3).

Deinde phantasia nihil aliud est, nisi effectum (ἀποτέλεσμα) ejus rei, quae sub phantasiam cadit, Φανταστοῦ. Igitur intellectus ad phantasias se conferens comprehendet, non ipsas externas, quae sub phantasiam cadunt, sed ipsarum effecta (4).

Si quis dicat, intellectum se rebus externis applicare secundum motus aut affectiones, quas illae res efficiant, easdem, quas supra, movebimus dubitationes. Nam aut eaedem sunt nostrae phantasiae ac res externae, aut similes. Et eaedem quidem, ut sint, fieri non potest. Quis enim dicet, eadem esse causam et effectum. Phantasiae autem sunt rerum externarum effecta. Sin similes sunt, tum, quia id, quod alicui rei simile est, ab hac ipsa re differt, sequitur, intellectum tantum posse cognoscere ea, quae rebus externis, sub phantasiam cadentibus, similia sunt, non autem res externas sub phantasiam cadentes. Quomodo enim intellectus sciet, res illas sub phantasiam cadentes, similes esse phantasiis? Nam aut sine phantasia aut per phantasiam hoc cognoscet. Et sine phantasia illud cognoscere non potest. Nam, ut ipsi volunt Dogmatici, ita natura comparatum est ut intellectus nihil percipiat, nisi Φαντασιούμενος, h. e. nisi acceptis phantasiis. Sin autem hoc facit per phantasiam, omnino haecce phantasia, ut cognoscatur, an similis sit ei, quod sub phantasiam cadit illamque efficit, debet et se ipsa percipere et subjectum illud, quod sub phantasiam cadit. Hocce autem sub phantasiam cadens subjectum fortasse poterit percipere, cum sit illius phantasia; se ipsa numquam poterit. Nam ut hoc fiat, necesse erit unum idemque simul esse et phantasia et id quod sub phantasiam cadit. Quod fieri nequit. Nam phantasia est, effectum; id quod sub phantasiam cadit, est causa, quae efficit. Numquam autem effectum et causa idem esse possunt (1).

---

(1) *Sext. Empir.* P. H. II, 71.

(2) *Sext. Empir.* P. H. II, 72, 73.

(3) *Sext. Empir.* P. H. 74, 75.

(4) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 383.

Sed omnia, quae hactenus in dubiam vocata sunt, Dogmaticis concedamus, et alio eos modo refutemus. Si phantasia tamquam veri falsique regula amplectenda est, aut omnem veram esse dicere debemus, ut fecit Protagoras: aut omnem falsam, quae erat Xeniadis aliorumque sententia: aut aliam veram, aliam falsam, ut Stoici. Atqui nihil horum dici potest. Ergo non est dicendum, phantasiam esse veri criterium (2). Assumtio ita probatur:

A. Non dicendum est, omnem phantasiam esse veram.

Hoc primum efficimus διὰ περιτροπὴν, quae dicitur. Nam si omnis phantasia vera est, tum etiam ea phantasia vera est, secundum quam dicitur, omnem phantasiam esse falsam (3). Deinde omnem phantasiam esse veram, id, et iis, quae sensibus apparent (τοῖς φαινομένοις), et evidentiae adversatur, cum multae sint falsae phantasiae. Etenim hoc, *Socrates vivit*, et illo, *Socrates mortuus est*, non similiter movemur, neque habent ista parem evidentiam; sed videtur probabilius illud, *Socratem esse mortuum* (4). Tum, eadem oratio, quae ex quibusdam rebus consequitur, vel cum iis pugnat, et vera est et falsa. V. c. ei, *quod dies est*, aperte consequitur, *quod sit lux*; cum eodem autem, *quod dies est*, evidenter pugnat, *quod sit nox*, et alterum altero plane tollitur. Ex quo sequitur, esse phantasiam, quae cum altera pugnet. Quodsi ita sit, non omnis phantasia vera esse poterit. Quod enim pugnat cum aliquo, pugnat, tamquam verum cum falso, aut tamquam falsum cum vero (5). Porro si omnis phantasia est vera, nihil erit nobis incertum (ἄδηλον). Nam aliquid tum incertum est, cum et verum et falsum esse potest, et cum simul ignoratur, quid horum sit. Igitur si omnes phantasiae verae sunt, nihil erit nobis incertum; si nihil incertum, omnia erunt evidentia; quo facto, tollitur omnis quaecunque de re dubitatio, tollitur omnis disquisitio. Quo nihil esse potest absurdius (6). Praeterea si omnis phantasia est vera, fieri nequit, ut vera dicamus, neque ut falsa. Atque sic tollitur omnis error,

---

(1) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 384 — 387.

(2) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 388. Idem argumentum, sed brevius explicuit P. H. II, 76, 79. Attigit etiam P. H. III, 241. *adv. Math.* XI, 182.

(3) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 389.

(4) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 389 392.

(5) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 393.

(6) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 394.

ror, omnis ars, omnis virtus, et quae sunt hujus generis plura. Etenim si omnis phantasia vera est, nihil erit falsum; si nihil est falsum, fieri non potest, ut falsa dicamus, neque ut erremus, neque ut artis expertes, neque ut mali simus. Unumquodque enim ex iis adhaeret falso, et ex eo ad exsistentiam venit. Si nemo falsa dicit, nemo vera dicet; si nemo errat, nemo non errabit; si nemo artis expers est, nemo erit artifex; haecce enim omnia intelliguntur ex comparatione (1). Denique si omnis phantasia est vera, nec animal, nec planta, imo nec mundus ponatur. Nam si omnia sunt vera, necesse est, ut omnia sint evidentia. Quod si ita sit, etiam illud verum erit, *omnia esse obscura*, utpote unum ex omnibus. Si igitur omnia sunt obscura, et animal et plantam et mundum nobis apparere negabimus (2).

B. Non dicendum est, omnes phantasias esse falsas.

Contra eos, qui omnes phantasias falsas esse statuebant, eadem dicuntur ac contra eos, qui omnes veras esse volebant. Nam primum, si omnes phantasiae sunt falsae, nihil erit verum: falsa igitur et ea phantasia est, secundum quam omnes phantasiae falsae esse dicuntur (3). Praeterea animadvertenda est phantasiarum evidens fere discrepantia; cum aliae assensionem nostram attrahant, aliae repellant. Quod ni ita esset, omnia aeque essent credibilia, et incredibilia; neque ars esset, neque artis imperitia; neque laus, neque reprehensio caet. (4).

C. Non dicendum est, aliam phantasiam esse veram, aliam falsam.

Hoc loco primum disputandum est contra Stoicorum *φαντασίαν καταληπτικὴν*; cujus definitionem perspicuitatis causa repetamus. Est igitur *ἡ καταληπτικὴ φαντασία ἡ ἀπὸ τοῦ ὑπάρχοντος, καὶ κατ' αὐτὸ τὸ ὑπάρχον ἐναπομεμαγμένη καὶ ἐναπεσφραγισμένη, ὁποία οὐκ ἂν γένοιτο ἀπὸ μὴ ὑπάρχοντος.* Hanc ut everterent inprimis studuerunt Academici, quorum argumenta eo fere spectabant, ut ostenderent, illam comprehendentem phantasiam nihil habere, quo a non comprehendente distinguatur. Cicero: *quatuor sunt capita, quae concludant nihil esse, quod nosci, percipi, comprehendi possit: de quo haec tota quaestio est. E quibus primum est, esse aliquod visum falsum: secundum, non posse id percipi: tertium, inter quae visa nihil intersit, fieri non posse, ut eorum alia percipi possint, alia non possint: quartum, nullum esse visum verum, a sensu profectum, cui non appositum sit visum aliud, quod ab eo nihil intersit, quodque percipi non possit.* Horum capitum primum, secundum et tertium Stoici concedunt, *omnis pugna de quarto est* (5).

Carneades restitit Stoicis affirmantibus, comprehendentem phantasiam facile internonosci posse *κατὰ τὸ ἐναργὲς καὶ ἔντονον ἰδίωμα*, i. e., secundum evidentem et intensam proprietatem. Itaque improbavit illam Stoicae definitionis partem: *ὁποία οὐκ ἂν γένοιτο ἀπὸ μὴ ὑπάρχοντος.* Nam, inquit, oriuntur etiam ab eo, quod non existit, phantasiae, tamquam ab eo, quod existit. Tales phantasiae eamdem habent evidentiam et aeque nos commovent. Quod intelligitur ex iisdem *πράξεσι*, conditionibus et actionibus, quae ex iis sequuntur. V. c. is, qui vigilans sitit et bibit, voluptate afficitur; atqui is, qui in somnio sitire et bibere sibi videtur, haud minus delectatur. Sic etiam is, qui feram fugit, clamat et vociferatur; at, qui in somnis feram sibi fugere videtur, saepe haud minus clamores edit. Non igitur phantasia, quae oritur ab eo, quod existit, distingui potest ab ea, quae oritur ab eo, quod non existit (1). Haec Carneades. Eodem argumento etiam Philonem usum fuisse, auctor est Cicero (2).

---

(1) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 395, 396.

(2) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 397.

(3) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 398, 399.

(4) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 400.

(5) *Cic. Acad. Quaest.* II, 26. cf. c. 9, 11, 13, 20, 22, 24. 32, 34. *de Nat. Deor.* I, 5.

Deinde alii Academicorum ostenderunt, non modo secundum *τὸ ἐναργὲς καὶ ἔντονον ἰδίωμα* non distingui posse comprehendentes phantasiae a non comprehendentibus, sed neque etiam secundum *χαρακτῆρα καὶ τύπον.* Haec reprehensio pertinet ad illud, quod est in definitione: *ἐναπομεμαγμένη καὶ ἐναπεσφραγισμένη.* Nam quae forma similia, sed in subjecto diversa sunt, ab his eodem modo exprimuntur et effinguntur phantasiae, ita ut internosci non possit, quae sit comprehendens, quae non comprehendens. V. c. duo ova quam maxime inter se similia alternatim demus sapienti Stoico discernenda. An hoc facere poterit? Minime. Eadem ratio est in geminis. Sic sapiens falsam phantasiam arripiet, tamquam ab eo, quod existit, expressam effictamque, cum a Castore eamdem accipit phantasiam, atque a Polluce. Hinc etiam est ille *ἐγκεκαλυμμένος*, qui dicitur, *λόγος.* Nam si draco ex antro prospexerit, non poterimus dicere, utrum idem sit draco, qui prius prospexerat, an alius; cum in eodem antro multi convoluti sint dracones (3). Igitur comprehendens phantasia nihil habet, quo a falsa et non comprehendente distinguatur.

Praeterea nihil est, quod comprehendendi vim habeat; ergo neque phantasia. Hoc ita efficere conati sunt Academici: si quid aliud, certe visus comprehendendi vim habere videtur: atqui visus nullam comprehendi vim habet: ergo nihil comprehendendi vim habet. Assumtio ita probatur:

Visus percipere videtur colores, magnitudinem, habitum et motum: atqui nihil horum percipit: ergo nihil percipit.

Videamus tantum de coloribus. Si visus ullum colorem comprehendit, certe hominis colorem comprehendit: atqui non comprehendit hominis colorem: ergo nullum comprehendit colorem.

---

(1) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 164, 402—407.

(2) *Cic. Acad. Quaest.* II, 6.

(3) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 308—411. *Cic. Acad. Quaest.* II, 17, 18, 21, alibi. De ἐγκεκαλυμμένῳ λόγῳ videantur, quos laudavimus pag. 24.

Visum hominis colorem non comprehendere posse, intelligetur, si ad varias infinitasque mutationes attenderimus, quas hominis color secundum *ὥρας*, *ἐνέργειαν*, *φύσεις*, *ἡλικίας*, *περιστάσεις*, *νόσους*, *ὑγίειαν*, *ὕπνον*, *ἐγρήγορσιν*, caet. subire solet. Quae autem sic mutantur, mutari quidem scimus, qualia revera sint, ignoramus. Si autem visus hominis colorem percipere non potest, nec alium quemvis colorem percipiet. Eadem est ratio de reliquis, quae visu comprehendenda videri diximus (1).

Deinde Academici ut phantasiam a phantasia internosci non posse ostenderent, utebantur *sorite*. Cujus finem optime sic descripsit Cicero: *rerum natura nulla nobis dedit cognitionem finium, ut nulla in re statuere possimus, quatenus: nec hoc in acervo tritici solum, unde nomen est, sed ulla omnino in re, minutatim interrogati; dives, pauper: clarus, obscurus sit: multa, pauca: magna, parva: longia, brevia: lata, angusta: quanto aut addito aut demto certum quod respondeamus non habemus* (2). Illius autem soritis, quo Academici Stoicos premebant, exemplum hoc est: *Si tale visum objectum est a Deo dormienti, ut probabile sit, cur etiam non ut valde verosimile? cur deinde non ut difficiliter a vero internoscatur? deinde ut ne internoscatur quidem? prostremo, ut nihil inter hoc et illud intersit* (3)? Stoici, quo hoc solverent, non inveniebant, et captiosum esse illud interrogandi genus dicebant. Praeterea volebant, in sorite primam concessam propositionem esse *φαντασίαν καταληπτικήν*· reliquae sunt *φαντασίαι ἀκατάληπτοι*. Cum igitur prima *ἀκατάληπτος φαντασία* nullo fere intervallo ab illa *καταληπτικῇ* distincta sit, ita facile fieri posset, ut sapiens, vicinitate deceptus, imprudens ejusmodi *ἀκαταλήπτῳ φαντασίᾳ* assensum praeberet. Hanc reprehensionem ita effugere conatus est Chrysippus: *ἐπὶ τοῦ σωρείτου τῆς ἐσχάτης καταληπτικῆς φαντασίας τῇ πρώτῃ ἀκαταλήπτῳ παρακειμένης καὶ δυςορίστου σχεδὸν ὑπαρχούσης, φασὶν οἱ περὶ Χρύσιππον, ὅτι ἐφ' ὧν μὲν φαντασιῶν ὀλίγη τις οὕτως ἐστὶ διαφορὰ, στήσεται ὁ σοφὸς καὶ ἡσυχάσει, ἐφ' ὧν δὲ πλείω προςπίπτει, ἐπὶ τούτων συγκαταθήσεται τῇ ἑτέρᾳ ὡς ἀληθεῖ* (4). Carneades eum irrisione urgebat: *per me vel stertat licet, non modo quiescat, sed quid proficit? Sequitur enim qui illum ex somno excitet, et eodem modo interroget: Quo in numero conticuisti, si ad eum numerum unum addidero, multane erunt? Progrediere rursus, quoad videbitur. Quid plura? Hoc enim fateris, neque ultimum te paucorum neque primum multorum respondere posse. Cujus generis error, ita manet, ut non videam, quo non possit accedere* (5). Alio modo Pyrrhonii

---

(1) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 411—415. Huc pertinent illae quaestiones de *remo inflexo*, et *colle columbae*, et quae praeterea sunt in Scepticorum dubitandi modis. Conferri quoque debet *Cic. Acad. Quaest.* II, 25, 26.

(2) *Cic. Acad. Quaest.* II, 19. (3) Idem ibid. cap. 16.

(4) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 41. P. H. II, 253. *Cic. Acad.* l. l. cap. 19.

(5) *Cic. Acad. Quaest.* II, 29.

Chrysippum refutare studebant. Nam hic in sorite semper primam propositionem concedebat, in reliquis tantum quiescebat. Igitur illi ostendebant, nihil istam quietem illum juvare, quia quae *ἀκατάληπτος φαντασία* longissime a *καταληπτικῇ* distare videtur, revera cum ea conjuncta est; ut nihilominus metuendum sit, ne sapiens vicinitate decipiatur, et imprudens *φαντασίᾳ ἀκαταλήπτῳ* assentiatur (1). Rem sequenti exemplo declarat Sextus. Ponatur comprehendens phantasia: *quinquaginta sunt pauca;* et altera non comprehendens, *decem millia sunt pauca.* Quoniam autem a non comprehendente, *decem millia sunt pauca*, longe distare et separata esse videtur altera comprehendens, *quinquaginta sunt pauca;* non dubitabit sapiens propter illud tam magnum intervallum, quin huic quidem, *quinquaginta sunt pauca*, quippe comprehendenti phantasiae, assentiatur; illi autem, *decem millia sunt pauca*, utpote non comprehendenti, assensionem negabit. Atqui si huic, *decem millia pauca sunt*, non assentietur, quia magno intervallo sejuncta est ab illa, *quinquaginta sunt pauca;* manifestum est, eum etiam assensum praebiturum esse isti, *quinquaginta et unum sunt pauca*, quia haec nullo intervallo ab illa comprehendente, *quinquaginta sunt pauca*, distat. Atqui, ut vidimus, in sorite ea, quae prima sequitur illam ultimam *καταληπτικὴν φαντασίαν*, est *ἀκατάληπτος*. Igitur in nostro exemplo, *quinquaginta et unum pauca sunt*, erit prima illa *ἀκατάληπτος φαντασία*. Huic, ut vidimus, assentietur sapiens. Si huic assentietur nullo intervallo ab ea, *quinquaginta pauca sunt*, distinctae; quidni et alteri *ἀκαταλήπτῳ*, *decem millia pauca sunt*, assentietur? Nam quaevis phantasia non comprehendens cuivis non comprehendenti par est. Itaque si illa non comprehendens, *decem millia pauca sunt*, par est alteri non comprehendenti, *quinquaginta et unum pauca sunt;* haec autem nullo intervallo distat ab ea comprehente, *quinquaginta sunt pauca;* sequitur, etiam illam non comprehendentem, *decem millia sunt pauca*, facile confundi posse cum illa comprehendenti, *quinquaginta sunt pauca* (2). Neque negare possunt, incomprehendentes phantasias esse pares, et dicere, aliam magis, aliam minus esse incomprehendentem. Nam, ut homo ab homine, quatenus homo est, non differt, sic neque phantasia non comprehendens a non comprehendente diversam esse potest. Quod ipsi Stoici senserunt, ut apparet ex illo ipsorum paradoxo: *ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα* (3). Sed, sit alia phantasia magis incomprehendens, alia minus; nihil proficiunt. Assentiatur sapiens licet minus comprehendenti, at semper non comprehendenti assentietur. Quod absurdum; nam ne minimus quidem error in eum cadere potest (4).

---

(1) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 417. cf. *Stäudlin*, l. l. p. 338. not. 270.

(4) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 418 — 421.

(3) De hoc paradoxo cf. *Cic. Parad.* III. *Acad. Quaest.* II, 43. *De fin.* IV, 27.

(4) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 422, 423. cf. ejusdem libri 432. P. H. II, 83.

Videndum quoque est de eo, quod recentioribus Stoicis placuit non omnem *καταληπτικὴν φαντασίαν* esse veri criterium, sed eam, quae nihil habeat obstaculi, *ἡ μηδὲν ἔχουσα ἔνστημα.* Ut igitur phantasia ejusmodi sit, quinque ei adesse debent, quorum si vel unum absit, veri criterium esse nequit. Sunt autem haec: *τό τε αἰσθητήριον καὶ τὸ αἰσθητὸν, καὶ ὁ τόπος, καὶ τὸ πῶς, καὶ ἡ διάνοια* (1). Atqui nullum horum comprehendenti phantasiae adesse potest. Nam, ut supra vidimus (2), et propter *αἰσθητηρίων* diversitatem, et propter externam conditionem aliaque, numquam aut eaedem, aut eodem modo res sese nobis representant. Igitur dici quidem potest, aliquid huic vel illi sensui in hac vel illa *περιστάσει* apparere, sed numquam affirmare possumus, id revera tale esse, quale appareat. Quamobrem nulla est phantasia, cui nihil obstet (3).

Quae hactenus commemoravimus argumenta sunt magnam partem Academicorum. Superest, ut quaedam Pyrrhoniis propria exponamus.

Cum Stoici, ut vidimus, *τὴν καταληπτικὴν φαντασίαν* sic definiant, ut sit *ἡ ἀπὸ τοῦ ὑπάρχοντος, καὶ κατ᾽ αὐτὸ τὸ ὑπάρχον ἐναπομεμαγμένη καὶ ἐναπεσφραγισμένη, ὁποία οὐκ ἂν γένοιτο ἀπὸ μὴ ὑπάρχοντος*; rogandi sunt, quid sit illud *ὑπάρχον.* Respondent id, quod *τὴν καταληπτικὴν φαντασίαν* movet. Ut igitur cognoscamus, quid sit *καταληπτικὴ φαντασία*, debemus cognitum habere *τὸ ὑπάρχον*; et rursus ut *τὸ ὑπάρχον* cognoscamus, opus est *καταληπτικῇ φαντασίᾳ.* Quis non videt, eos in quintum illum dubitandi modum, *τὸν διάλληλον*, incurrere (4)?

Deinde cum phantasiarum aliae sunt comprehendentes, aliae non comprehendentes; aliud criterium habere oportet, quo doceamur, quaenam sint comprehendentes, quaenam non comprehendentes. Illud autem criterium rursus erit vel phantasia comprehendens, vel non comprehendens. Si non comprehendens, sequitur omnium omnino rerum criterium esse non comprehendentem phantasiam; quandoquidem haec etiam illam comprehendentem dijudicat. Sin illud criterium erit comprehendens phantasia, tum haec ipsa examinanda est, an comprehendendi vim habeat. Quod fieri non poterit, nisi per aliam comprehendentem phantasiam, quae rursus alia indigebit, et sic *εἰς ἄπειρον.* Qui est secundus dubitandi modus (5). At dicat aliquis, comprehendens phantasia criterium est, et illius quod sub phantasiam cadit (*τοῦ φανταστοῦ*), an vere subjectum sit, et sui ipsius, an comprehendendi vim habeat. Hoc perinde est, ac si invertas et dicas, id, quod sub phantasiam cadit, et se ipsum et phantasiam probare. Nam quemadmodum, quia ea, quae apparent, dissentiunt, criterium quaerimus, quo dijudicemus, quid revera existet, quid non existet; sic etiam, cum phantasiae differant, quaerimus criterium, quo illas judicemus, utrum comprehendendi vim habeant, nec ne. Quamobrem si phantasia eam habeat vim, ut se ipsa dijudicet, quidni et id, quod sub phantasiam cadit, se ipsum fide dignum facere poterit, licet in maxima sit διαφωνίᾳ? Sed si volunt, hoc quatenus est διάφωνον, indigere criterio, tum etiam phantasia indigebit criterio, ut palam fiat, an revera comprehendendi vim habeat (1).

---

(1) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 424. Cf. ejusdem libri 452, 457.

(2) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 414. et in dubitandi modis.

(3) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 425.

(4) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, pag. 426.

(5) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 427—429.

Denique solus perfectus sapiens, secundum Stoicorum doctrinam, verum cernere potest: talis autem sapiens, ut ipsi fatentur, numquam invenitur: quo sequitur, verum etiam numquam inventum iri. Praeterea, si numquam sapiens invenitur, omnes sunt stulti. Igitur etiam Zeno, Cleanthes, Chrysippus, alii sunt stulti. Cui consentaneum, nec hos verum invenire potuisse, quin etiam illud ipsum, ὅτι ὁ φαῦλος πάντ' ἀγνοεῖ (2), ignorasse (3).

Academici, ut vidimus, τὴν πιθανὴν φαντασίαν admittebant, tum ut vitae instituendae regulam, tum quodammodo etiam ut veri falsique notam. Utroque nomine ab iis Pyrrhonii differebant, qui de veri criterio nihil omnino statuere se dicebant, et ad vitam regendam, non aliquam probabilem phantasiam, sed τὸ φαινόμενον assumebant. Itaque breviter etiam videamus argumenta, quibus Academicos refutabant.

Primum τὴν πιθανὴν φαντασίαν, vitae regendae esse regulam, absurdum est; nullus enim ejusmodi phantasiarum ad vitam recte agendam usus est. Nam singulae observatione diuturna indigent, secundum quam alia simpliciter πιθανή, alia etiam διεξωδευμένη et ἀπερίσπαστος dicatur. Deinde ἡ πιθανὴ φαντασία non esse potest veri criterium. Nam ad verum dijudicandum, non simplex probabilis phantasia sufficit; multo magis oportet eam esse διεξωδευμένην; ne, cum singulae res κατὰ τρόπον αὐτῆς considerantur, in suspicionem veniamus, aliquid eorum, quae rite examinari debuerant, a nobis omissum esse. Nam tum demum, cum probabilis phantasia rite examinata, διεξωδευμένη, eoque ἀπερίσπαστος facta est, verum per eam cognosci potest (4). Praeterea quae argumenta ab Academicis contra Stoicos sunt allata, ea in eos ipsos convertere licet. Ut enim ἡ καταληπτικὴ φαντασία criterium esse non potest, propterea quod sunt multae falsae phantasiae, quae ab ipsa internosci nequeunt; sic etiam probabili phantasiae, licet eam per partes examinemus, multa falsa adjacent, quibus decipi possumus (5).

---

(1) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 430—332.

(2) De hocce placito cf. *Cic. Parad.* IV.

(3) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 432—435.

(4) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 435—437.

(5) *Sext. Empir. adv. Math.* 438.

Quemadmodum Pyrrhonii Academicorum probabilem phantasiam evertere conabantur, sic contra Academici et alii philosophi Pyrrhoniorum *φαινόμενον* rejiciebant. Unum, quo hoc faciebant, argumentum una cum Pyrrhoniorum defensione servatum est apud Diogenem Laërtium, quod non alienum erit hoc loco adscripsisse: *πρὸς τοῦτο τὸ κριτήριον τῶν φαινομένων οἱ Δογματικοὶ φασιν, ὅτι, ὅτε ἀπὸ τῶν αὐτῶν διαφοροὶ προςπίπτουσι φαντασίαι ὡς ἀπὸ πύργου ἢ στρογγύλου ἢ τετραγώνου, ὁ Σκεπτικὸς, εἰ οὐδετέραν προκρινεῖ, ἀπρακτήσει· εἰ δὲ τῇ ἑτέρᾳ κατακολουθήσει, οὐκέτι τὸ ἰσοσθενὲς, φασὶν, τοῖς φαινομένοις ἀποδώσει. Πρὸς οὓς οἱ Σκεπτικοὶ φασιν, ὅτι, ὅτε προςπίπτουσιν ἀλλοῖαι φαντασίαι, ἑκατέρας ἐροῦμεν φαίνεσθαι, καὶ διὰ τοῦτο τὰ φαινόμενα τιθέναι, ὅτι φαίνεται* (1).

Cum igitur sit nullum *criterium a quo*, neque *per quod*, neque *secundum quod*, sequitur, nullum esse criterium.

Sed nondum in his aequiescebant Dogmatici, sed Scepticorum argumenta contra eos ipsos convertere studebant. Quomodo, inquiunt, Scepticus demonstrat, non esse veri criterium? Nam hoc dicit, aut sine judicio aut criterio usus. Et vero si sine judicio, fide dignus non erit; sin criterio utetur, *περιτραπήσεται.* Nam cum negat criterium dari, fatetur, se ad hoc probandum criterio uti (2). Deinde est haec Scepticis frequens, ut vidimus, argumentandi ratio, ut primum dicant, si aliquid est criterium, aut dijudicatum est, aut non dijudicatum; deinde aut *ἐκπτωσιν εἰς ἄπειρον*, aut absurde criterium statui, colligant. Hanc igitur rationem ita sibi evertere visi sunt Dogmatici, ut dicerent, fieri posse, ut aliquod criterium et aliud quid et se ipsum dijudicet. Sic v. c. id quod rectum est et se ipsum rectum esse probat et alia: sic lux et se ipsa manifestat et alia. Igitur criterium et aliorum et sui ipsius criterium esse potest (3).

Istis ita occurri potest, morem esse Scepticorum ea, quae communiter creduntur, non defendere, sed in talibus eos contentos esse communi anticipatione, tamquam sufficienti probatione. Contra ea, quae incredibilia videntur, defendunt, et singulis eorum addere ejusmodi conantur momenta, quibus eamdem fidem acquirunt atque ea, quae creduntur; sic etiam in praesenti quaestione non id agunt, ut expositis argumentis criterium tollant, sed ut ostendant, aeque probabile esse hoc, *non esse criterium*, atque illud, *esse criterium* (4). Deinde si omne veri criterium tollere videantur Sceptici, verum est, eos ad hoc probandum non quavis obvia phantasia, tamquam criterio uti posse. Sed hoc non faciunt. Utuntur quavis obvia phantasia tantum eatenus, quatenus per eam rationes colligunt probabiles, quibus efficiatur, nullum esse veri criterium. Neque hoc cum assensione faciunt, sed ut *ἰσοσθένειαν* inducant. Nam illae rationes, quibus aliquid veri criterium ponitur, aeque iis videntur probabiles (5). Quod autem tertio loco dicecebant, criterium ita comparatum esse, ut et alia, et se ipsum dijudicare posset, quemadmodum regula et trutina, id puerile est. Nam singula, quae sunt ejusmodi habent aliquod, quo et ipsi judicantur, prioris ordinis (*ὑπεραναβεβηκὸς*) criterium, v. c. sensum se intellectum. Illud autem, de quo hoc loco nobis quaestio est criterium, a nullo alio superatur (1).

---

(1) *Diog. Laërt.* IX, 107.

(2) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 440.

(3) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 441, 442.

(4) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 443.

(5) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 444.

PARS TERTIA.

QUOMODO SCEPTICA PHILOSOPHANDI RATIO, OBSERVATA HOMINIS INDOLE, NATURA, ATQUE INGENII PROGRESSIONE, EXPLICANDA ET COËRCENDA VIDETUR?

Quod saepius de universo historiae studio dictum est, inane illud esse et jejunum, nisi adsit causarum indagatio, idem si de historia philosophiae affirmavero, qui temeritatis me accuset, arbitror fore neminem. Mitto animadversionis suavitatem, quam habet illa indagatio: mitto quae sunt hujus generis plura: ad unum provoco historiae philosophiae officium ac munus praecipuum, nempe ut sit historia ingenii humani. Quod quomodo, quaeso, sine causarum indagatione sibi constare poterit? Hanc qui negligit, philosophorum sententias, ut avarus opes, colligit, et multo labore *κτῆμα* sibi, non *χρῆμα* conficit. Plura si addam vereor ne ineptus sim. Adeo res clara est, atque omni caret dubitatione.

Gratiae igitur vobis, Viri clarissimi, habendae sunt, quod unam quaestionis, quam proposuistis partem, ejusmodi indagationi destinavistis. Quo magis operam dabo, ut illi quam potero diligentissime satisfaciam. Sed antequam ad propositum venio, accurate definiendum videtur, quid requiratis.

Et primum quidem antiqui Scepticismi (nam de eo omnis est disputatio) rationem exponemus, h. e., ea, quae ipsi propria fuerint, quibusque a recentiori Scepticismo distinguatur, colligemus. Tum antiqua illa Sceptica philosophandi ratio *explicanda est*, h. e., causae, quae apud antiquos hanc, neque aliam, Scepticismi rationem effecerunt, indagandae et exponendae sunt. Denique, quod tertio loco eo quaeritis, *ut illa Sceptica philosophandi ratio coërceatur*, id, opinor, eam habet vim, ut causae ostendantur, quibus factum sit, ut antiqua illa Scepticismi ratio exstingueretur.

---

(1) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 445.

Haecce igitur disputationis nostrae pars commode dividi posse videtur in quatuor capita. Primum illam antiquae Scepticae rationis descriptionem habebit. In secundo universe de causis agemus, quae variam Scepticismi rationem efficiunt vel tollunt. Tertio capite causas enumerabimus, quae, ut nobis videtur, antiquam illam Scepticam rationem constituerunt. Quarto denique causae continebuntur, quibus illa ratio sublata est.

CAPUT PRIMUM.

DE ANTIQUA SCEPTICISMI RATIONE.

Non supervacaneum videtur hoc loco brevem praemittere disputationem de variis Scepticismi generibus et formis. Etenim nulla philosophorum disciplina, tot tantasque subiit mutationes. Hinc magna illa definitionum sylva et varietas, quibus varii philosophi Scepticismi notionem circumscribere conati sunt: quae omnes fere non universum Scepticismum, sed aliquam ipsius formam constituunt. Has omnes recensere, et quorsum pertineant ostendere, et longum est, et a nostri instituti ratione alienum. Sufficiat modum referre, quo Stäudlinus, vir egregius, omnes illas definitiones inter se conciliari posse ostendit; quo simul varia Scepticismi genera exponentur.

Scepticismus igitur bifariam intelligi potest, aut *subjective*, aut *objective*. Si subjective Scepticismum consideraverimus, duplicem habebit formam: erit enim aut *mentis affectio*, aut *facultas quaedam* sive *methodus*. Objective Scepticismus nihil aliud est, nisi *complexus enuntiatorum* sive *systema* (1). De singulis videamus.

Si Scepticismum mentis affectionem intellexerimus, erit ille animi status, secundum quem nihil vel negamus vel affirmamus, sed de omnibus omnino dubitamus, etiam de hoc ipso, de omnibus dubitandum esse. Tale quid in nullum hominem cadere potest. Ea enim conditione sati atque in lucem editi sumus, ut semper aliqua de re statuere debeamus (1). Quod ipsi veteres jam animadverterunt, ideoque saepius Scepticis objecerunt. Aristocles: ὅτι οὐχ οἷόν τε τὸν ἄνθρωπον ἀδόξαστον εἶναι καὶ ὡδὶ καταμάθοι τις ἄν. Ἀδύνατον γὰρ τὸν αἰσθανόμενον μὴ αἰσθάνεσθαι. Τὸ δὲ αἰσθάνεσθαι γνωρίζειν τὶ ἦν caet. (2). Igitur ejusmodi animi status est perfecti absolutique Scepticismi exemplar, ad quod ut quis proxime accedit, ita perfectissimus Scepticus censendus est. Hoc igitur nobis esse debet tamquam obrussa, secundum quam varios Scepticismi gradus constituamus (3).

---

(1) *Stäudlin, Gesch. u. Geist. des Scepticismus.* pag. 4.

Deinde si Scepticismum artem esse volumus, erit facultas omnia defendendi et refutandi, eoque modo ἰσοσθένειαν rationum inducendi. Ejusmodi facultatem revera assequitur mens humana. Etenim nisi in omnibus paria momenta invenire, at certe contra omnia quaedam argumenta producere possumus (4).

Denique si objectivam notionem Scepticismo tribuimus, erit systema. Sunt autem, qui negent Scepticismi systema existere posse. Recte illi et vere, si perfecti Scepticismi notionem premendam esse existimamus; sin vero animadvertimus, Scepticismum non sui esse juris sed ex Dogmatismo et existentiam et vires ducere: Dogmatismus autem totus in systematibus sedem habet: tum eam Sceptici systematis nobis informamus notionem, secundum quam sit dispositio argumentorum, quae ad ἰσοσθένειαν ducunt, accommodata ad Dogmaticorum systemata (5).

Sequitur jam, ut videamus, qualis antiqui Scepticismi fuerit forma. Et neminem quidem latere potest, veterum, cum Pyrrhoniorum, tum Academicorum Scepticismum artem fuisse sive facultatem (6). Operae pretium videtur eorum definitiones rursus hic adscribere. Aenesidemus apud Diogenem Laërtium: ἔστιν οὖν ὁ Πυῤῥώνειος λόγος μήνυσις τῶν φαινομένων ἢ ὁπωσοῦν νοουμένων· καθ' ἣν πάντα πᾶσι συμβάλλεται καὶ συγκρινόμενα πολλὴν ἀνωφέλειαν καὶ ταραχὴν ἔχοντα εὑρίσκεται (7). Sextus Empiricus: ἔστι ἡ Σκεπτικὴ, δύναμις ἀντιθετικὴ φαινομένων τε καὶ νοουμένων. ἀφ' ἧς ἐρχόμεθα, διὰ τὴν ἐν τοῖς ἀντικειμένοις πράγμασι καὶ λόγοις ἰσοσθένειαν, τὸ μὲν πρῶτον εἰς ἐποχὴν, εἶτα εἰς ἀταραξίαν (8). Academicorum eadem erat ratio. Et hi illam facultatem omnia defendendi et refutandi sequebantur. Omitto celebrem illam Carneadeam de justitia in utramque partem disputationem, aliaque hujus generis plura; e Ciceronis libris adeo res nota est, ut singulos locos, ubi hoc diserte profitetur, laudare supervacaneum sit. Hac igitur facultate id, tamquam finem, sibi efficere volebant, ut illis animi perturbationibus liberarentur, quae necessario ex veri ignorantia proficiscuntur, utque illam in-

---

(1) *Stäudlin* l. l.

(2) Apud *Eusebium* P. E. XIV, 791. C.

(3) *Stäudlin* l. l. p. 4, 5.

(4) *Stäudlin* l. l. p. 6, 7.

(5) *Stäudlin* l. l. p. 7, 8.

(6) *Stäudlin* l. l. p. 6, 30.

(7) *Diog. Laërt.* IX, 78.

(8) *Sext. Empir.* P. H. I, 4, 8—10.

incertitudinem, quid-statuendum sit, nec ne, quae ex Dogmaticarum rationum comparatione oritur, effugerent. Haec est celebris illa *ἀταραξία*, quam *ψυχῆς ἀοχλησίαν καὶ γαληνότητα* definiebat Sextus (1). Videamus jam qualis ipsorum secundum hanc artem fuerit dubitatio. Et primum quidem eorum exemplo discimus, fieri non posse, ut homo de omnibus omnino assensum cohibeat. Nam statim, ne insanire existimarentur, *τὰ φαινόμενα* ponere coacti sunt. Haec enim ut in *πείσει καὶ ἀβουλήτῳ πάθει* posita inviti concedimus. Igitur non dubitant, utrum res nobis appareant, sed an tales revera sint, quales videantur (2). Atque hoc modo Scepticismus desinit esse perfectum quiddam et absolutum, quod existere nequit. Hic jam Scepticismus objective cogitari, ipsiusque systema confici potest (3). Quod sane fecisse existimandus est Sextus Empiricus. Nam ipsius Pyrrhoniarum Hypotyposeon libri, ita ad systematis rationem sunt compositi, ut nihil ad perfectionem deesse videatur.

Sequitur, ut hanc antiqui Scepticismi rationem ad perfectum illud absolutumque Scepticismi exemplar, quod modo proposuimus, exigamus: ut appareat, quo gradu ponendus sit. Varii autem Scepticismi gradus secundum hanc rationem egregie constituti sunt a Stäudlino (4). Nos inde tantum ea referemus, quae ad antiquam Scepticismi rationem pertinere videntur.

Primus igitur gradus, quo perfectissimus et plenus Scepticismus, qui in hominem cadere potest, censetur, est eorum, qui *τὰ φαινόμενα*, *παθητικῶς* ad assensum et actionem cogentia, concedunt; de reliquis omnibus dubitant (5). Ad hanc perfectionem venerunt nonnulli ex antiquis Pyrrhoniis, ut ex iis, quae supra dicta sunt, apparet.

Alius Scepticismi gradus, ab hocce magno intervallo distinctus, est eorum, qui objectivae veritatis cognitionem non diserte tollunt, sed tantummodo statuunt eam a nobis non cognosci. Hi igitur aliquam spem relinquunt, fore, ut aliquando verum percipiatur. Horum in numerum etiam referendi sunt Pyrrhonii, utpote qui ipsi profitentur, se quaerere (*ζητεῖν*) veritatem.

Praeterea Scepticismi formae distinguuntur pro diversitate fontium, unde oritur, et diversitate argumenti. De illo infra erit dicendi locus. Nam est hoc ipsum quaestionis nostrae pars, ut fontes indicentur, e quibus antiquam Scepticam rationem manasse, verosimile est. Ad diversitatem argumenti quod attinet, diversus est Scepticismus pro diversa scientia, quam sibi oppugnandum sumit (6).

---

(1) *Sext. Empir.* P. H. I, 4—10. cf. 12, 15—20.

(2) Cf. quae supra collegimus P. I. c. 2. p. 30, 31. et *Stäudlin* l. l. p. 9, 16.

(3) *Stäudlin* l. l p. 10.

(4) *Stäudlin* l. l. p. 27—34.

(5) *Stäudlin* l. l. p. 27.

(6) *Stäudlin* l. l. p. 34.

Nulla autem est ars, nullaque disciplina, contra quam non aliquando a Scepticis sit disputatum, *Empirica* tantummodo *Psychologia*, utpote historia variarum animi actionum, et *Logica* exceptis. Praecipue igitur Sceptici de variis *Physicarum disciplinarum*, tum *Rationalis*, quae dicitur, *Psychologiae*, *Theologiae* et *Philosophiae Moralis* locis dubitant; qua in re antiqui et recentiores, licet ceteroquin mirum quantum a se invicem differant, conveniunt. At, dixerit aliquis, nonne antiqui Sceptici etiam contra Logicae praecepta plurima eaque gravissima dubia moverunt? Sed animadversum volumus, haecce dubia non adeo ad ipsa Logices praecepta spectare, sed potius contra eorum usum esse mota. Caeterum, quam late patuerit antiquorum Scepticismus, optime ex Sexti Empirici scriptis apparet, in quibus quamvis maxime adversus *Logicos*, *Physicos* et *Ethicos*, nihilominus etiam adversus *Grammaticos*, *Rhetores*, *Geometras*, *Arithmeticos*, *Astrologos* et *Musicos* agitur.

CAPUT SECUNDUM,

QUO UNIVERSE DE CAUSIS AGITUR, QUAE VARIAM SCEPTICISMI RATIONEM VEL EFFICIUNT VEL TOLLUNT.

Causae, quae variam Scepticismi rationem definiunt, dupliciter possunt spectari, aut *historice*, aut *psychologice*. Psychologice Scepticismi causas exponimus, cum rationes enumeramus, quibus in singulis hominibus Sceptica cogitandi ratio gignitur. Historicam causarum indagationem intelligimus expositionem rationum, quibus factum sit, ut Scepticismus artis formam acciperet (1). De hisce igitur historicis causis inprimis nobis erit dicendum. Omnes autem causae, quibus Scepticismi ratio efficitur, ad haec potissimum capita referenda esse videntur: primum ad universum singulis temporibus philosophiae statum: deinde ad ipsius Scepticismi aetatem et progressus: tum ad oppositum unaquaque aetate Dogmatismum: denique ad ingenium auctoris, qui hanc vel illam Scepticismi rationem condidit. Hanc rationem viro Cl. Thorbecke (2) acceptum referimus: sequitur, ut eam ad nostrum institutum accommodemus.

Primum igitur attendendum est ad universum philosophiae statum. Nam, Sceptiticismus per se existere non potest, et quo magis reliquorum philosophorum doctrina exculta est, eo perfectiorem et consummatiorem videmus Scepticismum. Utriusque igitur diligens comparatio est instituenda. Quo pertinent cum ea, quae in prima disputationis parte de artis Logicae progressibus monuimus, tum ea, quae de nonnullorum Dogmaticorum rationis indole, ad Scepticismum provocandum et eliciendum apta, animadvertimus. In sequentibus igitur harum observationum conclusiones sive resultata, quae vocant, haud parvum locum obtinebunt.

---

(1) *Stäudlin* l. l. p. 37, 38.

(2) *Comm. laud.* p. 12.

Secundo loco in varia Scepticorum ratione explicanda attendendum est ad ipsius Scepticismi aetatem et progressus. Etenim Scepticismus post longum denique temporis intervallum sibi ipse constare coepit. Hinc factum est, ut antiquorum Pyrrhoniorum, ne Sexto quidem excepto, mira esset inconsequentia. Quod recentiores plerumque fugisse videtur; qui ideo recte reprehenduntur a Stäudlino (1). Hinc igitur explicanda etiam imperfecta illa Scepticismi vestigia, quae in Eleaticis et Megaricis vidimus. Hinc quo loco Pyrrhonis, Timonis, aliorumque Scepticismus habendus sit, statuere poterimus.

Deinde ad variam Scepticismi formam constituendam multum attulit oppositi Dogmatismi ratio. Etenim Scepticismus in uno Dogmatismo ortum habet; in hocce refutando viget. Itaque quot sunt Dogmaticorum rationes, tot sunt Scepticismi habitus. Quo accedit, Scepticos nullis certis principiis uti, ad Dogmatismum evertendum, sed nunc hoc, nunc illud, quod ad propositum maxime accommodatum sit, arripere. Quod recte animadvertit Stäudlinus (2), et diserte ipse Sextus profiteri videtur: *εἶτα*, inquit, *κἂν τῷ ὄντι συναίρειν δοκῶμεν τὸ κριτήριον, δυνάμεθα εἰς τοῦτο οὐχ ὡς κριτηρίῳ χρῆσθαι τῇ προχείρῳ φαντασίᾳ, καθ' ἣν τοὺς προςπίπτοντας ἡμῖν πιθανοὺς λόγους τιθέντες εἰς τὸ μηδὲν εἶναι κριτήριον, ἐκτιθέμεθα μὲν, οὐ μετὰ συγκαταθέσεως δὲ τοῦτο ποιοῦμεν, διὰ τὸ καὶ τοὺς ἐναντίους λόγους ἐπ' ἴσης εἶναι πιθανούς* (3). Igitur Scepticismus ex bello cum Dogmaticis varium quid traxit, factusque est Proteo illi simillimus, qui, ut adversariorum insidias fugeret,

> Nunc leo, nunc arbor, nunc erat hirtus aper.

Denique, ingenium et indoles auctoris, quantam vim habuerint ad aliquam Scepticismi formam constituendam, sponte intelligitur. Neque hoc in uno Scepticismo, sed in quavis alia philosophorum disciplina animadverti potest. Luculentius est Aristippi Cyrenaicae Sectae conditoris exemplum, quam ut hic reticeatur. Hujus enim ad vo-

---

(1) *Stäudlin* l. l. p. 12 seqq., 29.

(2) *Stäudlin* l. l. p. 34.

(3) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 445.

voluptatem proclivis indoles totam ipsius philosophiam informavit. Quamobrem diligenter etiam attendendum est ad ea, quae Scepticae rationis auctorum ingenium atque idolem maxime constituerunt. Quo loco ea adhibenda sunt, quae prima disputationis parte de magistris, quibus usi sunt Pyrrho aliique, disputavimus.

In eisdem fere rebus causae sunt positae, quae antiquam illam Scepticam rationem coërcuerunt, et tempore progrediente, aliam induxerunt. Nam et hic philosophiae status et Dogmatismi perfectionis ratio habenda est. Sed praeterea inprimis animum advertendum est ad ipsam antiquae Scepticae rationis indolem et naturam, quam talem fuisse reperiemus, qualem aliquando exstingui necesse erat.

CAPUT TERTIUM

QUO CAUSAE EXPONUNTUR, QUAE ANTIQUAM SCEPTICISMI RATIONEM GENUERUNT.

Cum primum homines res explorare coeperunt, toti Empirismo dediti erant. Nondum cogitabant, quatenus verum cognoscere, nec quibus quasi instrumentis illud invenire possent. Solam experientiam sequebantur; sensibus fidem habebant, et secundum eorum judicium statuebant. Haec fuit Thaletis et antiquissimi cujusque ratio, qui physicis disciplinis, quae totae fere, certe maximam partem, ab experientia ducuntur, operam dabant. Sed qui veritatem assequi studet, huic evenire solet, ut, quo propius ad eam se accedisse putet, eo longius ab ea remotus sit. Idem antiquis illis sapientiae studiosis evenit: quo magis ad rerum naturam cognoscendam profecisse sibi videbantur, eo spissiores tenebras reperiebant; saepiusque sensuum fallacitatem experiebantur; quid igitur mirum, si omnem veritatem desperarent gravissimasque ederent de rerum incomprehensibilitate querelas? Hinc erat Xenophanis, Empedoclis, aliorumque Scepticismus. Haec, supra jam significata, hoc loco rursus proponere necessarium duxi, quo facilius ea, quae dicentur, intelligi possent.

Eleaticorum Scepticismum sive potius ad Scepticismum proclivionem exceperunt Megarici. Hi igitur inventa jam ab illis dialectica augenda, eaque captiosis argumentandi rationibus instruenda, quantum ipsi ad Scepticismum profecerint, supra jam vidimus; quantum autem contulerint ad Pyrrhonis Scepticam rationem constituendam, statim videbimus, si prius Scepticismum et Dogmatismum, ut hujus viri temporibus erant, paucis comparaverimus.

Pyrrhonis igitur aetas in Dogmatismi, ut ita dicam, adolescentiam incidebat. Exspectabat jam Aristotelis et Zenonis ingenia, quibus ad virilem aetatem promoveretur. Scepticismus nondum e pueris excesserat. Quae a variis philosophis dubitanter erant pronuntiata magis ad dubitandum proclivionem, quam revera dubitationem ostendebant. Omnino Scepticismus tantummodo ad sensuum fallacitatem pertinebat.

Ejusmodi Scepticismus cum talem virum, qualem Pyrrhonem, fautorem et cultorem invenisset, maximos progressus facere debuit. Et vero hic eum ad eamdem, qua tum erat Dogmatismus, perfectionem adduxisse putandus est. Certe ita Scepticismi fines protulit, ut merito illius auctor dici haberique posset.

Causa autem cur Pyrrho ad Scepticam philosophandi rationem sese contulerit, in Democriteis de sensuum auctoritate, et veri incomprehensibilitate dubitationibus ponenda esse videtur. Ab hujus enim viri institutione profectus est, ut supra, allatis veterum testimoniis, significavimus. Sed quae tandem fuit causa, cur iste Pyrrhonis Scepticismus, artis, qua omnia et defenduntur et refutantur, formam sumeret? Hanc in Megaricorum doctrina positam esse existimamus.

Nam Pyrrho, ut vidimus, non modo Democritum, sed etiam Brysonem Dialecticum sive Megaricum audivit, quin etiam Philonis Dialectici consuetudinem coluit. Quis igitur est, quin videat Megaricorum disciplinam necessario aliquid contulisse ad Pyrrhonis doctrinam informandam. Nimirum Megaricorum disciplina iis instructa erat disserendi instrumentis, quae optime contra omnia disputandi instituto inservire possent. Res clarior est, quam ut rationibus indigeat. Itaque sufficit in memoriam revocasse, quantus ipsorum *σωρείτου* et *ἐγκεκαλυμμένου λόγου* usus fuerit in disputatione contra Stoicos. Quid igitur? Ex hacce Megaricorum ratione Sophisticum quid, ut ita dicam, et vincendi studium pertinaciamque Pyrrhonem contraxisse existimem. Quod, ut videbimus, ipsius auditoribus et sectatoribus proprium mansit.

Sequitur, ut ostendamus, quare Arcesilae et Academicorum Scepticismus etiam artis formam habuerit, praesertim cum ipsorum diversa quam maxime fuerit ratio. Nam ex antiquorum Platonicorum disciplina profectus est Arcesilas. Quamvis autem Platonis doctrina multa habeat, quae Scepticismo faveant, imo ex Scepticorum doctrina petita videantur; tamen ab omnibus quae ad Sophistarum rationem accedunt, quam maxime aliena est. Igitur mirandum quidem non est, Arcesilam ad Scepticismum prolapsum esse; illud autem satis mirari nequimus, eum Pyrrhoniorum istam dubitandi artem adscivisse. Multo modestiorem et a perfecto illo Scepticismi exemplari remotiorem rationem ab eo exspectavissemus. Sed attendendum est ad Arcesilae Scepticismi finem, qui is tantum fuisse videtur, ut Platonis doctrinam adversus Zenonem tueretur. Hoc efficere se posse putabat, si suam ipse sententiam celaret, illius opiniones oppugnaret. Aderat autem jam illa Pyrrhoniorum ars, quae ipsi ad propositum aptissima visa est. Quare non dubitavit eam in Academiam recipere.

Denique causam indicemus, cur ista antiquorum Scepticorum ratio proxime ad perfectum illud dubitandi exemplar accesserit. Reliqui enim Sceptici omnes ab eo longius abfuerunt. Nimirum antiquitus et philosophia naturalis et psychologia nequaquam satis explicatae et pertractatae erant; illa vix inchoata. Hinc veteribus absolute de omnibus dubitare licuit. Hinc apud eos quaestiones illlae de *remo inflexo* et *colle columbae* sufficiebant ad sensuum fidem auctoritatemque frangendam. Hinc de omni omnino veritate, deque veri falsique nota ita dubitare potuerunt, ut eas plane tollerent. Recentiores contra physicam philosophiae partem ita explicatam habebant, ut *inflexi remi* aliorumque probabiles reddere possent rationes. In psychologia autem variae mentis humanae facultates accuratius erant explicatae et distinctae, ut cautius dubitare deberent; quo simul factum est, ut ipsorum Scepticismus melius sibi quam antiquorum constiterit.

CAPUT QUARTUM,

QUO CAUSAE ENUMERANTUR, QUAE ANTIQUAM SCEPTICISMI RATIONEM SUSTULERUNT.

Vidimus Academiae rationem paulatim ad Dogmatismum rediisse. Aliquantulum jam Carneades ab illa criterii tollendi severitate remittebat; plus Philo; donec tandem Antiochus Ascalonita Scepticismum penitus relinqueret, et Stoicorum rationem sequeretur. Hujus rei causam jam supra monuimus praecipue positam fuisse in progressibus disciplinae Stoicae, qui necessario ex continuo illo cum Academicis bello proficiscebantur. Illa autem Stoicae disciplinae perfectio apud Pyrrhonios nullam vim habuit ad Scepticismum exstinguendum; sed diu post Antiochum varii Pyrrhonii, ne alios nominem, Sextus Empiricus Scepticam rationem auxerunt etiam atque confirmarunt. Cujus rei causae primum indagandae sunt.

Nimirum Academicorum ratio semper aliquam cum Dogmatismo habuit conjunctionem,

nem, e Platonis illam doctrina repetendam. Nullum erat Academicis obtrectandi studium; unam, ut Plato, veritatem sectabantur; hujus inveniendae causa Scepticis rationibus Stoicam doctrinam refutare studebant. Igitur hacce ita ad perfectionem adducta, ut nullum superesse videretur reprehensioni locus, eam sequi et probare non dubitavit Antiochus. Pyrrhoniorum, ut superiori capite monuimus, dispar fuit ratio. Sophisticum illud in iis veri quaerendi studium pene exstinxit. Licet igitur Stoica ratio mirum quantum corrigeretur et perficeretur, nihilominus contra eam disputare pergebant, suumque dubitandi institutum pertenaciter tenebant.

Quamvis igitur Pyrrhoniorum Scepticismus, Academicorum Scepticismo superstes fuerit, nihilominus et ipse interitum effugere non potuit. Quod necessario fieri debuisse, sponte intelligetur, si tantummodo ad Scepticae artis naturam attenderimus. Quot quantaque sunt, quae in antiquo Sceptico desiderabantur. Primum, si contra omnes disciplinas disceptare vellet, necesse erat, ut eas plane perspectas et cognitas haberet; quod unum jam vires ingenii humani superare videtur. Tum singulas refutare, quam difficile fuerit, neminem latere potest. Neque enim illi, qui hoc facere decreverat, cum vulgaribus homunculis res erat; sed ingeniosissimi acutissimique viri Dogmatismi patrocinium susceperant. Quae causa fuit, cur jam antiquitus illa contra omnia disserendi ars, qui eam exercerent, haberet paucissimos. Disertus hanc in rem est locus Ciceronis, quem operae pretium erit adscripsisse: *nec vero*, inquit, *desertarum relictarumque rerum patrocinium suscepimus; non enim hominum interitu sententiae quoque occidunt, sed lucem auctoris fortasse desiderant; ut haec in philosophia ratio contra omnia disserendi, nullamque rem aperte judicandi, profecta a Socrate, repetita ab Arcesila, confirmata a Carneade usque ad nostram viguit aetatem; quam nunc propemodum orbam esse in ipsa Graecia intelligo; quod non Academiae vitio sed tarditate hominum arbitror contigisse. Nam si singulas disciplinas percipere magnum est, quanto majus omnes: quod facere iis necesse est, quibus propositum est, veri reperiendi causa, et contra omnes philosophos, et pro omnibus dicere* (1). Eodem pertinere videtur quod diu post scripsit Diogenes Laërtius: τὴν μὲν γὰρ, inquit, Πυῤῥώνειαν οὐδὲ οἱ πλείους προςποιοῦνται διὰ τὴν ἀσάφειαν (2). Non igitur dubitamus, quin postea, hominum ingeniis magis magisque ad philosophiae et omnino literarum studia torpentibus, haecce eadem Scepticae artis exercendae difficultas causa fuerit, cur penitus tolleretur.

Denique illam antiquam Scepticismi rationem ideo relictam desertamque fuisse existimem, quod magis magisque intelligerent homines, Scepticos finem, quem sibi proposuerant, assequi non posse, nempe ut illis animi perturbationibus liberarentur, quae tum ex veri inveniendi difficultate, tum ex discordia Dogmaticorum oririebantur. Etenim Scepticismus revera ad quidvis aliud quam ad *ἀταραξίαν* ducit. Hoc ipse Sextus Empiricus animadvertisse putandus est. Hinc illud, quod saepius profitetur, nullum Scepticum ad perfectam umquam *ἀταραξίαν* pervenire posse: *οὐ μὴν*, inquit, *ἀόχλητον πάντη τὸν Σκεπτικὸν εἶναι νομίζομεν, ἀλλ' ὀχλεῖσθαι φαμὲν ὑπὸ τῶν κατηνεγκασμένων* (1). Item alio loco *ἕπεται δὲ* (*ὁ Σκεπτικὸς*) *ἀδοξάστως τῇ βιωτικῇ τηρήσει, καὶ διὰ τοῦτο ἀπαθὴς μένει· ἐν δὲ τοῖς κατηνεγκασμένοις μετριοπαθεῖ, ὡς μὲν γὰρ ἄνθρωπος αἰσθητικῶς πάσχει* (2). Denique alio loco: *τῷ γὰρ διὰ λίμον ἢ δίψος ὀχλουμένῳ οὐ δυνατὸν ἐμποεῖν πεῖσμα διὰ τοῦ κατὰ τὴν σκέψιν λόγου, ὅτι οὐκ ὀχλεῖται, καὶ τῷ ἐν ταῖς τούτων παρηγορίαις διαχεομένῳ, οὐκ ἐνδέχεται πείθω ἐμποιεῖν περὶ τοῦ ὅτι οὐ διαχεῖται* (3). Plura hisce addere liceret, sed haec, ut videtur, sufficiunt.

---

(1) *Cic. de Nat. Deor.* I, 5.

(2) *Diog. Laërt.* I, 20.

Haec habui, quae ad quaestionem a vobis, Viri Clarissimi, propositam dissererem. In quibus quantum desideretur, nemini magis persuasum esse potest, quam mihi. Quod ne ex vulgari hominum consuetudine dictum esse existimetis, qui, cum de suis operibus satis magnifice sentiant, tamen de iis cum contemtu loquuntur, ut modestiae laudem consequantur. Ita hancce disputationem vobis probari cupiam, ut ab ejusmodi moribus alienus sum. Sed recreat me atque erigit illius Ciceroniani cogitatio, quod quamvis de oratoribus dictum sit, in rem praesentem transferre, et symboli loco ponere liceat:

> *Prima sequentem honestum est in secundis*
> *tertiisque subsistere.*

---

(1) *Sext. Empir.* P. H. I, 29.

(2) *Sext. Empir.* P. H. III, 335.

(3) *Sext. Empir. adv. Math.* VII, 149.

TANTUM.

CORRIGENDA.

Pag.	3.	*lin.*	18.	Ad ad	*leg.*	Ad
—	4.	—	5.	Emperici	—	Empirici
—	5.	—	7.	*φαμὶν*	—	*φαμὲν*
—	6.	—	4.	haeo	—	haec
—	—	—	16.	assessionem	—	assensionem
—	8.	—	10.	ex	—	et
—	9.	—	20.	*φασὶν*	—	*φησὶν*
—	—	—	21.	*τι*	—	*τὶ*
—	—	—	—	*ἆρα γε*	—	*ἆρά γε*
—	—	—	25.	*ἔστι*	—	*ἐστὶ*
—	—	—	26.	*ἔστιν*	—	*ἐστὶν*
—	13.	—	4.	*συνεστάκοσιν*	—	*συνεστακόσιν*
—	15.	—	20.	res. quae	—	res, quae
—	16.	—	15.	*ὅδε*	—	*ὁ δὲ*
—	—	—	29.	phi-	—	au-
—	18.	—	14.	*γινώσκειν*	—	*γιγνώσκειν*
—	20.	—	9.	*αὐτὸ·*	—	*αὐτό·*
—	21.	—	8.	si quid est aut ὂν est,	—	si quid sit, aut ὂν est,
—	—	—	21.	reprehenditur	—	reprehendatur
—	—	—	24.	*ἀδήλοτης*	—	*ἀδηλότης*
—	23.	—	22.	Cicero qui, omnes	—	Cicero, qui omnes,
—	24.	*not.*	3.	*Cic.* II, 59. D.	—	*Diog. Laërt.* II, 59.
—	26.	*lin.*	7.	mirandam	—	mirandum
—	—	—	16.	*συγκάθεσις*	—	*συγκατάθεσις*
—	28.	—	6.	*ἐποχὴ δ' ἔστι*	—	*ἐποχὴ δέ ἐστι*
—	—	—	17.	*συγκάθεσιν*	—	*συγκατάθεσιν*
—	29.	*not.*	3.	discripsit	—	descripsit
—	30.	*lin.*	3.	regerctur	—	regeretur
—	38.	*not.*	1.	Diogene ex Sexto	—	Diogene et Sexto

pag.

CORRIGENDA.

pag. 44.	*lin.* 12.	πιθανουργικὸς·	—	πιθανουργικός·
— 46.	— 12.	delineanus	—	exponamus
— 49.	— 27.	συγκατίθεσθαι	—	συγκατατίθεσθαι
— 57.	— 1.	πρακτικὸν·	—	πρακτικόν·
— —	— 2.	πολιτικὸν·	—	πολιτικόν·
— —	— 3.	λογικὸν·	—	λογικόν·
— 60.	— 18.	quidam	—	quidem
— 65.	— 30.	imcomprehensibile	—	incomprehensibile
— 73.	— 26.	sunt	—	sint
— 75.	— 29.	ut verum quod	—	ut intellectus verum, quod

NOMINA PROFESSORUM,

QUI

IN ILLUSTRI AMSTELAEDAMENSI ATHENAEO

inde a d. VIII *Februarii* MDCCCXXVI *ad d.* VIII *Februarii* MDCCCXXVII.

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

CLARISSIMI ORDINIS PRAESES.

C. A. DEN TEX.

ACTUARIUS.

J. VAN HALL.

PROFESSORES JURIS.

C. A. DEN TEX.
J. H. VAN REENEN, Prof. honor;
J. VAN HALL.

THEOLOGUS.

W. A. VAN HENGEL.

MEDICI.

G. VROLIK.
F. VAN DER BREGGEN, CORN. FIL.
H. BOSSCHA.

PHI-

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

D: J. VAN LENNEP.
J. WILLMET.
J. P. VAN CAPPELLE.

DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

J. P. S. VOUTE.
H. C. VAN DER BOON MESCH.

LECTOR.

H. DE HARTOG.

❁

SERIES

SERIES LECTIONUM ET INSTITUTIONUM,

QUAE HABENTUR A PROFESSORIBUS ILLUSTRIS
ATHENAEI AMSTELAEDAMENSIS,

inde a feriis aestivis anni MDCCCXXVI *ad ferias aestivas* MDCCCXXVII.

CORNELIUS ANNE DEN TEX,

publice, varia loca ex Jure Naturae Publico et Gentium tractat vel ipsi juventuti disceptanda proponit.
privatim, tradit Jus Publicum cum universum tum inprimis Belgicum,
Encyclopaediam Jurisprudentiae,
Jus criminum et poenarum universum et Belgicum;
Elementa Oeconomiae politicae.

GERARDUS VROLIK,

publice, IN HORTO BOTANICO, agit de plantis medicinalibus;
privatim, docet
Obstetriciam theoreticam et practicam;
Physicam plantarum.

DAVID JACOBUS VAN LENNEP,

publice, praecipue quaedam historiae et literarum capita tractat, vel ipsi juventuti, exercitationis causâ, disceptanda proponit;
privatim, tradit
Literas Latinas, interpretandis, Ovidii Heroïdum Epistolis, Ciceronis Milonianâ, Juvenalis Satyris selectis;
Literas Graecas, interpretandis locis Herodoti et Xenophontis quibus in *selectis principum Historicorum*, a WYTTENBACHIO editis;

Homeri Odysseae Rhapsod. E, selectis Theocriti Idylliis; explicandis Antiquitatibus Graecis;
Historiam Universam ab initio ad Carolum Magnum.

JOANNES WILLMET,

publice, *de Antarae ingenio Poëtico* agit, aut praecipua Philologiae momenta ad disceptationem proponit:
privatim, docet
Linguam Hebraeam; cum institutione Grammaticâ, tum interpretandis, ratione aetatis, argumenti et stili habitâ, sensim difficilioribus V. T. Locis;
Linguam Arabicam, primum Grammatice, deinde explicandis *Sententiis*, *Fabulis*, et selectis ex Anthologiâ Schultensianâ locis;
Exegesin V. T. interpretatur, tam illustrandis *selectis Libri Josuae capitibus*, quam moderandis Exercitationibus Exegeticis;
Linguas etiam *Chaldaicam*, *Syriacam* et *Samaritanam*, si adsint auditores; uti et
Vitam Timuri, aut *Corani quaedam capita* explicat, collatis *Scholiis*, in Corani *editione Petropolitanâ* exhibitis.

JOANNES PETRUS VAN CAPPELLE,

publice, partes quasdam historiae literariae Belgicae tractabit;
privatim, de stilo Belgico aget;
De Poëtis seculi decimi septimi Batavis disseret;
Historiam Patriae tradet;
Exercitationes oratorias moderabitur.

FRANCISCUS VAN DER BREGGEN, CORN. FIL.

privatim, tractabit
Pathologiam generalem;
Materiam Medicam,
Medicinam Forensem.

WESSEL ALBERTUS VAN HENGEL.

publice, Quaestiones aliquot argumenti Theologici juventuti disceptandas proponit.

privatim, *Religionis, tum Naturalis, tum Divinitus patefactae* tradit *Doctrinam.*

Posteriorem PAULI interpretatur ad Corinthios Epistolam.

De *Historiâ Societatis* et *Religionis Christianae* commentatur ita, ut praecipua exponat rerum capita, quae ab aetate CAROLI M. usque ad nostra tempora factae sint.

JOANNES PETRUS STEPHANUS VOUTE,

privatim, exponit Mathesin;
Physicam.
Elementa Psychologiae et Logicae tradit.

HENRICUS BOSSCHA;

publice, in THEATRO ANATOMICO *Partium corporis humani fabricam et usum* explicat.

Operationes Chirurgicas demonstrat variasque eas instituendi exponit methodos.

privatim, tradit *Anatomiam, Physiologiam;*
Praxin Chirurgicam.

HENRICUS CAROLUS VAN DER BOON MESCH,

privatim, tradit
Chemiae Doctrinam et Historiam;
Chemiam Pharmaceuticam, linguâ vernaculâ;
Doctrinae Chemicae usûs quoad artes;
Historiam Naturalem.

JACOBUS VAN HALL,

publice, selecta quaedam Juris Privati capita juventuti disceptanda proponit;

privatim, Institutiones JUSTINIANI Imp. explicat;

Institutionum GAJI JCti commentarium tertium et quartum interpretatur;

Pandectas Juris Romani, WESTENBERGIO duce, a libr. 20 ad finem exponit;

Principia Juris Hodierni et

Jus Cambiale docet.

HENDRIK DE HARTOG,

Lector in de Wiskunde, Zeevaart- en Sterrekunde, zal Dingsdags, Woensdags en Donderdags, des middags om *twaalf* ure, in het klein *Auditorium* van het *Athenaeum Illustre*, publieke Lessen, in het Nederduitsch, over deze Wetenschappen geven; en dat wel in afloop van de volgende orde:

Eerstelijk over de *Rekenkunde*, *Decimale Breuken* en *Logarithmus-Getallen*, vervolgens over de *Meetkunde* en *Algebra*, en het maken der *Sinus-* en *Logarithmus-Tafelen*, voorts over de Platte en Klootsche *Driehoeks-meting* en eenige Hoofd-Eigenschappen der *Kegel-sneden*; waarin over de beginselen der Sterre- en Aardrijkskunde; en laatstelijk over de Theorie der *Zeevaartkunde*; en wel inzonderheid over de berekening der *Lengte op Zee*, zal gehandeld worden; het een of ander Stuk echter meer of minder uitgebreid, of wel met bijvoeging van eenige verklaring der Zeevaartkundige instrumenten, naar mate het getal en de lust der Toehoorders zulks zal schijnen te vorderen.

LECTIONES

IN SEMINARIO EVANGELICO-LUTHERANO HABITAE

inde a feriis aestivis anni MDCCCXXVI *usque ad ferias aestivas anni* MDCCCXXVII.

D. JO. THEOPH. PLÜSCHKE, *Prof. Ord.*

Loca selecta *Jobi*, itemque *Scripta Johannis Apostoli* cum *epistola ad Hebraeos* interpretatus est.

Theologiae Christianae partem theoreticam proposuit.

Encyclopaediam et *Methodologiam Theologicam* tractavit.

CHRISTIANUS HENR. EBERSBACH, *Prof. Extraord.*

Theologiam naturalem proposuit.

Doctrinam morum Christianam tradidit.

GEORGIUS FREDERICUS SARTORIUS, *Prof. Extraord.*

Praecepta homiletica et *catechetica* auditoribus proposuit simulque de omni ambitu muneris sacri disputavit.

Praefuit etiam *variis Commilitonum exercitationibus*, quae vel ad orationes sacras componandas ac recitandas spectarent, vel ad puerorum in doctrina Christiana institutionem pertinerent.

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY